HISTORIA ECCLESIASTICA VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA

VBI

PRO THEOLOGIÆ CANDIDATIS

Res præcipuæ, non solùm ad Historiam, sed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam, & Ecclesiæ Disciplinam pertinentes, per breves Interrogationes, & Responsiones perstringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

TOMUS OCTAVUS

PARS SECUNDA

Complectens Sæculum Ecclesiæ XVII.

Ad cujus calcem attexuntur quinque Tabulæ Chronologicæ Patriarcharum, cùm Latinorum, tùm Græcorum, qui præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam videlicèt, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Constantinpolitanam tenuerunt.

AVCTORE

FR. IGNATIO HYACINTHO AMAT DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis Theologo, Ord. Fratrum Præd.

ROMÆ, MDCCXXI. Ex Typographia Tinassii.

SVPERIORVM PERMISSV.



INDEX COLLOQUIORUM

Quæ in hac Secunda Parte Tomi Octavi Historiæ Ecclesiasticæ continentur,

Et quinque

TABULARUM CHRONOLOGICARUM,

Quæ ad calcem ejuſdem Secundæ Partis ſunt adjectæ, quæque exhibent ſucceſſiones Patriarcharum cùm Græcorum, tùm Latinorum, qui præcipuas Eccleſiæ Sedes tenuerunt, videlicèt Romanam, Antiochenam, Alexandrinam, Hieroſolymitanam & Conſtantinopolitanam, necnon terminos, ſeu Provincias, ad quas ſe ſe protendit Eccleſiaſtica harumce quinque Patriarcharum Sedium Juriſdictio.

COLLOQUIUM QUINTUM.

COLLOQUIUM SEXTUM.

De Doctrina, Disciplina tàm Ecclesiastica quàm Monastica, necnon de Morali Christiana Sæculi XVII. pag. 547.

TABULÆ CHRONOLOGICÆ

AD OPTIMOS CALCULOS REDACTÆ,

Et ad præfigenda Historiæ Ecclesiasticæ tempora omninò necessariæ,

In quibus texitur series Romanorum Pontificum, Patriarcharum Orientis, Sedium Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & Constantinopolitanæ: Imperatorum cùm Orientis, tùm Occidentis, Regum Galliæ, Hispaniæ & Angliæ: Hæresum, Schismatum & Controversiarum, quæ in Ecclesia emerserunt, Conciliorum cùm OEcumenicorum,

INDEX

TABULARUM CHRONOLOGICARUM,

Quæ in hac Secunda Parte Tomi Octavi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ continentur.

PRIMA TABULA CHRONOLOGICA

SE-

SERIES

Patriarcharum Latinorum,

Qui anno millesimo nonagesimo octavo, quo à Latinis capta est Antiochia, Sedem Antiochenam occuparunt. pag. 73.

QUARTA TABULA CHRONOLOGICA

Patriarcharum Græcorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ. pag. 79.

CATALOGUS

Patriarcharum Latinorum,

Qui Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerunt, postquàm Latini sub finem Sæculi Undecimi in Orientem appulsi, Saracenis expulsis, Regnum Hierosolymitanum instituerunt. pag. 86.

QUINTA TABULA CHRONOLOGICA.

In qua exhibetur successio Episcoporum, seu Patriarcharum Græcorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ sub Constantino Magno *Imperatore, usque ad captam à Turcis Constantinopolim anno* MCCCCLIII. pag. 96.

CATALOGUS

Patriarcharum Latinorum,

Qui Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuerunt ab anno MCCIV. *quo Franci cum Venetis Fœderati Urbem Constantinopolim ceperunt, usque ad annum* MCCLXI. *quo anno* Michael Palæologus, *Græcorum Imperator, Constantinopolim occupavit, Latinos inde ejecit, ipsisque ereptum Orientale Imperium ad Græcos reduxit.* pag. 135.

NO-

NOTITIA
IMPERII ROMANI
Complectens Diœceſes ac Provincias,

MEN-

MENDA,

Quæ irrepſerunt in hunce Octavum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomum, duas in partes diſtributum.

Pag.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
23.	9.	quingenteſimo	ſexcenteſimo.
26.	3.	MDCXXXIII.	MDCXXXVII.
69.	16.	obſidebant	obſidebat.
79.	31.	IV.	VI.
98.	15.	quorum	quarum.
181.	11.	profeſto	profectò.
277.	23.	jubjicere	ſubjicere.
324.	14.	tempore	tempora.
335.	1.	Quieſtitarem	Quietiſtarum.
433.	4.	illis	illi
517.	ult.	compreheſa	comprehenſa.
533.	14.	umbiliculum	umbilicum.
601.	9.	plura	adde, de

Alia, ſi præter hęc annotata, menda inter legendum, offendas, amice Lector, ea nullo negotio emendabis, ac pro tuâ humanitate facilè condonabis.

Ne

Ne ſequentes paginæ vacuæ remanerent, eas, rogante Typographo, implendas eſſe duxi egregio *Luciani* documento, & ad Hiſtoriam vel ſcribendam, vel addiſcendam utiliſſimo.

A Jo *igitur, eum, qui optimè conſcribere Hiſtoriam volet, duo hæc præcipua domo ſecum & de ſuo afferre debere: Prudentiam quamdam ſive intellectum civilem, & poteſtatem dicendi, quorum alterum quidem nulla doctrina, naturæ quoddam donum eſt; di-*

dicendi autem poteſtas, multa exercitatione, aſſiduoque labore, & imitatione veterum comparanda erit. Atque hæc extrà artem ſunt, neque me consultore opus habent. Neque enim prudentem ſive intelligentem & acutum eum, qui non naturà talis fuerit, libellus hic meus promittit, quoniã magni ſanè æſtimandus, imò omnibus anteferendus foret, ſi transformare, & quaſi novo quodam ornatu induere hujuſmodi ille poſſet, putà vel ex plumbo aurum reddere, vel ex ſtanno argentum efficere..... Quamobrem, abſit à nobis hæc in-

invidia promissionis, ut artem aliquam rei adeò magnę ac difficili nos invenisse dicamus. Neque enim quemvis acceptũ reddere Historicum nos velle dicimus, sed ei, qui naturà intellectu bono pręditus, & ad dicendum quàm optimè exercitatus fuerit, viã quamdam ostendere (si modo talis ulla apparet) qua utendo, citiùs atque aptiùs ad finem & scopum usque quò tendit, pervenire possit. Talis mihi sit Historicus, ut & metu careat, &, quemadmodùm Comicus ille ait: ficus ficus, ligonem ligonem nominet: *non odio, neque ami-*

amicitiæ quidquam tribuens, aut miserescens, aut erubescens, aut exorari se facilè patiens, æqualis Judex, ac benevolus omnibus, eò tamen usque, dum ne alteri plus æquo aliquid tribuat: hospes in libris ac peregrinus, suis legibus vivens, nullius imperio subjectus, non quid huic, aut illi placiturum sit, secum cogitans, sed id quod actum est, exponens. Sicut autem mentis Scriptoris scopum hunc proponimus, libertatem dicendi videlicèt & veritatem; ita & voci ejus unus hic scopus & primus propositus sit, ut planè indi-

dicet, & quàm dilucidissimè rem ipsam declaret verbis neque obscuris, & extra communem viam positis, neq; etiam vulgaribus istis, & tabernariis, sed ita ut à plerisque intelligantur, & ab eruditis laudentur. Jam verò & figuris & exornationibus utatur minimè molestis, minimèque affectatis, quoniàm, perinde ac jus aliquod, orationem quoque rectè conditam exhibere debet. Hactenus *Lucianus* in libello, cui hunc indidit titulum: *Quomodo Historia scribenda sit?* quique Græco Latinus, juxta interpretationem *Jacobi Mi-*

Micylli , extat Tomo 2. Operum *Luciani* Editionis Basileanæ pag. mihi 361.

HI-

HISTORIA ECCLESIASTICA

Sæculi Decimi ſeptimi,

COLLOQUIUM V.

De Viris Illuſtribus qui Sæculum Decimum ſeptimum Doctrina & pietate nobilitarunt.

M. 
RODIERUNT Sæculo XVII. innumeri penè Scriptores, qui non ſolùm Artes ac Diſciplinas liberales priſtino ſuo ſplendori reſtituerunt, & linguarum exoticarum, præſertim, Hebraicæ & Græcæ, notitiam uſumque revocarunt, verùm etiàm Sacræ Vetuſtatis amantes, indefeſſo labore Eccleſiarum Scrinia, Monaſteriorum Archiva, Principum Chartophylacia perveſtigarunt, indèque in lucem produxerunt antiquorum Patrum cùm Græcorum, tùm Latinorum monumenta; Eccleſiæ politiam, Diſciplinam, & Ritus lato ac diſerto calamo explicarunt; Conciliorum Decreta, Martyrum, Sanctorumque Acta, Imperatorum Edicta, Regum, Principumque Diplomata publicâ luce donarunt; antiqua Eccleſiæ Dogmata contra Hæreticos invictè propugnarunt; Sacram Scripturam, germanam Theo-

logiam, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Critices, & Chronologiæ Diſciplinas diligentiſſimè excoluerunt, quorum ſubindè alii dicti ſunt *Exegetici*, quòd Scripturas Sacras perdoctis ſuis Commentariis expoſuerint; Alii *Dogmatici*, quòd Catholicę Fidei Dogmata pertractarint; Alii *Polemici*, quòd Romanæ Eccleſiæ Cauſam in Controverſiis eo Sæculo agitatis adversùs Judæos, Gentiles, & Hæreticos ſtrenuè defenderint; Alii *Theologi*, quòd de rebus ad Theologiam ſpectantibus libros, Tractatus & Commentarios ediderint; Alii *Hiſtorici*, quòd res in Eccleſia quolibet Sæculo geſtas poſterorum memoriæ commendarint; Alii *Critici*, quòd de obſcuris, dubiis & ſpuriis Operibus, necnon de Authorum ſtylo & ætate judicium tulerint; Alii *Chronographi*, quòd quælibet Hiſtoriæ Geſta ad certas periodos, vel ad ſingulos annos, habitâ accurati temporis ratione, redegerint; Alii *Aſcetici*, quòd de rebus Spiritualibus ac Moralibus ſcripſerint; Alii *Juriſtæ*, ſeu *Canoniſtæ*, quòd de Jure tàm Civili, quàm Canonico Interpretationes, ac Lucubrationes vulgarint, alii denique appellati ſunt *Biographi*, quòd Acta Sanctorum, vel Vitas doctrinâ & pietate Virorum illuſtrium collegerint; litteriſque mandarint. Ne igitur tot Scriptorum, qui Sæculum decimum ſeptimum maximè illuſtrarunt, numero obruamur, hanc, quam tibi gratam fore exiſtimo, methodum inibimus, ut in recenſendis Scriptoribus cujuſcumque nationis, vel in proferendis Monachorum, vel Regularium Ordinum Viris Illuſtribus, eos dumtaxàt in medium producamus, qui majori cum laude in tractandis hiſce argumentis, quæ mox indicavimus, ſtudium ope-

operamque posuerunt; alioquì infinitum penè laborem, difficilem provinciam, vastumque aggrederer opus, si de omnibus Scriptoribus universìm dicere vellem, meque profundo & immenso mari committerem, ex quo emergere non possem, nescius ubi mihi vadum tentandum esset. Præcipuos igitur & nobiliores dumtaxat Sæculi XVII. Scriptores, qui fuerunt vel *Exegetici*, seu Scripturæ Sacræ Interpretes, vel Dogmatici, vel Polemici, vel Theologi, vel Historici, vel Critici, vel Chronologi, vel Ascetici, vel Juris Civilis & Canonici periti, vel qui denique in Actis Sanctorum, & Virorum Illustrium Vitis colligendis ac conscribendis felicitèr insudarunt, ad duodecim Classes revocabo, in quarum prima agam de Scriptoribus Gallis. In Altera de Italis. In tertia de Germanis, Belgis & Batavis. In quarta de Hispanis. In quinta de Anglis. In sexta de Monachis. In septima de Viris Illustribus Ordinis FF. Prædicatorum. In octava de Scriptoribus Ordinis S. *Francisci*. In nona de Augustinianis. In decima de Carmelitanis. In undecima de eximiis ac doctissimis Viris Societatis *Jesu*. Postremam Classem claudent celebriores Congregationis Oratorii *Jesu* Scriptores. Hæc immensa eruditorum Sæculi XVII. Scriptorum in omni scientiarum genere copia tibi ob oculos ponet præstantiam ejusdem Sæculi, quod cætera Ecclesiæ Sæcula omnigenæ doctrinæ apparatu & ubertate æquavit, aut fortasè superavit, tibique, ut spero, stimulos subdet ad legenda identidèm horumce Clarissimorum Scriptorum Opera, ut his armis munitus, Hæreticorum nostri temporis tela retundere, sophismata diluere, &

Romanæ, ſeu Catholicæ Eccleſiæ cauſam adversùs eos feliciter propugnare poſſis.

D. Jàm probè novi, nullum Sæculum præſtantiſſimorum hominum, præſertim in Galliis, feracius unquàm fuiſſe Sæculo Eccleſiæ decimo ſeptimo, quo, regnante Chriſtianiſſimo Rege *Ludovico XIV.* Literatorum Mæcenate munificentiſſimo, liberales Artes, Scientiæ, ac Diſciplinæ refloreſcere cæperunt, & maximum ſuſcepêre incrementum. A' Gallis itaque Scriptoribus exordium ducamus, & primò recenſe Cardinales & Epiſcopos. Dein, eos, qui Clero Sæculari fuerunt addicti, potiſſimùm Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctores, vel Theologiæ Profeſſores, denique doctiores Laïcos, qui in variis Diſciplinarum generibus, præcipuè in notitia Juris Civilis & Canonici, excelluerunt. De Gallis verò Scriptoribus, qui vel Monaſticam, vel Regularem Vitam amplexi, eodem Sæculo XVII. floruerunt, commodiùs diſſeremus in his claſſibus in quas illos ordinaſti.

M. Duo inſignes Cardinales Sæculo XVII. magnâ nominis celebritate in Galliis claruerunt, videlicèt *Jacobus David*, vel, ut alii dicunt, *Davitius*, aut *Davius Perronius*, & *Armandus Pleſſæus Richelius*, qui ad debellandos Calviniſtarum errores, eorumq; Hereſim in Galliis ſerpentem radicitùs extirpandam totis ingenii & eloquentiæ viribus allaborarunt, atque omnem curam, induſtriam ac laborem contulerunt. Primus, ſeu Cardinalis *Perronius*, è parentibus nobilitate quidèm claris, ſed Calvinianæ Sectæ addictis, in Normannia inferiori ortus eſt. Adoleſcens factus, cognitis, atque abjuratis, divinâ affulgente gratiâ, Parentum

tum erroribus, quos cum lacte ſuxerat, Clericalem amplexus eſt Statum, & egregius evaſit Catholicæ Fidei defenſor, malleuſque Hæreticorum. Ingenio ſublimi & acuto, judicio excuſſo, eruditione ſolidâ, memoriâ tenaciſſimâ admirandus, Theologus nemini ſecundus, Latino ac Vulgari ſermone elegantiſſimus, in Antiquitate cùm Eccleſiaſticâ, tùm prophanâ, in lectione SS. Patrum, Conciliorum & Scriptorum Eccleſiaſticorum verſatiſſimus, omnes ſui Sæculi Scriptores facilè ſuperavit. Ebroicenſis primùm Epiſcopus, deindè Archiepiſcopus Senonenſis, tandèm S. R. E. Cardinalis, magnuſque Franciæ Eleemoſynarius fuit. Plures ad Catholicæ Religionis gremium reduxit. Doctiſſima, cedroque digna in Hæreticos ſcripſit Opera, in quibus eorum errores profligavit, indèque dictus Hæreticorum ſui temporis flagellum. in celebri Diſputatione, quam anno MDC. præſente Chriſtianiſſimo Galliarum Rege *Henrico IV.* habuit, *Philippum Mornæum Pleſſæum*, famoſum id ætatis in Galliis Hæreticum Calviniſtam, turpiſſimo ſuffudit pudore, & coràm deputatis à Rege hinc inde, ideſt, tam pro parte Catholicorum, quàm Hæreticorum judicibus, adeò luculenter demonſtravit, hunc Hæreticum reum eſſe infinitarum falſitatum, & in citandis Sanctorum Patrum teſtimoniis, vel in referendis Theologorum Scholaſticorum opinionibus multarum interpolationũ, depravationũ, & corruptelarum, quibus à capite ad calcem ſcatebat liber, quem Gallico idiomate *de Miſſæ abuſibus, & antiquo Euchariſtiæ Uſu* ſcripturierat, ut ille Hæreticus palàm convictus, vehementiſſimo lapſuum ſuorum dedecore perculſus, ac graviſſimo

inde morbo correptus, *Salmurum*, cujus Urbis Præfectus erat, sese confestim receperit, sicut jam observavimus in Colloquio quarto in Historiam Sæculi XVI. E' vivis excessit doctissimus Cardinalis *Perronius* die v. mensis Septembris an. MDCXVIII. ætatis suæ LXIII. Reliquit Vir ille eximiæ eruditionis & multarum adversùs Hæreticos palmarum, complura ingenii sui monumenta, inter quæ reperitur eruditissima illa *Replica*, seu Responsio ad *Jacobum I.* Magnæ Britanniæ Regem, in qua Ecclesiæ Romanæ doctrinam ab Hæreticis impetitam eâ eloquentiæ & eruditionis copiâ, vi & argumentorum efficaciâ adstruit, defendit, ac demonstrat, ut *David Blondellus*, magni licèt apud Hæreticos nominis, in refellendis duobus solis capitibus, seu vigesimo quinto & vigesimo sexto libri primi prædictæ ad Majoris Britanniæ Regem *Replicæ*, octodecim annos impenderit, seu potiùs oleum & operam perdiderit. Omnia Opera, quæ lucubravit Cardinalis *Perronius*, tribus Tomis in Folio comprehensa Parisiis publicam in lucem prodierunt annis MDCXX. & XXII. Extat etiam aliud volumen complectens Legationes, ac negotiationes summi momenti, quas maximâ cum laude obivit Cardinalis *Perronius*, quodque Parisiis anno MDCXXIII. à *Cæsare Ligny*, qui eidem Cardinali fuerat à Secretis, publicatum est. Plura de Doctissimo illo Cardinali legesis in libro cui titulus est: *Gallia Purpurata*. In reducendis ad gremium Ecclesiæ Hæreticis sui temporis egregiam itidèm operam navavit alter Cardinalis, *Armandus Joannes Plessæus*, Dux *Richelius*, natione Gallus, Par Franciæ, & totius Galliarum Regni primus Minister Regius,

Lu-

Lucionensis Episcopus, & tandèm S. R. E. Cardinalis à *Gregorio XV.* Pontifice Maximo creatus, qui non solùm in gerendis Regni negotiis, sed in promovendis Litteris, Artibus & Scientiis, ingenii præstantiâ magnus, nihil antiquius habuit, quam ut Calvinianam Hæresim, quæ tum temporis Gallias infestabat, penitùs exterminaret, & eos, qui hac pestiferâ Hæresi erant infecti, ad Catholicæ Romanæ Ecclesiæ sinum, sicut devias & errantes oves, revocaret. Eam ob rem, eruditum scripsit *Controversiarum Tractatum*: *Catechismum*: *Methodum facilem & tutam reducendi ad Ecclesiam Romanam eos, qui ab ea sunt separati*: & Tractatum Ascecticum *de Perfectione Christiani*. Quanto autem studio & affectu viros Litteratos, ac præsertim Theologos prosequeretur Cardinalis *Richelius*, probant ac prædicant ea, quæ adhùc supersunt, profusæ ipsius ergà eos liberalitatis monumenta, quorum unum instar omnium esse debet amplissimum illud ac sumptuosum ædificium Collegii & & Ecclesiæ Domus Sorbonæ, cujus erat Doctor ac Provisor, quodque magnificis Architecturæ operibus adornatum omnibus maximam admirationem movet. Obiit Parisiis die IV. mensis Decembris anni MDCXLII. ejusque Mausoleum visitur etiamnùm in Ecclesia Domus Sorbonæ magno Artificio elaboratum. His duobus Cardinalibus, qui in confutandis Hæreticorum erroribus strenuam operam adhibuerunt, alios adjungere possem Ecclesię Gallicanæ Purpuratos, videlicet *Henricum Petrum de Gondy*, Archiepiscopum Parisiensem, *Arnaldum D'ossat*, *Franciscum de Sourdis*, Archiepiscopum Burdegalensem, *Franciscum Rupifulcatium*, Gallicè

de la Rochefaucault, *Joannem Franciscum de Gondy de Retz* Archipræsulem Parisiensem & alios, qui omnes, ut videre est in libro *Petri Frizonii*, Doctoris Parisiensis, cui titulus est: *Gallia Purpurata*, non tàm Cardinalitiæ dignitatis splendore, quàm virtutum, & omnigenæ eruditionis fulgore Seculo XVII. emicuerunt. Verùm, ne longior sim, de his doctissimis Cardinalibus nihil in præsentia dicam. Consultò etiam hìc prætermittam pium juxta ac eruditum Cardinalem *Petrum Berullum*, Congregationis Oratorii Jesu in Galliis Institutorem, quia de illo in ultima Classe Scriptorum Sæculi XVII. in qua viros illustres Congregationis Oratorii Jesu reposuimus, opportuniùs sermonem habituri sumus. Venio nunc ad clarissimos Episcopos, qui magnâ nominis celebritate, & eximiæ doctrinæ laude in Galliis Sæculo XVII. præfulserunt, & ex his novem dumtaxat, ut brevitati studeam, hìc laudabo, quos majori præ cæteris aliis commendatione dignos judico, videlicèt *Petrum de Marca*, Archiepiscopum Parisiensem, *Gabrielem Albaspinæum*, Episcopum Aurelianensem, *Arnaldum Pontacum*, Episcopum Vasatensem, *Henricum Spondanum*, Episcopum Appamiensem, *Franciscum Genetum*, Episcopum Vasionensem, & *Franciscum Bosquetum*, Episcopum Monspeliensem, de quibus singillatim pauca dicemus. In primis, *Petrus de Marca* ex clarissima familia in Benearni Principatu in Aquitania ortus, primùm Conseranensis Episcopus, deindè Archiepiscopus Tolosanus, ac demùm Archipræsul Parisiensis fuit, in Antiquitate Ecclesiastica, & in controversis Fidei quæstionibus ex assidua Scripturæ Sacræ, & omnium Patrum, plurium-

riumque Scholæ Doctorum lectione eruditus, multa scripsit Opera. Historiam Patriæ suæ, & adjunctarum Provinciarum, anteà ipsis quoque indigenis incognitam, summâ curâ & diligentiâ ex veterum Actorum Fide, insertis passim perdoctis Observationibus, descripsit. Opus *de Concordia Sacerdotii & Imperii* edidit. Volumen quoque *Catalauniæ illustratæ*, seu *Marcæ Hispanicæ*, in quatuor libros tributum, concinnavit, in quibus Hispaniæ integræ, sed præcipuè Tarraconensis Provinciæ veteris, mediæ & recentioris geographica veterum testimonia, vix à quoquam antehàc intellecta, & inscriptiones antiquæ accuratè explicantur. Commentarium litteralem in Psalmos lucubravit, & Dissertationem *de Primatu Lugdunensi & de cæteris Primatibus* publicavit cum Notis ad Concilium Claromontanum. Varia etiam extant ejusdem *Petri de Marca* Opuscula posthuma, quæ post ejus obitum *Stephanus Baluzius* publicâ luce donavit, & extant in ejusdem *Baluzii* Miscellaneis. Obiit *Petrus de Marca* anno MDCLXXII. *Gabriel Albaspinæus*, Gallicè *de l'Aubespine*, Episcopus Aurelianensis, ex Illustrissima in Galliis familia oriundus, vir fuit totius Antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus, quemadmodùm libri, quos in lucem edidit, testantur, videlicèt, *de Veteribus Ecclesiæ Ritibus*: *Observationes ad Tertulliani, & Optati Milevitani Opera*: *Tractatus de Eucharistia*, in quibus antiquæ Disciplinæ monumenta studiosè pervestigat, illustrat, & eruditè pertractat. Migravit è Vita *Gabriel Albaspinæus* Gratianopoli die XV. mensis Augusti anni MDCXXIX. Postquàm Episcopatui præfuisset annis XXIV. Inter Episcopos Galliæ docti-

ctrinâ insignes jure optimo locum obtinere debet *Arnaldus Pontacus* , Gallicè de *Pontac* , ex illustri stirpe Burdegalensi genus suum ducens, quippè qui ad Episcopatū Vasatensem provectus, probitate vitæ,eruditione,& sollicitudinis Pastoralis laude pręstans , atq; Hebraicarū & Gręcarū Linguarū notitiâ prędítus,egregios edidit Commentarios in *Abdiam* Prophetam, Chronicon *Eusebii* eruditis Notis illustravit, & Opus Polemicum scripsit contra *Plessæum Mornæum*,Hæreticum Calvinistam. Hunc Episcopū in tanto honore habebat *Gilbertus Genebrardus*,Archiepiscopus Aquensis,ut suam Chronologiā ei nuncupaverit.E' vivis Excessit *Arnaldus Pontacus* die XIV.Februarii anni MDCV.Ejus Elogiū texit *Antonius Possevinus* in Apparatu Sacro . In refellendis Hæreticorum Sæculi XVII. erroribus primas inter Episcopos Galliæ tenet *Jacobus Benignus Bossuet* , Meldensis Episcopus , Divione in Burgundia claris natalibus ortus , Parisiensis Facultatis Doctor eximius , Serenissimi Galliarum Delphini, *Ludovici XIV*. Christianissimi Regis filii , præceptor eruditione nulli secundus , qui toto Vitæ suæ tempore in Hæreticos desudans pugnavit Scripto , verbo & exemplo, eosque,ab Ecclesia Romana extorres , ut in rectam veritatis semitam revocaret , scripsit Gallicè varia Opuscula erudita , & inter illa præsertim , perdoctam ac mirabilem *Fidei Catholicæ* edidit *Expositionem* , quæ ubique gentium summo cum applausu illicò recepta fuit , eruditorum omnium calculo probata , laudata , & in diversas linguas , Italicam, Germanicam, Anglicam, Hibernicam , Latinam , & Belgicam , versa . Scripsit etiam idem Episcopus adversùs Hæreticos au-

reum

reum Opus, seu *Historiam de Variationibus Ecclesiarum Protestantium*, duobus Tomis in quarto comprehensam, in qua Hæreticorum Lutheranorum, & Calvinistarum multiplices in Fide Variationes aperit, soleque clariùs evincit, ejusmodi Hæreticos non Evangelii, sed doctrinam temporum sectari. Calamum quoque acuit idem celebris Episcopus Meldensis in pseudo-Mysticos, dictos *Quietistas*, impuri *Michaelis Molinosi* discipulos, & librum *Francisci de Solignac Fenelon*, Archiepiscopi Cameracēsis, qui illis pseudo-Mysticis haud parùm favebat, multis editis lucubrationibus egregiè confutavit. *Expositionem in Apocalypsin* Gallico idiomate exaravit, & libros Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastes, & Cantici Canticorum Notis Latinis illustravit. Sub finem Vitæ suæ acerbis doloribus cruciatus, *Expositionem* edidit hujus *Isaiæ* Prophetiæ: *Ecce Virgo concipiet &c.* & ut mortem, quam sibi imminere sentiebat, erecto animo, hilarique vultu adspicere posset, interpretatus est Psalmum vigesimum primum, in quo Passio Christi Domini nostri à Regio Propheta graphicè describitur, sicque scribendi simul & vivendi finem fecit die XII. mensis Aprilis an. MDCCIV. Magnum apud Viros eruditos sibi nomen peperit *Antonius Godeau*, Episcopus Venciensis, qui improbo labore multa Opera publici juris fecit, quæ styli elegantiâ & doctrinæ puritate cum summâ oblectatione leguntur, & ab omnibus expetuntur. Scripsit patrio, seu Gallico sermone, *Paraphrases in omnes S. Pauli Epistolas, septem Canonicas, & Psalmos Davidis: Historiam Ecclesiasticam, quatuor priora complectentem Ecclesiæ Sæcula: Orationes funebres: duos*

li-

libros Christianæ Poëseos: *Institutionem Principis pro Rege Christianissimo Ludovico XIV*. *Vitas Sanctorum Pauli, Augustini, Caroli Borromæi*: *Elogia Episcoporum, qui in omnibus Ecclesię Sæculis, doctrina & Vitæ sanctimonia floruerunt*: *Constitutiones Synodales*, & alia plura Opuscula. Interfuit Comitiis Generalibus Cleri Gallicani habitis anni MDCXLV. & MDCLV. in quibus Episcopalis auctoritatis jura, necnon Christianæ doctrinæ moralis puritatem contra laxiores Casuistas, qui eam nefandis corruptelis adulterabant, acerrimè defendit. Tandèm meritis & famâ ubique clarus obiit die XXV. mensis Maii anni MDCLXXII. *Danielem Huetium*, Episcopum Abrincensem, Latini sermonis elegantia, linguarum Hebraicæ & Græcæ peritia, Historiæ Sacræ, Ecclesiasticæ ac Prophanæ exquisita & amplissima cognitio illustrem in Ecclesia, & in Republica literaria reddiderunt. Præter *Censuram*, quam edidit, *adversùs Philosophiam Cartesianam*, & librum, quem composuit, *de claris Interpretibus*, Editionem Operum *Origenis* Græco-Latinam adornavit, doctissimis Notis illustravit, eique attexuit *Tractatum*, cui Titulus: *Origeniana*, ubi Vitam *Origenis*, accuratum omnium ejus Operum Criterium, & Historiam Controversiarum, quæ in Ecclesia occasione vel librorum, vel doctrinæ, vel personæ *Origenis* fuerunt excitatæ, inseruit. Librum etiam de loco, in quo situs erat Paradisus Terrestris, scripsit, & ad *Eusebii* Episcopi Cæsariensis imitationem Opus edidit, cui titulus est *Demonstratio Evangelica*, in quo omni argumentorum genere contra Infideles probat antiquitatem, revelationem, inspirationem & authoritatem

sa-

ſacrorum librorum, contra verò Judæos demonſtrat, omnia Prophetarum Oracula de venturo Meſſia fuiſſe in Jeſu Chriſto Salvatore noſtro ad amuſſim impleta. Hoc Opus, omnigenâ eruditione ſacrâ & prophanâ refertum, longè præſtat aliis Operibus, quæ vulgavit clariſſimus ille Epiſcopus, qui paucis abhinc annis è vivis ſublatus magnum ſui viris eruditis reliquit deſiderium. In digerendis, atque illuſtrandis Eccleſiæ Annalibus diù multùmque inſudavit *Henricus Spondanus*, qui in Regno Navarræ natus, & in Calviniana hæreſi educatus, divinâ tamen adſpirante gratiâ, ex continua Cardinaliũ *Perronii* & *Bellarmini* Operum lectione (ſicut ipſemet fatetur, immò gloriatur, in libro *de Cœmeteriis ſacris* à ſe vernaculâ, ſeu Gallicâ linguâ, edito) ex errorum tenebris emerſit, & Catholicam Fidem amplexus eſt. Ob ſuam eximiam eruditionem cum ſingulari pietate conjunctam ad Epiſcopatum Appamienſem promotus, populum ſibi commiſſum quà verbo, quà exemplo docuit, ad pietatem informavit, pluresque libros conſcripſit, quos inter cenſentur jam laudatus liber *de Cœmeteriis ſacris*, Gallico primùm, deindè latino idiomate donatus, multiſque auctus: *Annalium Eccleſiaſticorum Cardinalis Baronii Epitome* duobus Tomis comprehenſa: *Annales ſacri à Mundi creatione ad ejuſdem reparationem*: *Continuatio Annalium Eccleſiaſticorum* ab anno MCXCVIII. quo Cardinalis *Baronius* deſiit, uſque ad finem anni MDCXL. in duos Tomos diſtributa. Si *de Henrico Spondano* plura ſcire deſideres, legeſis ejus vitam, à *Petro Frizonio* Theologo Pariſienſi deſcriptam, quæ extat in fronte primi Tomi ejuſdem *Spondani*

Con-

Continuationis Annalium Ecclesiasticorum Baronii. Ad repurgandam doctrinam moralem à corruptelis, quas nonnulli laxiores Casuistæ invexerant, animum appulit *Franciscus Genetus*, patriâ Avenionensis, & ejusdem Urbis Academiæ in Sacra Theologia & in utroque Jure Doctor. Ab Eminentissimo Cardinali *Hieronymo Grimaldo*, Aquisextiarum Archiepiscopo, ad instituendum Seminarium accitus est, ibique per quinquennium doctrinam moralem docuit. Deindè, ab *Innocentio Undecimo* Pontifice Maximo Vasionensis Episcopus creatus, omnia Episcopalia munia incredibili zelo obivit. Doctrinam moralem ad normam Scripturæ Sacræ, Sacrorum Canonum, doctrinæ Sanctorum Patrum, præsertim SS. *Thomæ* & *Antonini*, idiomate Gallico composuit, eamque, promovente doctrinâ & pietate celebri Cardinali *le Camus*, Episcopo Gratianopolitano, typis commisit, quæ ita omnibus probata est, ut multis Editionibus pervulgata, Parisiis, mox Venetiis in Latinam Linguam versa prodierit. Obiit *Franciscus Genetus*, Episcopus Vasionensis, die XVII. mensis Octobris anni MDCCII. aquis suffocatus, dùm torrentem lecticâ vectus trajiceret, vix ætatis annum sexagesimum tertium ingressus. Hìc prętermittere non debeo *Josephum Mariam Suarem*, in Sede Episcopali Vasionensi *Francisci Geneti* illustrem prædecessorem, qui patriâ fuit itidèm Avenionensis, Græcè ac Latinè doctus, Antiquitatis sacræ & prophanæ studiosissimus, & *Urbano Octavo* Pontifici Maximo gratissimus. *Nili* Abbatis Opera è Græco Latinè versa typis Barberinis Romæ excusa publici juris fecit, multaque doctissima

ſima in lucem edidit Opuſcula, quorum Catalogum texit *Leo Allatius* in *Apibus Urbanis* ſeu *de Viris Illuſtribus*. Vitâ functus eſt *Joſephus Maria Suares*, Epiſcopus Vaſionenſis, anno MDCLXXIII. Denique, inter Epiſcopos Eccleſiæ Gallicanæ doctrinâ & pietate Sæculo XVII. inſignis fuit *Franciſcus Boſquetus*, patriâ Narbonenſis, Latinæ Græcæque & Hebraicæ linguarum notitiâ præditus, juriſprudentiæ peritiâ maximè claruit. Primùm Luteveniſis Epiſcopus anno MDCXLVIII. à Chriſtianiſſimo Rege *Ludovico XIV*. deſignatus eſt, deinde anno MDCLV. translatus ad Epiſcopatum Montis Peſſulani, obiit anno MDCLXXVI. Plura perdocta, cùm Hiſtorica, tùm Canonica ſcripſit Opera. *Epiſtolas Innocentii III.* Pontificis Maximi Commentariis Hiſtoricis illuſtravit; *Vitas Pontificum Avenione ſedentium* præclaris Notis auxit; *Synopſim Legum* Græcam *Michaelis Pſelli* elucidavit Juris Annotationibus; *Eccleſiæ Gallicanæ Hiſtoriarum exordia* quatuor libris, à primo Chriſti in Gallias Evangelio ad datam Eccleſiæ pacem, publici Juris fecit, ſed earum continuatio deſideratur, & necdùm prodiit in lucem, quamvis à Viris Litteratis multùm expetita, ſicut & alia ejuſdem Authoris Opera MSS. quæ adhuc in Bibliothecis aſſervantur. Sed hactenùs ſatis dictum ſit de Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopis, qui Sæculo XVII. Catholicam Fidem ab Hæreticis impetitam ſtrenuè vindicarunt, doctiſſimis libris illuſtrarunt, & vitæ ſanctioris exemplo, tanquàm ſale optimo, in populorum cordibus incorruptam condierunt atque conſervarunt; de quibus ſi plura ſcire aveas, adire poteris *Galliam Chriſtianam*, quæ primum à *Scævola*, & *Ludovi-*

vico fratribus *Sammarthanis*, Gallicè *de Sainƈte Marthe*, edita eſt; deindè à *Petro Abelio*, & *Nicolao*, filiis *Scævolæ Sammarthani*, pluribus acceſſionibus, & adjectâ etiam Hiſtoriâ Galliæ Abbatum aucta, in quatuor Volumina excrevit, ac demùm paucis abhinc annis à *Dionyſio Sammarthano*, Monacho Ordinis S. *Benedicti* è Congregatione S. *Mauri*, multis conquiſitis undique monumentis locupletata, pulchrèque caſtigata, & ad noſtram uſq; ætatẽ producta prodiit in lucẽ Pariſiis an. MDCCXV.

D. Gaudeo plurimùm, quòd Eccleſia Gallicana Sæculo XVII. tot ſtrenuos in extirpandis Hæreſibus, in amplificanda Religione doctiſſimos dederit Cardinales & Epiſcopos, vindices Catholicę Fidei, cuſtodes antiquæ Patrum traditionis, acerrimos propugnatores Eccleſiæ laborantis, ejus hoſtium repreſſores, defenſores honoris & ſalutis. Sed alios, ſi placet, percurramus Scriptores, qui eruditionis præſtantiâ Sæculo XVII. in Galliis floruerunt.

M. Dies profectò me deficiet, ſi ſingulos impræſentiarùm appellare velim Scriptores, qui Sæculo XVII. eruditionis famâ celebres in Galliis extiterunt. Illuſtriores igitur dumtaxàt, quorum Opera aliquam Eccleſiæ utilitatem afferre poſſunt, hìc laudabo, & ut ſedulò caveas à lectione quorumdam Galliæ Scriptorum, qui, licèt Catholici, & Clero addicti, effrænis tamen & intemperantis Critices vitio laborantes, malè audiunt; eos in anteceſſum brevitèr indicabo. Primus eſt *Joannes Launojus*, Conſtantiæ in Normannia, Galliarum Regni Provinciâ, natus, Doctor Sacræ Facultatis Pariſienſis, Vir quietis impatiens, quâ nec ſe, nec alios

alios frui ſinebat, & nativâ quâdam titillatus prurigine ſugillandi, ac jure vel injuriâ carpendi Viros illuſtres, calamum felle tinctum in plures acuit, receptasque communi piorum ſuffragio opiniones laceſſivit argumentis ut plurimùm negativis; quæ incerta & infirma eſſe luculentèr contra eumdem *Launojum* evincit benè longâ & eleganti Exercitatione *Joannes Baptiſta Thiers*. Certè, ut liberè dicam, quod olim de moroſiori quodam Cenſore lepidè ajebat *Tullius Cicero*, illum videlicet *Grammaticæ non Ariſtarchum eſſe, ſed Phalaridem*: in *Joannem Launojum*, nuperum Criticum, jure optimo detorqueri poteſt, eum videlicet multarum traditionum & opinionum non Ariſtarchum, ſed Phalaridem fuiſſe. Ille quippè eſt ſuperciliosus Cenſor, qui non ferro, ſed ferreo calamo in plures receptas opiniones ac traditiones temerario auſu graſſatus eſt, qui facta omnia infecta eſſe pertendebat, qui totus fuit in vetuſtiſsimis quibusque Sanctis è Cœlo pro virili parte detrudendis, quaſi depopulandi Cœli partes ſibi deſumpſiſſet; qui S. *Dionyſium Areopagitam*, Galliarum Apoſtolum fuiſſe apertâ fronte negavit; Phocenſes defraudavit S. *Magdalenæ* ad Portum Maſsilienſem appulſus, & apud ſe aliquot annis vitæ ſanctiſsimè tranſactæ monumentis, quæ cedunt in decus illius gentis ſempiternum; qui plura Monaſteria à juribus & privilegiis, longâ non ſolùm annorum, ſed etiam Seculorum ſerie confirmatis, depellere aggreſſus eſt; qui Primatus Romani Pontificis jura omni ſtudio elevare molitus eſt; qui Religioſos Carmelitas deturbare voluit eâ, quæ apud illos obtinet, originis ſuæ ex *Elia* & *Elizeo* repetitæ, vel Scapularis *Simoni Stoko* à Vir-

gine Dei-parâ concessi opinione; qui denique, ut cætera alia missa faciam, S. *Thomæ Aquinati*, Doctori Angelico, non pepercit, eique Summam Theologicam tripartitam ficulneis conjecturis, quas in superioribus Colloquiis exsufflavimus, abjudicavit, multaque id genus in his, quæ edidit, Operibus tractavit argumenta, à quibus, si illam, quâ laborabat, scripturiendi cachoetem, & pruriginosam de omnibus dubitandi libidinem cohibere potuisset, in integrum supersedere debuisset. Quod cùm non fecerit, & impotenti suæ libidini singula quæque, quæ ad ipsius salivam non erant attemperata, in dubium præpostere revocandi absque ullo fræno indulserit, indelębilem importuni, morosi, & superciliosi Censoris notā nomini suo inussit. Obiit *Joannes Launojus* die x. mens. Martii an. MDCLXXVIII. Alter intemperantioris Critices Scriptor Gallus est *Ludovicus Ellias Dupinus*, patriâ Parisinus, & Facultatis Parisiensis Doctor, qui *Joannis Launoji* cùm esset discipulus, ejus vestigia ubique pressit, & in his, quæ edidit, Operibus, præsertim in sua *Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum*, quæ novemdecim Tomos complectitur, de Romanis Pontificibus parùm reverenter loquitur, in Sanctorum Patrum Opera, stylum & doctrinam, quasi pro Tribunali sedens, virgam censoriam exercet, Sanctorum Ecclesiæ Doctorum *Augustini* & *Hieronymi* Opera deprimit, Scriptorum Ecclesiasticorum lucubrationes pro suo gustu & arbitrio aut contemnit, aut extollit; Viris Regularibus, quos vulgò *Mendicantes* appellamus, præcipuè Fratribus Prædicatoribus, se se passim infensum prodit, eorumque Opera parvi facit; receptas traditiones, & opi-

opiniones, quæ Fidelium pietatem alere possunt, tanquàm fabulas, superstitiones, & putida commenta irridet, explodit, exsibilat, atque infelicibus conjecturis abolere conatur; uno verbo *Dupinus* Dictaturam nescio quam, sine eruditorum suffragiis, in liberrima Republica litteraria sibi arrogat, & si quos à se vel minimùm dissentientes putat, illicò plautino sanè illos defricat, & tanquàm Critices Disciplinæ penitùs ignaros traducit ac vellicat. Parisijs nuperrimè diem ultimum clausit *Dupinus*. Inter Gallos intemperantioris Critices Scriptores reponuntur quoque *Hadrianus Bailletus*, & *Petrus Faidit*, ambo Sacerdotes. Horum primus, in pago propè urbem *Bellovacum* natus, multa Opera conscripsit, sed sub specioso obtentu repurgandi Vitas Sanctorum à fabulis, quæ in eas irrepserant, & vera Acta ac monumenta secernendi à falsis & spuriis, in aliud extremum impegit in describendis Vitis Sanctorum, quas quatuor Tomis in folio complexus est. Plurima siquidem Acta Sanctorum, & traditiones in Ecclesiis receptas, aut in dubium revocavit, aut inficias ivit, multis miraculis, & revelationibus fidem omnem detraxit, totumque Opus suum variis Observationibus, eruditis quidèm, sed quæ severiorem in hoc argumento Criticam olent, & piorum animos offendere possunt, implevit. Obiit Parisiis *Joannes Bailletus* die XXI. mensis Januarii anni MDCCVI. Alter verò, seu *Petrus Faidit*, ex Arvernia, Galliæ Provinciâ, ortus, præter aliqua Historico-Critica Opuscula, quæ Gallicè contra *Sebastianum Tillemontium* scripsit, Theologum agere voluit in libro, quem Gallicè anno MDCXCVI. edidit de *Sanctissima Trinitate*, in quo

probandum suscipit, Cœlum non tam distare à terra, quàm Systema Theologorum de Sanctissima Trinitate distet à doctrina Sanctorum Patrum. Sed dùm Theologos Scholasticos impugnat ille pseudocriticus Author, lapsus est in *Tritheitarum* errorem, tresque distinctas essentias, seu naturas admisit in tribus Personis Divinis. Quem errorem eruditus P. *Hugo*, Canonicus Regularis Præmonstratensium Ordinis, perdoctâ Lucubratione anno MDCXCIX. editâ confutavit, & temerarium illum Criticum, falcem in alienam messem mittere præsumentem, ad palinodiam cõegit. Horum itaque Scriptorum, quos hactenùs indicavi, & aliorum intemperatæ & inordinatæ Critices hominum Opera lectitare non debes, quia sicut nihil utilius est Critices Disciplinâ, quæ temperata est, & ad certas, præscriptasque Regulas exacta, ita nihil perniciosius est inordinatâ Criticâ, quæ nullo fræno cohibita omnia in dubium revocat, & in monumenta, quæ pietatem & Religionem spectant, etiam impunè grassatur. Quâ de re legesis *Tractatum de Abusibus Critices Disciplinæ in iis, quæ attinent Religionem*, quem Pater *De Laubrussel*, Societatis Jesu, anno MDCCX. Gallicò idiomate edidit, & librum, quem nuperrimè, seu anno MDCCXIII. Parisiis vulgavit P. *Honoratus à Sancta Maria*, Carmelita Excalceatus, Gallico itidèm idiomate scriptum, quique hunc præfert titulum, sic latinè redditum: *Observationes super Regulis, & Usu Critices Disciplinæ circa Opera Sanctorum Patrum, Acta antiquorum Martyrum, & Vitas Sanctorum &c.* His semel indicatis immoderatæ Critices Scriptoribus Gallis, quorum Opera studiosa juventus manibus versare non debet,

bet, de aliis nunc nobis differendum incumbit ejusdem Nationis Gallicæ Scriptoribus, qui Clericali itidèm dignitate insigniti Sæculum decimum septimum eximiâ eruditione illustrarunt, & libros non minùs Ecclesiæ, quàm Reipublicæ Litterariæ utilissimos lucubrarunt. Sed quia vitam cujusque prosequi infiniti laboris esset, eorum dumtaxat nomina, atque præcipua, quæ ediderunt, Opera breviter indigitabo. Quod si aliquos ex his præsertim Scriptoribus, qui etiamnùm in Galliis vivunt, prætermisero, excusationem, opinor, merebitur silentium meum apud eos, quorum per ignorantiam magis, quàm ex contemptu nullam mentionem fecerim, cùm eorum & nomina & Scripta ad me non pervenerint. Inter Scriptores Gallos, qui Sæculo XVII. in Theologia sive Scholasticâ, sive Dogmaticâ, vel Polemicâ, vel Morali excelluerunt, hi potissimùm numerantur, quos hìc continuâ serie recensebo. *Andreas Duvvallius*, insignis Doctor Sorbonicus, & Regius Theologiæ Professor in Universitate Parisiensi primarius, scripsit librum contra *Edmundum Richerium*, Authorem libelli *De Ecclesiastica & Politica Potestate*; Opera etiam Theologica vulgavit, obiitque Parisiis anno MDCXXXVIII. *Nicolaus Isambertus*, patriâ Aurelianensis, Doctor & Professor Sorbonæ, egregiis Commentariis Summam S. *Thomæ* illustravit, & è vivis abiit die XIV. mensis Maji anni MDCXLII. Sub initium Sæculi XVII. floruit *Philippus Gamachæus*, Doctor Sorbonicus, qui de rebus Theologicis perdoctè scripsit, & obiit die XXI. mensis Julii anni MDCXXV. Claruit eodem Sæculo *Antonius Arnaldus*, Doctor Sorbonicus, qui plura Opera Theologica,

ſed præſertim Polemica contra Hæreticos Calviniſtas concinnavit, inter quæ duo potiſſimùm Gallicè ſcripta maximè celebrantur, unum videlicet, cui titulus eſt: *De perpetuitate Fidei Eucharistiæ*, alterum, cui hic titulus præfigitur: *Moralis Christiana erroribus Calvinistarum de justificatione omninò profligata*. Obiit *Antonius Arnaldus*, annos natus octoginta tres, die VIII. menſis Auguſti anni MDCXCIV. Catholicæ itidèm Religioni adversùs Calvinianos propugnandæ totum ſe addixit *Petrus Nicolius*, & eleganter atque eruditè ſcriptis Opuſculis Catholicæ Eccleſiæ Romanæ Fidem adversùs Heterodoxos illibatam tutatus eſt, obiitque Pariſiis die XVI. Novembris anni MDCXCV. Inter Caſuiſtas Sæculi XVII. Primas tenere debet *Jacobus Sanbovius*, Gallicè *De Sainte Beuve*, Doctor Sorbonicus, qui extremum diem clauſit XV. menſis Decembris anni MDCLXXVII. Conſcientiæ Dubiorum & Conſultationum Deciſiones, quas ad Scripturæ Sacræ, Canonum, & doctrinæ SS. Patrum, atque primi ſubſellii Theologorum normam exactas dederat, dùm adhùc in vivis eſſet, publicam in lucem poſt ejus obitum editæ ſunt anno MDCLXXXIX. MDCXCII. & MDCCIV. tribus Tomis in quarto collectæ. Duo etiam poſthumi Tractatus Latini, quos idem *Sanbovius* contra pſeudo-Miniſtrum *Dallæum* compoſuerat, prodierunt anno MDCLXXXVI. unus videlicet *de Sacramento Confirmationis*, alter *de Extrema Unctione*. Caſuiſtarum, ſeu Doctorum, qui de Morum Diſciplinâ tractarunt, Claſſi accenſeri quoque debet *Bonus Merbesius*, qui concinnavit *Summam Christianam*, ſeu *Orthodoxam Morum Disciplinam*, duos in Tomos in folio diſtributam, quæ (ut ait Car-

Cardinalis *Josephus de Aguirre* in Præfatione, quę est in fronte primi Tomi *Collectionis omnium Conciliorum Hispaniæ*) *videtur catena ferè continua Moralis Christianæ, ex Canonibus Conciliorum, & locis Sanctorum Patrum contexta, adversùs laxones quoslibet*. Adversùs spurios Mysticos, seu *Michaelis Molinosi* discipulos, eruditum librum scripsit *Joannes Grancolas*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, aliaque Opera de Doctrina Morali, sed præcipuè de rebus Liturgicis, de Ritibus, Cæremoniis, & Disciplinâ Ecclesiæ publicavit, quæ à Viris eruditis impensè laudantur. Comædias & Spectacula libro Gallicè edito datâ operâ impugnavit *Joannes Gerbesius* Doctor Sorbonicus contra P. *Cafaro*, Clericum Regularem Theatinum, Italum, patriâ Messanensem, qui Parisiis Latino Scripto, sed posteà Gallicè verso, Typisque mandato, Comædiarum, & Spectaculorum usum licitum esse docuit, facti tamen pœnitens, palinodiam in Epistola, quam scripsit ad Illustrissimum Archiepiscopum Parisiensem, decantavit, & Comædiarum ac Spectaculorum usum, velut Christianis omninò illicitum, & à Sanctis Patribus damnatum, reprobavit. Alia ejusdem *Joannis Gerbesii* de diversis argumentis extant Opuscula Gallicè scripta, & liber unus Latinè exaratus, cui titulus est: *De Causis Majoribus*. Lucubrationes, non minùs doctrinâ, quàm argumenti novitate singulares, ediderunt duo Sæculi XVII. Theologi, *Jacobus* scilicet *Boileau*, Doctor Sorbonicus, & *Joannes Baptista Thiers*, Sacræ Facultatis Parisiensis Baccalaureus, quorum primus, seu *Jacobus Boileau*, præter varia Opuscula, quibus Rempublicam Litterariam illustravit, *Tractatum* edidit

 in

in quarto *De Antiquis & Majoribus Episcoporum Causis*: insuper *Disquisitionem Theologicam de Sanguine Christi post Resurrectionem*: *Tractatum de necessitate Contritionis*, seu amoris Dei super omnia dilecti, *in Sacramento Pœnitentiæ*: *Historiam de Confessione Auriculari*: *Tractatum de Adoratione Eucharistiæ*: *Historiam Flagellantium*: & *Disquisitionem Historicam de re Vestiaria hominis sacri Vitam communem more civili traducentis*. Alter verò Scriptor, seu *Joannes Baptista Thiers*, Vir rerum reconditarum curiosus investigator, varias Dissertationes, vel Tractatus publici Juris fecit, præsertim *de Authoritate Argumenti negativi contra Launojum*: *Tractatus de Festis*: *De Expositione Sanctissimi Sacramenti*: *De Superstitionibus*: *De Jocis & Ludis*: *De Coma adscititia*, Gallicè *Perruque*, *Clericorum*; & de aliis id genus argumentis, quæ Lectores singulari voluptate perfundunt, & rarâ eruditione imbuunt, Obiit *Joennes Baptista Thiers* mense Martio anni MDCCIII. Denique, ut absolvam seriem Scriptorum, qui Sæculo XVII. in Clerum Sæcularem in Galliis adscripti de rebus Theologicis scripserunt, quinque dumtaxàt proferam Viros illustres, qui ad juvanda Clericorum studia Cursum Theologicum, ab inutilibus, frigidis, spinosis, & futilibus quæstionibus repurgatum, magnâ cum laude & omnium utilitate adornarunt. Primus est *Franciscus Feu*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, in Antiquitate Ecclesiastica, & in lectione Sanctorum Patrum, atque Scriptorum Ecclesiasticorum versatissimus, qui Cursum Theologicum in quatuor Tomos distributum, juxtà Scholasticam methodum aggressus, duos tantùm Tomos, quorum primus complectitur

tur Tractatus *De Deo, De Attributis Divinis, & De Sanctissima Trinitate*; Alter verò continet Tractatus *De Legibus*, *De Peccatis*, & *De Incarnatione*, publicavit; inopinatâ morte abreptus die XXVI. mensis Decembris anni MDCXCIX. Alter Scriptor est *Joannes Baptista Du Hamel*, Sacerdos, qui non solùm castigato & eleganti stylo composuit Cursum Philosophicum, cui titulus est: *Philosophia Vetus & Nova ad usum Scholæ accommodata*, sed etiam concinnavit integrum Cursum Theologicum octo Tomis in octavo comprehensum, in quo Quæstiones, quæ in Scholis ventilari solent, puro, terso, & penè Ciceroniano stylo pertractat, & Theologiam Scholasticam simul cum Positiva, seu Dogmatica, Polemica, & Historia Ecclesiastica miro artificio, ac perpetuo fœdere conjungit. Hujus Cursus Theologici Epitomen ad usum Seminariorum confecit *Joannes Baptista Du Hamel*, quam Parisiis anno MDCXCIII. Typis mandari curavit. Alium Scripturæ Sacræ studiosis utilissimum edidit librum, cui titulus est: *Institutiones Biblicæ*, & integra Biblia Sacra cum doctissimis Notis in omnes libros sacros cùm Veteris, tùm Novi Testamenti Parisiis anno MDCCV. Typis excusa in publicam lucem emisit. Obiit Parisiis *Joannes Baptista Du Hamel* die VI. mensis Augusti anni MDCCVI. Tertius Scriptor est *Martinus Grandin*, Doctor Sorbonicus, & Sacræ Facultatis Parisiensis Decanus, qui se se totum Theologiæ Scholasticæ studio dedit, ac diem extremum obiit die XVI. mensis Novembris anni MDCXCI. multaque reliquit Opera Theologica, quæ quinque Voluminibus comprehensa, post ejus obitum *Carolus Du Plessis D'argentrè*, Doctor itidem

Sor-

Sorbonicus, Parisiis prælo commisit anno MDCCX. eisque adjecit nonnullas Disputationes, quas ipse proprio marte lucubravit. Quartus Scriptor est *Nicolaus L'herminier*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, qui plures edidit Theologiæ Tractatus, in quibus clarâ & expeditâ methodo Quæstiones non solùm ad Theologiam Scholasticam, sed ad Positivam, seu Dogmaticam spectantes pertractat. Primus Tomus complectitur Introductionem ad Scripturam Sacram, & Tractatus De Deo, ejus Attributis, De Prædestinatione, De Trinitate, & De Angelis. Alter Tomus continet Tractatus de Incarnatione, De Gratia, & De Justificatione. Tertius Tomus comprehendit Tractatus De Actibus Humanis, & De Legibus. Quartus Tomus unicum habet Tractatum De Peccatis. Alios Tractatus Theologicos non absolvit *Nicolaus L'herminier*, cui plurimùm debet Schola *Scoti*, Doctoris Subtilis, quòd illius opinionem de Distinctione formali, actuali, ex natura rei, Latino, & Gallico idiomate acriter defenderit, eique novum robur ac lumen pro viribus addere tentaverit. Quintus denique Scriptor, est *Ludovicus Habert*, Doctor Sorbonicus, qui integrum Cursum Theologicum ad usum Seminarii Catalaunensis per breves Interrogationes & Responsiones contexuit, atque omnes ferè Quæstiones, quæ ad Theologiam Scholasticam, Dogmaticam, & Polemicam attinent, accuratâ methodo, nitido stylo, solidâ doctrinâ excussit, dilucidavit, præsertim illas, quæ ad Disciplinam morum, ad Sacramenta, eorumque administrationem pertinent, in quibus explanandis plùs temporis ac laboris impendisse videtur. Consultò

hìc

hìc prætermitto insignem quemdam Parisiensem Theologum, qui sub nomine *Petri Aurelii* latitare voluit, & cujus eximias Apologias, quas in defensionem Episcoporum, sicut jam in Colloquio III. observavimus, invicto animo suscepit, Clerus Gallicanus non solùm benignè excepit, sed etiam ad illum, licèt incognitum, perhonorificam scripsit Epistolam; noluit tamen ille Theologus, sub nomine *Petri Aurelii* latitans, solitudinis nimiùm amans, unquam prodire in publicum, & litteris jugiter intentus, complura scripsit Opera. Longam cum *Sirmondo* Societatis Jesu circa lectionem & verum sensum Canonis secundi Concilii Arausicani primi Controversiam habuit, sicut in Colloquio mox laudato ostendimus, & moriens, numero propè infinita manuscripta reliquit.

D. His celebrioribus, quos hactenùs laudasti, Cleri Sęcularis Viris illustribus, qui Sęculo XVII. in Galliis Theologiam Scholasticam, Dogmaticam, Polemicam, & Moralem doctissimis suis Lucubrationibus illustrarunt, atque Rempublicam Litterariam locupletarunt, optarem ut in præsentia alios adjungeres ejusdem Cleri Sęcularis Viros eruditos, qui in Galliis, sive in Sacrarum Scripturarum interpretatione, sive in notitia Historiæ & doctrinæ Sanctorum Patrum, sive in Theologia Ascetica, arteque concionandi præ cæteris aliis Scriptoribus excelluerunt.

M. In adornandis Scripturæ Sacræ in Linguam Vernaculam Versionibus eruditi quidam Viri in Galliis Sęculo XVII. studiũ, operamque posuerunt, videlicet Biblia Sacra ex Editione Vulgata Latinâ vertit Gallicè *Isaacus le Maître de Sacy* cum explica-

ca-

catione ſenſus litteralis & ſpiritualis excerptâ ex Sanctis Patribus, & Auctoribus Eccleſiaſticis. Novum verò Teſtamentum Gallicè tranſtulerunt *Antonius Godeau*, Epiſcopus Vencienſis, cujus ſuperiùs meminimus, *Michael de Marolles*, *Franciſcus Veron*, *Dionyſius Amelotte*, *Carolus Hurè*, Theologus Pariſienſis, *Dominicus Bouhours*, & alii. Sed obitèr obſervare debes, prodiiſſe eodem Sæculo tres Novi Teſtamenti Gallicas Verſiones, quæ ab Eccleſia fuerunt damnatæ. Prima eſt, quæ dicitur *Traductio Montenſis*, eò quòd Montium Hannoniæ, ubi Typis excuſa eſt, nomen in fronte gerit. Hæc autem Gallica Novi Teſtamenti Verſio, ſeu Traductio Montenſis, prohibita ac damnata fuit Romæ à *Clemente IX.* Pontifice Maximo, die xx. Aprilis anni MDCLXVIII. & ab *Innocentio XI.* die XIX. Septembris anni MDCLXXIX. Alteram Verſionem Gallicam Novi Teſtamenti, quam cum litteralibus & criticis Obſervationibus in loca difficiliora edidit *Richardus Simonius*, reprobavit Eminentiſſimus Cardinalis *de Noailles*, Archiepiſcopus Pariſienſis, quòd in ea quædam eſſent reprehenſione digna, Decretoque ſuo dato anno MDCCII. prohibuit, ne in ſua Diœceſi Pariſienſi vulgaretur. Idem paritèr egit duplici ſuâ Paſtorali Inſtructione datâ annis MDCCII. & MDCCIII. *Jacobus Benignus Boſſuet*, Meldenſis Epiſcopus. Tertiam Novi Teſtamenti Gallicam Verſionem, cujus Author eſt *Paſchaſius Queſnellus*, ſub hoc titulo: *Compendium Moralis Evangelicæ, ſive Conſiderationes Chriſtianæ ſuper Textum &c.* Hanc, inquam, *Paſchaſii Queſnelli* Gallicam Novi Teſtamenti Verſionem, ſimul cum centum & unâ Propoſitionibus ex prædictis *Queſnelli*

Con-

Considerationibus, seu in quemlibet Versum Observationibus, excerptis, damnavit Summus Pontifex *Clemens XI.* Constitutione datâ die VIII. mensis Septembris anni MDCCXIII. Sed missis illis Novi Testamenti Gallicis Versionibus; novam Sacrorum Bibliorum Hebraicorum, Samaritanorum, Chaldaicorum, Græcorum, Syriacorum, Arabicorum & Latinorum Editionem *Guido Michael le Jay*, juvantibus *Philippo Aquino*, *Joanne Morino*, Congregationis Oratorii Jesu Presbytero, *Gabriele Sionita*, *Abrahamo Ecchellensi*, & *Hieronymo Parent*, aggressus est, eamque magnis sumptibus Parisiis anno MDCXLV. *apud Antonium Vitrè* Typis excudi curavit; unde Biblia Heptaglotta, seu Polyglotta Domini *Michaelis le Jay*, vel Parisiensia vulgò nuncupantur. Hæc autem *Michaelis le Jay* Sacrorum Bibliorum Editio decem Voluminibus in Folio majori comprehensa est, quorum quatuor priora complectuntur Veteris Testamenti Textum Hebraïcum, Chaldaicum, & Græcum, additâ triplici Versione Latinâ; Quatuor verò sequentia Volumina continent Textum Syriacum & Arabicum cum suis Latinis Translationibus, geminumque Pentateuchum Hebræo-Samaritanum, & Chaldeo-Samaritanum cum una interpretatione Latina; Duo denique postrema Volumina exhibent Novum Testamentum Græcum, Syriacum, Arabicum, & Latinum. Hoc Opus præstantissimum, & magnis curis elaboratum, Virorum omnium eruditorum approbationibus fuit commendatum, si tamen excipias *Valerianum De Flavigni*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctorem, qui anno MDCXLVI. contra hanc *Bibliorum*, seu Po-

ly-

lyglottorum Parisiensium Editionem aliquot scripsit Epistolas, quas *Abrahamus Echellensis*, linguarum Orientalium peritissimus, paulò acerbiori stylo confutavit. Præter has versiones, & Sacrorum Bibliorum Editiones, in quibus concinnandis Sæculo XVII. in Galliis insudarunt Viri eruditi, alia quædam in Scripturam Sacram Opera lucubrarunt Scriptores Galli, quorum mentionem hìc breviter faciam. *Nicolaus Toinardus*, linguarum Orientalium, & rei antiquariæ callentissimus, *Harmoniam Græco-Latinam quatuor Evangeliorum* cum quibusdam Notis & Prolegomenis contexuit, & obiit anno MDCCVI. *Petrus Morinus*, linguarum Græcarum & Orientalium apprimè doctus, Vaticanæ Typographiæ Præfectus, in Bibliis tam Græcis, quàm Latinis, jussu *Sixti V.* Pontificis Maximi excusis, multum laborem insumpsit, veterumque Interpretum fragmenta, ex plurimis manuscriptis Codicibus primus collegit, obiitque anno MDCVIII. *Ludovicus Ferrandus* latinè scripsit Commentarium in Psalmos: *Institutiones Biblicas*: Gallicè verò edidit librum *Considerationum supra Religione Christiana*, quæ complectuntur explicationem Prophetiarum *Jacobi*: *Non auferetur Sceptrum de Juda &c.* & LXX. *Danielis* Hebdomadum de adventu Messiæ. Denique, *Philippus Codurc*, in linguarum Orientalium notitia versatissimus, eruditum composuit in librum Job Commentarium, & Dissertationem *de Genealogia Christi Domini*. Alios penè innumeros Scripturę Sacrę Interpretes, qui Monasticam, vel Regularem vitam profitentes Sæculo XVII. in Galliis floruerunt, hic de industria prætermitto, quia commodiùs de his dissere-

re-

remus in illis Classibus, in quas superiùs illos disposuimus. Venio nunc ad illos Cleri Sæcularis Scriptores Gallos, qui de rebus Historicis, Criticis, Liturgicis, Asceticis Opera ediderunt, vel vitas Sanctorum descripserunt, Et primò quidem *Josephus Antelmius* Criticas composuit Dissertationes *de Veris Operibus S. Leonis Magni, & Prosperi Aquitani*: Novam Disquisitionem *de Symbolo Athanasiano*, quod attribuit *Vincentio Lirinensi*: Dissertationes *de ætate S. Martini*: *de initiis Ecclesiæ Forojuliensis*, & Epistolam *de cultu & patria S. Maximæ*, quæ extat apud *Bollandum* in Actis Sanctorum mensis Maii Tom. 3. pag. 29. *Ludovicus Sebastianus le Nain de Tillemont* scripsit Gallicè Historiam Imperatorum, quinque Tomis comprehensam, & Historiam Ecclesiasticam in plures Tomos distributam. *Henricus Valesius*, Antiquitatis Ecclesiasticæ studiosissimus, *Eusebii*, *Socratis*, *Sozomeni*, *Theodoreti*, *Evagrii*, *Philostorgii*, & *Theodori Lectoris* Historiam Ecclesiasticam cum doctissimis Dissertationibus & Notis Græco-Latinam edidit. Excerpta quoque ex Collectaneis *Constantini Porphyrogenitæ* cum Notis Græco-Latina publici juris fecit. Ejus frater, *Andreas Valesius*, Historiam Francorum Gallico idiomate conscripsit, & plura monumenta ad eam attinentia publicavit. *Jo: Baptista Cotelerius*, Sacræ Facultatis Parisiēsis Baccalaureus, & linguarum Hebraicæ & Græcæ peritissimus, edidit *Monumenta Græco-Latina SS. Patrum, qui temporibus Apostolorum vixerunt*, cum doctissimis Notis: insuper tria Volumina, in Folio, *Monumentorum Ecclesiæ Græcæ*: *Quatuor etiam Homilias Sancti Chrysostomi in Psalmos, cum interpretatione ejusdem*

dem S. Doctoris in Danielem, in volumine in quarto. *Ludovicus Gerardus de Cordemoy* ſcripſit Gallicè *Hiſtoriam Francorum*, necnon aliquot Opuſcula contra Hæreticos Calviniſtas. *Godefridus Hermantius* deſcripſit Gallicè Vitas Sanctorum *Athanaſii*, *Baſilii Magni*, *Ambroſii & Chryſoſtomi*, & quædam Opuſcula, quorum alia jam edita, alia adhùc inedita ſunt. *Stephanus Baluzius* novam adornavit *Collectionem Conciliorum*: edidit etiam *Concilia Galliæ Narbonenſis*: *Vitas Romanorum Pontificum, qui Avenione ſederunt* cum ampliſſimis Commentariis & Actorum Veterum Collectione. Compoſuit prætereà Baluzius *Miſcellanea*, hoc eſt, *Collectionem Veterum Monumentorum*; Aliquot poſthuma *Petri de Marca*, Archiepiſcopi Pariſienſis, Opuſcula vulgavit, & eruditis Notis illuſtravit *Vincentii Lirinenſis*, *Salviani*, *Regnonis*, *Agobardi* Opera, & Capitularia Regum Franciæ, quæ publicâ luce donavit. His doctiſſimis Cleri Sæcularis Scriptoribus Gallis quatuor alios dumtaxat adjungam, quorum primus erit *Claudius Joli*, qui, præter alia Opuſcula, edidit *Diſſertationem de Verbis Uſuardi, quæ in Martyrologio Eccleſiæ Pariſienſis referuntur in Feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis*: & *Tractatum Hiſtoricum de Scholis Epiſcopalibus & Eccleſiaſticis*. Alter Scriptor, eſt *Claudius Fleuri*, qui Gallicè ſcripſit diverſos Tractatus, videlicèt *de Delectu & Methodo ſtudiorum*: *de Moribus Iſraëlitarum*, *de Moribus Chriſtianorum*, & *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* in plures Tomos diſtributam, quorum decimus ſeptimus prodiit anno MDCCXIV. Vivit adhuc illuſtriſſimus ille Abbas, ac propedièm, votis omnium Virorum eruditorum facturus ſatis, ſuam

ſuam elegantiſſimam abſolvet Hiſtoriam Eccleſiaſticam. Tertius Scriptor, eſt *Euſebius Renaudotius*, qui linguarum Orientalium notitiâ excultus, texuit *Hiſtoriam Patriarcharum Alexandrinorum* à S. *Marco* Evangeliſta, qui fuit primus Sedis Alexandrinę Epiſcopus, uſque ad finem Sæculi XIII. Edidit quoque idem doctiſſimus Scriptor *Collectionem omnium Liturgiarum Orientalium*, & tribus Tomis *de perpetuitate Fidei Euchariſtiæ*, duos alios, quartum videlicet & quintum, ſummâ cum eruditione à ſe lucubratos, addidit. Vivit etiamnùm eruditiſſimus ille Scriptor, & Eccleſiam, atque Rempublicam Litterariam ſuis immortali laude Operibus illuſtrare ac locupletare pergit. Quartus denique Scriptor, eſt *Franciſcus de Choiſy*, qui præter multa, quæ Gallico idiomate edidit, Opera Aſcetica; Hiſtoriam Eccleſiæ Gallicè deſcribere aggreſſus eſt, jàmque Tomum ſextum, complectentem Hiſtoriam Sæculi XII. publicavit anno MDCCXIII. Alii verò Tomi, quos eruditus ille Hiſtoricus prælo fortaſsè mandavit, nondùm ad manus meas pervenerunt. Prætermitto innumeros penè Cleri Sæcularis Scriptores, qui de Theologia Aſcetica ſcripſerunt & in arte concionandi Sæculo XVII. in Galliis excelluerunt, quos inter principem locum obtinere debent *Julius Maſcaron*, Epiſcopus Aginnenſis, *Spiritus Flexerius*, Epiſcopus Nemauſienſis, P. *Maſſilion*, nunc Epiſcopus Claromontanus, *Claudius Joli*, cujus mox mentionem fecimus, *Nicolaus le Torneux*, & Author anonymus *Sermonum Moralium*, qui in plures Tomos ſunt diſtributi. Sed prætermittere non debeo illuſtrem Scriptorem Gallum, qui in Ritibus Eccle-

siasticis versatissimus fuit, *Andream de Saussay*, qui plura edidit Opera, inter quæ præcipua sunt: *Panoplia Clericalis*, seu *de Clericorum tonsura & habitu*: *Martyrologium Gallicanum*: liber *de Mysticis Galliæ Scriptoribus*: & *Continuatio* Cardinalis *Bellarmini* libri *de Scriptoribus Ecclesiasticis &c.*

D. Ut tandem finiamus seriem aliorum Scriptorum Gallorum, necesse est, ut nunc eos proferas Viros illustres, qui nec Clero Sæculari, nec Regulari adscripti, in Litteris, seu Artibus liberalibus, & humanis Disciplinis Sæculo XVII. in Galliis claruerunt.

M. Cùm immensa penè sit ejusmodi Gallorum Scriptorum copia; abundè sufficiet hìc eorum indicare nomina, & liberales Artes, seu humanas Disciplinas, in quibus illustre sibi pepererunt nomen. In Chronologia, seu Doctrina temporum, primas tenet *Josephus Scaligerus*, filius *Julii Cæsaris Scaligeri*. In Mathematicis Disciplinis parem non habuit *Blasius Pascalius*. In Historia insignes fuerunt *Andreas Duchesnius*, qui edidit quinque Tomos *de Rerum Francicarum Scriptoribus*, publicavit etiam *Rerum Normannicarum Scriptores*, & Gallico idiomate Historiam Summorum Pontificum à S. *Petro*, usq; ad *Innoc. XI.* adornavit. *Carolus Dufresnius D. Ducange* concinnavit *Historiam Byzantinam*, & edidit *Glossarium mediæ & infimæ Latinitatis*: *Glossarium mediæ & infimæ Græcitatis*: & *Chronicon Paschale cum Notis*. Historiam Francorum descripserunt *Mezereus*, *Dupleixius*, *Petrus Matthæus*, *Varillasius*, *Jacobus Augustus Thuanus*; Author Historiæ Concilii Tridentini, necnon Historiæ sui temporis ab anno MDXLIII. usque ad annum

num MDCVII. & alii Historici. *Jo: Jacobus Chiffletius* scripsit *de Antiquitatibus Vesontinis*. Sed observare debes, hunc *Jo: Jacobú Chiffletium* tres fratres habuisse, quorum unus *Philippus Chiffletius*, Canonicus Byzuntinus, multa Gallicè & Latinè edidit Opuscula Ascetica. Alter, seu *Laurentius Chiffletius*, & tertius *Petrus Franciscus Chiffletius*, ambo vitam Regularem in Societate Jesu professi, præclara ediderunt Opera, quæ commodiùs referemus in undecima Classe Virorum illustrium XVII. Sæculi, ubi agemus de Scriptoribus Societatis Jesu. In Jure Canonico, & Civili maximam laudem promeriti sunt *Talonius*, *Hieronymus Bignonius*, *Franciscus le Maitre*, *Olivarius Patru*, *Antonius Arnaldus*, Pater *Antonii Arnaldi* Doctoris Sorbonici, *Fevretus*, *Antonius Dadinus Altaserra*, *Franciscus de Roya*, *Joannes Doujatius*, *Franciscus Pinssonius*, *Emericus Bigotius*, *Joannes Dartis*, *Franciscus Florens*, *Nicolaus Rigaltius*, qui etiam edidit Notas in S. *Cyprianum & Tertullianum*; & alii benè multi, qui utriusque Juris peritissimi fuerunt. In re Antiquaria, seu Numismatum notitia, unum instar omnium laudabo, *Vallantium*, cujus Vestigia pressit *Ignatius Amat de Graveson*, frater meus germanus, quem, ceu Virum politioris literaturæ, & cùm sacræ, tùm prophanæ antiquitatis studiosum, R. P. *Bernardus de Monfaucon*, doctissimus Congregationis S. *Mauri* Benedictinus, & solidæ eruditionis æstimator æquissimus, laudat in primo suo Tomo *Antiquitatum* pag. 370. quemq; hoc anno millesimo septingentesimo vigesimo primo Civitatis Arelatensis in Galliis, ubi pestis grassatur, Regimini Præfectum, pestilenti lue, quam ab aliis

avertere cum incredibili ſollicitudine , & charitate ſatagebat , affectum , atque præmaturâ morte è vivis fuiſſe ſublatum , nuperrimè cum acerbiſſimo animi mei mærore accepi. In perpolienda linguâ Gallicâ egregiam operam navarunt *Vaugelaſius* , *Vetturius* , *Sarraſinus* , *Balſacius* , *Menagius* , *Fureterius* , *Richeletius* , & alii . In Gallicis Traductionibus , ſeu Verſionibus Operum SS. Patrum cùm Græcorum , tum Latinorum, cæteris palmam præripuit *Arnaldus Andillæus* , frater *Antonii Arnaldi* Doctoris Sorbonici , eique Gallicam Verſionem Hiſtoriæ *Joſephi*,Hebræi,*de Antiquitatibus Judaicis* , & *de Bello Judaico* acceptam referre debemus . In Philoſophicis Diſciplinis nomen ſuum celebrarunt *Renatus Carteſius* , *Petrus Gaſſendus* *Rohaltius* , *Dagomertius* , *Barbæus*, *Purchotius*, *Laurentius Du Han* , & alii complures . De Poetis , d Grammaticis , de Oratoribus, & de Viris illuſtribus Academiæ Franciæ , qui Sæculo XVII. floruerunt , cùm penè innumeri extiterint , in præſenti ſilebo ; hoc unum dumtaxàt dicam , in Galliis Sæculo XVII. Oratoriæ Artis & Poëſeos majeſtate pristino nitori reſtitutam fuiſſe, humaniores Litteras , muſices , cæterarumque liberalium Artium ſupra omnem ætatem cumulatiſſimam notitiam viguiſſe & ſolertiſſimum uſum : nullum fuiſſe ta arduum Philoſophiæ Axioma , nullum tam abc tum Medicinæ theorema , nullum adeò obſcurum quà numeris , quà figuris Matheſeos Problema quod à Scriptoribus Gallis non acutè perſpectum , ſubtilitèr examinatum , rectè tandem & appoſ ſolutum , explicatumve ſit ; uno verbo, omnes ſ gularum doctrinarum Diſciplinas & voce & ſc

p

ptis monumentis adeò excultas, tamque facili exponendi methodo, & amęno dicendi ſtylo traditas fuiſſe, ut in illis perveſtigandis, ſi quis impræſentiarum non profecerit, ingenium illis, non librorum copiam, & omnigenæ eruditionis apparatum defuiſſe penſandum ſit. Mirari autem non debes, quòd in ſerie illuſtrium Scriptorum qui Sęculo Eccleſiæ XVII. in Galliis floruerunt, quoſdam non conſtituerim ejuſdem Sæculi Scriptores Gallos, videlicèt *Philippum Mornæum Pleſſæum*, *Iſaacum Caſaubonum*, *Samuelem Bochartum*, *Joannem Clericum*, *Samuelem Baſnagium*, *Claudium Salmaſium*, *Davidem Blondellum*, *Joannem Dallæum*, *Albertinum*, *Larroquium*, *Petrum Alixium*, & alios ejuſdem farinæ Scriptores, qui, licèt apud Hæreticos Calviniſtas magni nominis ſint, nullum tamen in Catalogo illuſtrium & Eccleſiaſticorum Scriptorum locum habere debent, quantâcumque Sæculari eruditione & linguarum notitiâ præditi fuerint. Habes itaque ſeriem præcipuorum Scriptorum, qui nec Monaſticam nec Regularem Vitam profeſſi Sæculo XVII. Galliam illuſtrarunt, de quibus ſi plura ſcire deſideres, legeſis *Supplementum*, quod nuperrimè adjectum eſt ad Dictionarium Hiſtoricum, *à Ludovico Morerio*, Sæculi XVII. Scriptore Gallo, editum, & elegantiſſimam Academiæ Franciæ Hiſtoriam, quam ſcripſit *Paulus Pelliſſon Fontanier*, ejuſdem Sæculi Scriptor Gallus, qui, ejuratâ Calviniana Hæreſi, quâ erat anteà infectus, eam doctiſſimis Scriptis debellavit, obiitque die VII. menſis Februarii anni MDCXCIII.

D. Ex hac Gallorum Sæculi XVII. Scriptorum, quos hactenùs laudaſti, immensâ penè copiâ,

facilè intelligo, meliorum Litterarum, præſertim Sacræ & Eccleſiaſticæ Antiquitatis, ſtudium fauſto ſucceſſu in Galliis floruiſſe, remque litterariam, novo adiecto ſplendore, ad ſummum honoris faſtigium perveniſſe. At, cùm certus ſim, hunc Litterarum progreſſum non ſe Galliarum finibus cohibuiſſe, & Rempublicam Litterariam in aliis nationibus eodem Sæculo decimo ſeptimo, depulſis ignorantiæ tenebris, maximum decus, priſtinamque majeſtatem ſuam poſtliminiò recuperaſſe; gratiſſimum mihi eſſet, ſi in iſta ſecunda Virorum Illuſtrium Claſſe eos percenſeres Scriptores Italos, qui, nec Statui Monaſtico, nec Regulari addicti, plus ornamenti & lucis divinis & humanis Diſciplinis contulerunt; de aliis verò Scriptoribus Italis, qui eodem Sæculo Vitam vel Monaſticam, vel Regularem amplexi, doctrinâ & pietate cæteris anteſteterunt, opportuniùs dicturus in aliis eruditorum Virorum Claſſibus, in quas illos, majoris claritatis causâ, ordinatè diſpoſuiſti.

M. Italiam Sæculo XVII. doctrinâ & pietate illuſtrarunt Cardinales, *Robertus Bellarminus*, *Vincentius Maculanus*, *Joannes Bona*, *Henricus Noriſius*, *Laurentius Brancatus de Lauræa*, *Joſephus Maria Thomaſius*, *Raymundus Capiſucus*, *Vincentius Maria Ferrari*, *Vincentius Maria Urſinus*, *Franciſcus Maria Caſſini*, & alii, qui tamen Monaſticam, vel Regularem Vitam cùm profeſſi fuerint, locum in hac ſecunda Virorum eruditorum Claſſe habere non debent, ſed eos ſuo loco, ideſt, in ſequentibus Illuſtrium Scriptorum Monachorum, vel Regularium Claſſibus commodiùs referemus. Celebriores igitur dumtaxàt proferam hìc Scriptores, qui nec

Sta-

Statui Monastico nec Regulari addicti, magnum in Italia Sæculo XVII. Litteris splendorem conciliarunt, & ab his auspicabor, qui Antiquitatem Ecclesiasticam perdoctis suis lucubrationibus illustrandam susceperunt, quales sunt *Petrus Marcellinus Corradinus*, *Joannes Ciampinus*, *Franciscus Maria Florentinius*, *Ludovicus Antonius Muratorius*, *Laurentius Alexander Zacagnius*, *Franciscus Bianchinus*, & *Justus Fontaninus*, quorum Opera indicare sat superque sufficiet. In primis, *Petrus Marcellinus Corradinus*, (quem primum, honoris causâ, nomino, utpotè à *Clemente XI.* Pontifice Maximo, paucis abhinc annis in Cardinalium Collegium, ob singularem Antiquitatis Ecclesiasticæ, & utriusque Juris peritiam, cooptatum) scripsit librum *De Jure Prælationis*: librum *De Civitate & Ecclesia Setina*: & *Vetus Latium Sacrum & Prophanum*. Huic doctissimo Cardinali, qui Romæ adhuc vivit, nestoreos precor annos. *Joannes Ciampinus*, Apostolicorum Brevium Magister, edidit *Conjecturas de perpetuo Azymorum usu in Ecclesia Latina, vel saltem Romana*: *Vetera Monumenta in quibus Musiva Opera illustrantur*: *Synopsim Historicam de Sacris Ædificiis Constantini Magni cum Figuris*: *Dissertationem Historicam de Abbreviatorum* Pontificum Diplomatum, qui vulgò dicebantur *de parco*, *majori dignitate & privilegiis*: *Examen libri Pontificalis*: *Catalogum Bibliothecariorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*: & *Epistolam Pii II. Pontificis Maximi ad Carolum VII. Regem Franciæ, ab Hereticis depravatam, & à Launojana calumnia vindicatam*. Franciscus Maria Florentinius vulgavit *Vetustius Ecclesiæ Occidentalis Martyrologium Notis & Exercitationibus*

explicatum: Scripsit etiam *Disquisitionem de antiquo usu fermentati panis & Azymi*: *Etruscæ pietatis Origines, sive de prima Tusciæ Christianitate*. Ludovicus Antonius Muratorius, Doctor Collegii Ambrosiani, publicavit *Anecdota ex Ambrosianæ Bibliothecæ Codicibus primùm eruta, Notis & Disquisitionibus aucta, & duobus Tomis comprehensa*. Laurentius Alexander Zacagnius, Bibliothecæ Vaticanæ Custos, publici Juris fecit *Collectanea Monumentorum Veterum Ecclesiæ Græcæ ac Latinæ, quæ hactenùs in Bibliotheca Vaticana delituerant*. *Franciscus Bianchinus*, qui *Jacobo III.* Angliæ Regi, ejusque lectissimæ Conjugi *Mariæ Clementiæ*, & Viris omnibus eruditis charissimus Romæ etiamnùm vivit, multa singularis suæ eruditionis specimina dedit, præsertim *Solutionem Problematis Paschalis*: *Epistolam de Lapide Antiati*: texuit quoque Italico idiomate *Historiam Universalem*, probatam monumentis, figuris & simbolis antiquis. *Justus Fontaninus*, quem, ob præclara in Sedem Apostolicam promerita, *Clemens XI.* Pontifex Maximus, paucis abhinc annis inter suos Cubicularios ab honore adlegerat, vivit adhùc Romæ, toti Reipublicæ Litterariæ notissimus. Scripsit *Vindicias antiquorum Diplomatum contra Bartholomæum Germonium*: librum de *Antiquitatibus Hortæ Coloniæ Etruscorum*: Dissertatiunculam *de Codice Veneto Evangelii S. Marci*: librum *de Corona ferrea*, & alia Opera Italico idiomate, quibus Jura & dominium Sedis Apostolicæ magno animi æstu asserit, vindicat ac tutatur. His septem Clarissimis Scriptoribus Italis, qui illustrandæ Antiquitati Ecclesiasticę egregiam operam navarunt, quinque alios, Antiquitatis itidèm Ecclesiasticæ cultores

res

res eximios, adjungam, qui licèt Itali non fuerint, in Italia tamen suam Sedem fixerunt, ibique doctissimis editis Operibus magnâ nominis sui in Orbe Litterario celebritate claruerunt. Hi autem sunt *Petrus Arcudius*, *Lucas Holstenius*, *Leo Allatius*, *Emmanuel Schelstratus*, *&* *Abrahamus Ecchellensis*, quorum Opera brevitèr referemus. *Petrus Arcudius*, Græcus Insulæ Corcyræ, vulgò dictæ *Corfou*, Romæ in Collegio Græcorum Philosophiæ & Theologiæ operam dedit, Ecclesiæ Latinæ doctrinæ ac ritibus addictissimus perdocta scripsit Opera pro ejusdem Ecclesiæ Latinæ dogmatum defensione, præsertim duos Tractatus *de Purgatorio adversùs Barlaam*, videlicèt *utrum detur Purgatorium*, *& an illud sit per ignem*? insuper, *Opuscula aurea Theologica circà processionem Spiritus Sancti*: *Latinam Interpretationem Menologii Græcorum*: & utilissimum librum, cui Titulus est; *Concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis*, ubi invictis momentis probat & adstruit, summam esse utriusque Ecclesiæ, Latinæ & Græcæ, in septem Sacramentorum administratione consensionem; recentiores Græcos Schismaticos nihil circà septem Sacramentorum doctrinam, seu circà eorum essentiam, numerum, virtutem & efficaciam immutasse; Græcorum ritus in Sacramentorum administratione ab Ecclesia Latina tolerari; ac denique doctrinam, quam de Sacramentis invexerunt moderni Hæretici, & modum, quem in eorum administratione observant, longè latèque à perpetua utriusque Ecclesiæ, Latinæ & Græcæ, doctrinâ & praxi discrepare. *Lucas Holstenius*, patriâ Hamburgensis, & Vaticanæ Bibliothecæ Custos, aliquot Scriptorum

Græ-

Græcorum Opera latinè reddidit, plura etiam reliquit ingenii sui egregia monumenta, inter quę eminent *Codex Regularum collectus à S. Benedicto Ananiensi*: *Opuscula Parænetica Sanctorum Patrum*: *Dissertationes tres de locis quibusdam Concilii Nicæni, de Synesio & de fuga Episcopatus*: *Correctiones Anastasii Bibliothecarii*: *Collectio Bipartita Canonum, Conciliorum, Epistolarum Romanorum Pontificum, & aliorum veterum Monumentorum Ecclesiasticorum*: *Duplex Dissertatio de Sacramento Confirmationis apud Græcos*. Extant etiam plures *Lucæ Holstenii* doctissimæ Epistolæ in Collectione Epistolarum, quas unà cum Vita P. *Joannis Morini* publicavit *Richardus Simonius* sub titulo *Antiquitatum Ecclesiæ Orientalis*. Vaticanæ Bibliothecæ Custos itidèm fuit *Leo Allatius*, Græcus Insulæ Chios, qui Romam, natus annos tantùm novem, perductus, & in Græcorum Collegio educatus, tantos in Litterarum studio progressus fecit, ut Antiquitatis Sacræ, Ecclesiasticæ, & prophanæ peritissimus evaserit. Complura Scriptorum Græcorum Opera Grecè & Latinè edidit *Leo Allatius*, sed præcipuè *Eustathii*, Patriarchæ Antiocheni, *Commentarium in Hexameron*, cui Notas uberiores, & Collectanea addidit, necnon ejusdem *Eustathii* Dissertationem *de Engastrimytho*, seu *De Pythonissa*, quam consuluit *Saul*, Græcè & Latinè vulgavit cum eruditissimo ejusdem argumenti Syntagmate. Scripsit etiam idem *Leo Allatius* libros tres *De perpetua Occidentalis, & Orientalis Ecelesiæ consensione*: *Dissertationes duas de Libris Ecclesiasticis Græcorum*: *Diatribam de Simeonibus, & eorum Scriptis*: *Alteram Diatribam de Georgiis, & eorum Scriptis*: *Tertiam Diatribam*

bam de Psellis, *& eorum Scriptis*: *Quartam Diatribam de Nilis, eorumque Scriptis*. Tomos duos *Græciæ Orthodoxæ*. Librum *de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis consensione in dogmate de Purgatorio*. Librum *in quo Hottingerum fraudis & imposturæ convincit*. Librum *de octava Synodo Photiana*. Librum, cui titulus est: *Apes Urbanæ*, seu *de Viris illustribus*: *Symmicta*, sive *Opuscula Græco-Latina*. Sacrę & Ecclesiasticæ Antiquitatis studiosissimus itidèm fuit *Emmanuel Schelstratus*, natione Belga, patriâ Antuerpiensis, & Vaticanæ Bibliothecæ Custos, ac plura lucubravit Opera, inter quæ præcipua habentur: *Antiquitas Ecclesiæ illustrata Dissertationibus, Monumentis, & Notis*: *Acta Constantiensis Concilii cũ Dissertatione*: *Tractatus de sensu & auctoritate Decretor. Sess. iv. & v. Concil. Constantiensis circà potestatem Ecclesiasticam*: *Liber de Disciplina Arcani*: *Tractatus de Auctoritate Patriarchali & Metropolitana*: *Ecclesia Africana sub Primate Carthaginensi*: *Sacrum Antiochenum Concilium cum Commentario*. Duos etiam Tractatus imperfectos reliquit *Emmanuel Schelstratus*, unum *De Basilica Vaticana*, alterum, cui titulus est: *Modus dignoscendi ex forma Characterum, sive Græcorum, sive Latinorum, Scripturæ Vetustatem*. Floruit etiam Romæ *Abrahamus Ecchellensis*, natione Maronita, Sacræ Antiquitatis, & Linguarum Orientalium peritissimus, qui varia edidit Opera, quorum præcipua hæc sunt: *Concordia Nationum Christianarum in Fidei Catholicæ Dogmatibus*: *Chronicon Orientale Latinitate donatum*: *Latina interpretatio Canonum Nicænorum ex Versione Arabica cum Notis*: *Catalogus Hebed Jesu Librorum Chaldæorum Notis illustratus*. Inter Jurisperitos Italię

lię

liȩ principem locum tenere debet *Prosper Fagnanus*, Juris Canonici in Academia Romana insignis Sæculo XVII. Professor, qui, inter cæcitatis incommoda perspicacissimo præditus ingenio, Absolutissima in quinque *Libros Decretalium Commentaria* emisit in lucem, quibus recepta in Italia Jura, sive Jus Commune Canonicum, eruditè ac subtiliter exposuit. *Fagnano* adjungendus est *Augustinus Barbosa*, Juris utriusque Doctor, qui, licèt natione Lusitanus esset, in Italia tamen floruit, & Episcopus fuit Ugentinus in Regni Neapolitani Provincia Hydruntina. Complura de utroque Jure ingentia Volumina scripsit *Augustinus Barbosa*, quorum præcipua sunt: *Juris Ecclesiastici universi libri tres*, in quibus de personis, de locis, & de rebus Ecclesiasticis plenissimè agit: *Tractatus de officio & potestate Episcopi*: *De Canonicis & Dignitatibus*: *De officio & potestate Parochi*, & præstereà *Collectanea Doctorum in Jus Canonicum*, quod quidèm Opus plurimorũ Interpretum in Decretales *Gregorii IX.* in *Sextum*, aliasque Collectiones, atque in *Decretum Gratiani* Annotationes complectitur. Edidit etiam *Augustinus Barbosa Collectanea* in Concilium Tridentinum. Jurisprudentiæ etiam peritissimus fuit *Joannes Paulus Lancellotus*, qui edidit *Institutiones Juris Canonici* cum doctissimis Notis. Quod spectat alios Scriptores, qui Sæculo XVII. sive in Historia prophana, sive in Arte Poëtica, sive in notitia Legum Civilium, sive in humanioribus Litteris, & aliis Disciplinis in Italia præfulserunt, si de his in præsentia singulatìm mentionem facere vellem, finem dicendi nunquàm facerem. Ne tamen illos omnes prætermittere videar, aliquos ex his

his ſeligam, quorum Opera vel ipſe legi, vel ſaltem certam de illis notitiam habere poſſum. In primis, *Octavius Ferrarius* Mediolanenſis, libros ſeptem *de Re Veſtiaria* ſcripſit, & Diſſertationem *de Veterum Lucernis Sepulchralibus*. *Franciſcus Ferrarius*, Mediolanenſis, libros edidit *de antiquo Eccleſiaſticarum Epiſtolarum genere*, & *de Ritu Sacrarum Eccleſiæ Concionum*. *Philippus Ferrarius*, Mediolanenſis, texuit *Catalogum Sanctorum Italiæ*, & *Catalogum Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt*. *Joſephus Vicecomes*, Italicè *Viſconti*, Mediolanenſis, plures lucubravit libros *de antiquis Cæremoniis Sacramentorum Baptiſmi, Confirmationis, & de Ritibus Miſſæ*. *Franciſcus Collius*, unus è Doctoribus Collegii Ambroſiani, Mediolanenſis, Opus edidit de ſalute, aut damnatione plurium illuſtriorum Virorum, cui titulum fecit: *De Animabus Paganorum*. *Laurentius Pignorius*, Patavinus, totius Antiquitatis indagator acerrimus, & in Veterum Numiſmatibus interpretandis oculatiſſimus, varia Latinè, & Italicè ſcripſit Opera, inter quæ pluris æſtimantur hæc duo Latinè exarata, unum videlicèt, cui titulus eſt: *Menſa Aſiaca*, & alterum *de Servis, eorumque apud Veteres Miniſteriis*. In deſcribenda Siculæ Gentis Hiſtoria celebres fuerunt duo Scriptores Siculi, quorum primus, eſt *Rocchus Pirrus*, qui Typis mandavit *Chronologiam Regum, penès quos Siciliæ Imperium fuit poſt exactos Saracenos*: & *Siciliam Sacram Diſquiſitionibus, & Notis illuſtratam*, & quatuor libris comprehenſam, in quibus dat notitiam omnium Epiſcopatuum Siciliæ, tam illorum, qui perierunt, quàm eorum, qui adhùc florent; omnium Abbatiarum, Prioratuum &c.

Hu-

Hujus Authoris Siculi meminerunt *Ughellus in Italia Sacra* Tom.2. pag.1044. & alii, quos profert in sua *Bibliotheca Sicula Antonius Mongitore*. Alter Scriptor Siculus, est *Augustinus Inveges*, qui Annales Urbis Panormitanæ in tres partes distributos emisit in lucem, & alia sive edita, sive adhùc inedita scripsit Opera, ut videre est in *Bibliotheca Sicula*. Hujus Scriptoris Siculi mentionem facit *Philippus Labbæus in Bibliotheca Nummaria* pag. 1. Cumulatissimam Linguæ Græcæ, ac rei Antiquariæ notitiam adeptus est *Leonardus Adamus*, Wolsiniensis, ediditque librum *de Arcadia Veteri*, ac multa Græco-Latina reliquit Opera adhùc inedita, præmaturâ morte, magno Reipublicæ Litterariæ damno, annum ætatis suæ agens XXVIII. nuperrimè è vivis Romæ sublatus. Magnum quoque Linguarum, & rei Antiquariæ peritiâ sibi in Italia nomen pepererunt tres alii Scriptores, quorum primus, est *Philippus à Turre*, Episcopus Adriensis, qui edidit *Monumenta Veteris Antii*: *Dissertationem de Deo Baleno, & aliis Diis Aquilejensibus*: *Dissertationem de Colonia Forojuliensi &c.* Alter Scriptor, est *Joannes Vignolius*, Bibliothecæ Vaticanæ Custos, Romæ adhùc vivens, qui publicavit *Antiquiores Pontificum Romanorum Denarios Notis illustratos*. Scripsit etiam *Epistolam ad Antonium Gallandum de Nummo Imperatoris Pii*, & duplicem Dissertationem *de Anno primo Imperii Alexandri Augusti*. Tertius Scriptor, est *Blasius Garofalo*, qui Romæ etiamnùm vivit, & Author est *Observationum in Artem Poëseos Hebræorum & Græcorum*, quas repurgavit & castigavit; aliasque Miscellaneas edidit Dissertationes doctissimas. Illu-

strium

ſtriũ Sæculi XVII. Italiæ Virorum Claſſi non accenſebo duos Scriptores Florentinos, quorum primus, eſt *Hieronymus Vecchietti*, qui, licèt Mathematicis Diſciplinis, Linguarum notitiâ inſtructus, & Chronologiæ peritiſſimus eſſet, Opus tamen compoſuit Chronologicum, cui titulus: *De Anno Primitivo*, à Creatione Mundi uſque ad annum primum Julianum in octo libros diſtributum, in quo novas, & peregrinas opiniones docet, aſſeritque, Chriſtum Dominum Paſcha anno, quo mortuus eſt, celebraſſe Lunâ decimâ tertiâ in ſecundis Veſperis, ac ſubindè illum in inſtitutione Sacro-ſanctæ Euchariſtiæ non pane Azimo, ſed fermentato uſum fuiſſe. Quò factum eſt, ut ejus Opus flammis fuerit addictum, ipſe verò in carceres S.Officii conjectus ſit, ubi diem extremum obiit. Alter Scriptor Florentinus, eſt *Galilæus Galilæi*, qui Patavii Diſciplinas Mathematicas docuit, condiditque librum ſub titulo *Nuncii Siderei*; & *Dialogum de Syſtemate Mundi*, in quo *Nicolai Copernici*, Scriptoris Sæculi XVI. ſententiam de Terræ circa Solem nullo agitatum motu converſione propugnans, à Quæſitoribus Fidei Romam evocatus, palinodiam publicè canere juſſus eſt. Hos, inquam, duos Scriptores Florentinos in Catalogum illuſtrium Italiæ Virorum non referam, ſed prætermittere non poſſum celebrem, qui Florentiæ claruit, *Antonium Magliabecum*, eo in promovendis litteris ardore ſuccenſum, ut de omnium gentium Litteratis Viris benè mereri ſummoperè ſtuderet, eâ præditum ſagacitate, nihil ut ipſum lateret, eâ memoriâ pollentem, ut libros omnes haberet in numerato, verèque appellari poſſet Muſæum inambulans, & viva quædam

Bi-

Bibliotheca. Hi ſunt præcipuè Italiæ Scriptores, qui nec Statui Monaſtico, nec Regulari addicti, doctrinâ & pietate litteris floruerunt. Sed ingratus jure optimo audirem, ſi inter illuſtres Italiæ Viros locum non darem Eminentiſſimo Cardinali *Hieronymo Caſanate*, qui, dùm vixit, omnium Litteratorum fuit Mœcenas munificentiſſimus, & Scholæ Tomiſticæ ſplendididiſſimum decus & ornamentum. Hujus in Scholam S.*Thomæ* propenſiſſimę voluntatis, & effuſiſſimæ in ſeros uſque ſcientiarum ſtudioſos nepotes munificentiæ perenne monumentum relinquere volens pius ille juxtà ac litteratus Cardinalis, publicam & ampliſsimam Romæ in Conventu Minervitano Ordinis Prædicatorum Bibliothecam, ſelectiſsimis & innumeris, quæque in dies irrequieto penè ſumptu adiiciuntur, Voluminibus, in omni prorsùs artium ac ſcientiarum genere refertiſsimam excitavit. Collegium inſuper inſtituit ſex Theologorum ejuſdem Ordinis Prædicatorum, qui gradibus in celebrioribus Orbis Academiis inſigniti, & ex omnibus Regnis, Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Hiſpaniâ, Angliâ, ac Belgio delecti, in aſſerendis Fidei Catholicæ contra Hæreticos Dogmatibus, & in vindicanda Chriſtianæ Moralis puritate ab invectâ morum corruptelâ indefeſsis vigiliis atque lucubrationibus occuparentur. Poſtremò, duas itidèm Romæ fundavit Cathedras, quibus duos ejuſdem Ordinis Prędicatorum pręfici voluit doctiſsimos Profeſſores, eiſque hanc legem indixit, ut uni S.*Thomæ* Summæ Theologicę textui perlegendo,& explanando incumberent, quòd probè ſciret, ac ſæpiùs dicere ſoleret doctiſsimus ille Cardinalis: *Felicem Or-*

Orbem fore, si una S. Thomæ doctrina ubique obtineret, unus in Scholis & Academiis Thomas Doctor audiretur, consuleretur in dubiis : Nullæ essent, inquiebat, *in Orbe hæreses, nulla in Morali mollis & geniis accommodata, quæ conscientias hominum regit, relaxatio; nulla in Mystica Theologia, quæ sanctitati viam sternit, exerratio, aut illusio; sed ubique in Scholis vetusta Patrum regnaret Theologia; cujus beneficio facilè reprimi possent errores ac novitates, quibus oppugnari Fidem ac Religionem Catholicam nonnunquàm afflicta ingemiscit Ecclesia.* Plura de Eminentissimo Cardinali *Hieronymo Casanate*, immortali laude digno, & cujus memoria toti Prædicatorum Ordini semper in benedictione erit, impræsentiarum dicerem, si ulteriùs progredi nostrorum Colloquiorum brevitas permitteret; illius itaque elogium, paucis hisce verbis, quæ lib. 2. Machabæor. cap. 2. v. 13. leguntur, absolvam : *Construens Bibliothecam, congregavit de regionibus libros.*

D. In hac tertia Virorum illustrium classe locum habere debent Scriptores, qui in Germania, Belgio, & Batavia celebriores fuerunt; quique nec Monasticam, nec Regularem vitam professi, magnum præclaris editis Operibus Reipublicæ Litterariæ splendorem contulerunt. Age ergò, de illis breviter nunc disseramus, & præcipua, quæ publicam in lucem emiserunt, Opera percense.

M. Vitas Theologorum, Jure-Consultorum, Politicorum, Medicorum, atque Philosophorum, qui Sæculo XVI. & ineunte Sæculo XVII. in Germania litteras coluerunt, aut aliquas lucubrationes ediderunt, lato calamo duobus Tomis in folio descripsit hæreticus Author *Melchior Adamus*, Silesius,

ſius, qui, ut Hæreticorum Sectis aliquem ſplendorem conciliaret, eos Scriptores Germaniæ, potiſsimùm Theologos hæreticos, laudandos ſuſcepit, quorum Opera à capite ad calcem erroribus & contúmeliis adversùs Eccleſiam Romanam ſcatent, quæ ſubindè in faſciculum colligenda ipſe cenſeo, ut flammis ultricibus addicantur, aliâ certè luce prorsùs indigna. De his ergò Germaniæ Scriptoribus omninò in præſentia ſilebo, & aliquos dumtaxat Germaniæ hìc indicabo Authores Hiſtoricos, Antiquarios, Matheſeos peritos, & Philologos, quorum Opera addiſcendis atque illuſtrandis Diſciplinis humanis novum aliquod ſubſidium ſuppeditare poſſunt. Agmen illorum Germaniæ Scriptorum ducet *Petrus Lambecius*, nepos *Lucæ Holſtenii*, Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti, cujus ſuperiùs meminimus, qui edidit *Prodromum Hiſtoriæ Litterariæ*: Octo Tomos in folio *Commentariorum de Bibliotheca Cæſarea*, & alia erudita Opera. *Marquardus Freherus* publicâ luce donavit *Germanicarum & Bohemicarum rerum Scriptores varios*, & multa alia Opera. *Melchior Goldaſtus* publicavit *Statuta & Reſcripta Imperialia*: *Collectionem Conſtitutionum Imperialium*: *Collectionem Conſuetudinum, & Legum Imperialium*, & alia id genus ad idem argumentum ſpectantia Opera. *Philippus Cluverius* vulgavit *Italiam antiquam*; *Sardiniam*; *Corſicam*; *Germaniam antiquam*; & *Introductionem ad Geographiam*. Fertur, illum denis magnâ cum facilitate Linguis fuiſſe locutum, videlicet Græcâ, Latinâ, Germanicâ, Gallicâ, Anglicâ, Hollandicâ, Hungaricâ, Polonicâ, Bohemicâ, & Italicâ. Excelluit in re Antiquaria *Ezechiel Spanhemius*, qui, præter alia Opera

ra, edidit librum *de præstantia & usu Numismatum.* Græcarum ac Latinarum artium cognitione excultissimus fuit *Gaspar Barthius*, qui concinnavit Opus *Adversariorum* in sexaginta libros divisum: Commentaria in *Claudianum*, *Statium Papinium*, *Gulielmum Britonem*, *Mamertum*, & alios Authores. De rebus Grammaticis scripsit *Gaspar Scioppius*, qui tamen ingenii maligni, & oris maledicentissimi, *Zoilo* quovis cùm esset mordacior, & Grammaticorum nemini parceret, meritò *Canis Grammaticus* appellatur. *Fridericus Spanhemius* scripsit *Dubia Evangelica* duobus Tomis comprehensa, & alia Opera. Prætermittere non debeo duos recentiores ejusdem cognominis Germaniæ Scriptores, quorum unus, *Joannes* scilicet *Wolfius*, Bibliothecam Hebræam anno MDCCXV. Typis mandavit. Alter, seu *Christianus Wolfius*, *Elementa Matheseos universæ*, anno MDCCXVII. publici juris fecit. Claruerunt denique in Germania Sæculo XVII. *Joannes Fridericus Gronovius*, qui multa scripsit, sed præsertim plurimos Clasſicos Authores recensuit, emendavitque, ut *Plautum*, *Sallustium*, *Senecam*, *Plinium*, *Quintilianum*, *Agellium* &c. *Marcus Velserus*, qui octo libros edidit *Rerum Augustanarum*: libros quinque *Rerum Boicarum*, & *antiquas Inscriptiones* in tres partes tributas Notis illustravit. *Joannes Buxtorfius*, qui in litteris Hebraicis, & in Rabbinicis atque Talmudicis traditionibus exercitatus condidit *Lexicon Hebraicum*, *Chaldaicum*, *Talmudicum*, *Rabbinicum*: *Grammaticam Chaldaico-Syriacam*: *Synagogam Judaicam*, & alia Opera, quæ ejus eximiam in Hebraica litteratura peritiam produnt. Denique, *Jo: Albertus Fabricius*, qui vulgavit

Bibliothecam Græcam, seu notitiam Scriptorum Græcorum, octo Tomis comprehensam: item *Bibliothecam Latinam*, seu notitiam Scriptorum Latinorum: & *Bibliographiam Antiquariam*, seu Introductionem ad notitiam Scriptorum, qui Antiquitates Hebraïcas, Græcas, & Romanas Scriptis illustrarunt. His Sæculi XVII. Germaniæ Scriptoribus, quosdam Belgii & Bataviæ Theologos, aut Philologos Scriptores adjungere necesse est, quò plenam Operum, quæ eâ ætate prodierunt, quæque aliquam Reipublicæ Litterariæ utilitatem afferre possunt, notitiam consequi valeas. In Belgio quinque illustres Theologi Sæculo XVII. floruerunt, videlicet *Franciscus Sylvius*, *Joannes Opstraet*, *Gunmarus Huygens*, *Martinus Steyaert*, & *Zegerus Bernardus Van-espen*, quorum præcipua Opera hìc breviter indicabimus. *Franciscus Sylvius*, Academiæ Duacensis celeberrimus Professor, egregios adornavit Commentarios in Summam tripartitam Sancti *Thomæ*, & alia lucubravit doctissima Opera. *Joannes Opstraet*, Facultatis Lovaniensis Doctor, edidit *Institutiones Theologicas ad Tyrones*: *Discussionem Theologicam de conversione peccatoris*: *Clericum Bergam*, & alia Opera Theologica. *Gunmarus Huygens* Facultatis Lovaniensis Doctor, Typis mandavit *Conferentias Theologicas*: *Observationes de Sanctissima Trinitate, de Angelis, & de Homine integro & lapso*: *Observationes de Verbo Incarnato*: *De Sacrificio Missæ*: *De Sacramentis Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, et Ordinis*: *Observationes de Contractibus*: *Methodum retinendi & dimittendi peccata*: *Compendium Theologiæ*, & alia Opera Theologica, in quibus doctrinam Sanctorum *Augustini*, & *Thomæ* de Gratiâ se ips[...]
ef[...]

efficaci, & de Prædestinatione gratuitâ, necnon sanioris Doctrinæ Moralis principiis se addictissimum profitetur. *Martinus Steyaertus* concinnavit *Aphorismos Theologiæ Practicæ*, & alia vulgavit Opera Theologica, habuitque litterariam concertationem cum *Antonio Arnaldo*, Doctore Sorbonico, ut videre est eo in libro Gallicè edito, cui titulus est: *Difficultates propositæ Martino Steyaerto*. Ultimus, seu *Zegerus Bernardus Van espen*, in Universitate Lovaniensi utriusque Juris Doctor, Opera à se edita Bruxellis anno MDCC. tribus Tomis in folio comprehensa publicavit, quorum duo priores complectuntur Opus inscriptum: *Jus Ecclesiasticum Universum*; tertius verò Tomus continet multa ac perdocta Opuscula, in quibus clarissimus ille Scriptor in Sacris Litteris, & in doctrina Sanctorum Patrum, in Sacrorum Canonum, & totius Antiquitatis ac Disciplinæ Ecclesiasticæ notitiâ, atque in lectione Operum cùm antiquorum, tùm modernorum Authorum, quorum testimoniis passim sua Opera respergit, versatissimum se probat. Plura tamen hujus Authoris Opera fuerunt Romæ proscripta. Præter hos illustres Theologos, habuit etiam Belgium Sæculo XVII. peritos Philologos Scriptores, præsertim *Aubertum Miræum*, *Gerardum Joannem Vossium*, *Isaacum Vossium*, *Gruterum*, & *Heinsium*, quos hìc silentio prætermittere haud debemus. *Aubertus Miræus*, Decanus Ecclesiæ Beatæ Mariæ Antuerpiensis, Vir eruditus ac celebris, complura edidit Opera, inter quæ censentur liber *De Collegiis Canonicorum*: *Notitia Ecclesiarum Belgii*: *Notitia Episcoporum Orbis Christiani*: *Chronicon rerum Belgicarum*: *Chronicon Cisterciense*: *Chronicon*

Præmonstratense : *Origines Benedictinæ* : *Origines Monasticæ* : *Elogia illustrium Belgii Scriptorum* : *Bibliotheca Ecclesiastica cum Auctariis & Scholiis*: *Origines Equestrium Ordinum* , & alia id genus Opera Historiæ Ecclesiasticæ illustrandæ utilissima . *Gerardus Joannes Vossius* scripsit *de Historicis Græcis* : *de Historicis Latinis* : & *de Poëtis Græcis ac Latinis* : *de Historia Pelagiana* &c. Hujus Scriptoris frater germanus *Isaacus Vossius* edidit *Dissertationem de* Lxx. *Interpretibus*, & alia cùm Grammatica, tùm Critica Opera . *Janus Gruterus* protulit in lucem *Lampadem* , sive *Thesaurum Criticum* , hoc est , Scriptores Criticos Tomis sex distinctos : *Chronicon Chronicorum* : *Inscriptionum Veterum Orbis Romani* , ingens vastumque Volumen , & alia Opera Philologica , varia Poëmata, & Notas Criticas, in *Senecæ* Philosophi Opera omnia ; in *Senecæ* Tragædias ; in *Statii Papinii* Poëmata ; in *Martialis* Epigrammata ; in *Sallustium* , in *Livium* , in *Tacitum* , in *Vellejum Paterculum* , in *Florum* , in *Plinii* Epistolas , in *Panegyristas* Veteres , in *Historiæ Augustanæ* Scriptores , in *Plautum* , & in quosdam alios Scriptores prophanos . Denique , *Daniel Heinsius*, Linguarum Græcæ & Latinæ peritus , varii argumenti condidit Poëmata , in quibus nihil humile, aut jejunum, omnia tersa , solida, & sonora . Edidit etiam multa Opera Philologica, quæ limam sapiunt politiorem, & quorum Catalogum texuit *Andras Valerius* in Bibliotheca Belgica, quam, si de Belgii Scriptoribus plura scire desideres, consulere poteris ; sicut & *Bibliothecam manuscriptam Belgii* , quam edidit *Antonius Sanderus* . Quod verò nunc spectat Scriptores Philologos , qui in Batavia Lucubrationes vulgarunt

runt, quæ aliquam Reipublicæ Litterariæ utilitatem afferre possunt, quinque dumtaxat hìc referam, videlicet *Jacobum Gronovium*, *Joannem Georgium Grævium*, *Hugonem Grotium*, *Joannem Henricum Hottingerum*, & *Samuelem Pitiscum*, quorum primus, seu *Jacobus Gronovius*, adornavit *Thesaurum Græcarum Antiquitatum*, qui tredecim Tomos in folio complectitur. Scripsit etiam idem Author Dissertationem *de Origine Romuli*, & alia varia erudita Opuscula. Alter, seu *Joannes Georgius Grævius*, publicâ luce donavit *Thesaurum Antiquitatum Romanarum*, in duodecim Tomos in folio tributum: *Thesaurum Antiquitatum & Historiarum Italiæ*: *Syntagma variarum Dissertationum rariorum*, *quas Viri doctissimi elucubrarunt*, & plura alia illustrandæ Historiæ prophanæ utilissima Opera. Tertius, seu *Hugo Grotius*, egregium librum scripsit *de Veritate Religionis Christianæ*: *Annales & Historias de Rebus Belgicis*: *Historiam Gothorum, Vandalorum*, & *Longobardorum*: Dissertationem *de Origine Gentium Americarum*: *Commentarium in omnes Veteris & Novi Testamenti libros*, & alia Opera, quæ simul collecta prodierunt Amstelodami in sex Tomos in folio distributa. Quartus Scriptor Batavus, seu *Joannes Henricus Hottingerus*, condidit *Thesaurum Philologicum*: *Historiam Orientalem*: *Dissertationes Miscellaneas*: *Bibliothecam Orientalem*: *Historiam Ecclesiasticam*, & alia Opera. Quintus Scriptor Batavus *Samuel Pitiscus* publicavit nuperrimè, seu anno MDCCXIII. *Lexicon Antiquitatum Romanarum*, duobus Tomis immensæ molis in folio comprehensum, in quo ritus & antiquitates, cum Græcis communes, tùm Romanis peculiares, sacras, pro-

phanas, publicas, & privatas, civiles, & militares ordine alphabetico exponit. Prætermitto, ne longior ſim, alios Scriptores Philologos, *Paulum Bauldri*, qui edidit *Lactantii* librum *de mortibus Perſecutorum* cum omnium Notis. *Joannem Vorſtium*, qui Notas ſcripſit in Opera *Sulpitii Severi*, hancque Virorum Germaniæ, Belgii, & Bataviæ Litteratorum Claſſem claudent tres Scriptores, *Chriſtophorus* videlicet *Browerus*, qui collegit, typiſque mandavit *Vitas Sanctorum illuſtrium Germaniæ*, *Chriſtianus Urſtiſius*, qui *Rerum Germanicarum Scriptores* publicam in lucem produxit, & *Joannes Neercaſſel*, Catholicorum in Batavia Epiſcopus Caſtorienſis, qui Latinè tres Tractatus edidit, unum *de lectione Scripturæ Sacræ*: Alterum, qui inſcribitur; *Amor Pœnitens*: Tertium, *de cultu qui debetur Deo, & B. Mariæ Virgini*.

D. Optandum ſanè eſſet, ut Germaniæ ac Bataviæ gens, quæ olim, ante exortos modernorum Hæreticorum errores, eruditione, bonarumque omnium diſciplinarum ſtudiis inclyta apud omnes Catholicos benè audiebat, antiquæ Fidei Catholicæ veritati ac doctrinæ nova Hæreticorum Dogmata, ſeu potiùs deliria, non prætuliſſet. Haberet profectò Chriſtianus populus quos colligeret, ſuſpiceretque in gente iſta tàm eloquentiæ, quàm omnigenæ doctrinæ flores, nec ullâ Catholici Lectores conſtringerentur neceſſitate vellendi ſpinas, quibus periculum eſt ne inter legendum iſtius gentis Opera pungantur. Certè id periculi non eſt quod timeamus in legendis libris, quos ediderunt Hiſpanæ gentis apprimè Catholici Scriptores, de quibus, juxtà præſcriptum ordinem, in ſequenti Claſ-

Classe, quæ quarta est illustrium Virorum Sæculi decimi septimi, paululùm differere debemus.

M. Hispania Sæculo Ecclesiæ decimo septimo Theologorum Scholasticorum feracissima fuit; sed cùm insignes illi Theologi Scholastici vel Statui Monastico, vel Regulari addicti fuerint, eos opportuniùs referemus in sequentibus Monastici, vel Regularis Status Clarissimorum Scriptorum classibus. Hìc autem eos dumtaxàt proferam Scriptores Hispanos, qui Sæculo XVII. nec Monasticam, nec Regularem Vitam professi sunt. Et primò quidem incipiam à *Garsia de Loaysa*, & à *Ferdinando Mendoza*, qui licèt sub finem Sæculi XVI. in Hispania floruerint, eos tamen, ut potè à nobis memoriæ lapsu hactenùs prætermissos, in ista Illustrium Hispaniæ Sæculi XVII. Scriptorum Classe reponere debemus, ne illos debitâ laude fraudare voluisse videamur. *Garsias de Loaysa*, Regius *Philippi III.* Magister, & posteà Archiepiscopus Toletanus, compilavit antiqua totius Hispanię Concilia, quotquot invenire potuit, celebrata usque ad initium Sæculi Octavi, & nonnulla ejusdem temporis monumenta, eaque Notis & emendationibus illustravit. Addidit etiam huic Collectioni Conciliorum Hispaniæ Chronologiam Toletanorum Præsulum, & Conciliorum, atque monimenta quædam spectantia Primatum Ecclesiæ Toletanæ, & Dignitates, seu Officia Regni, & Domus Regiæ Gothorum. *Ferdinandus de Mendoza*, è nobilissima Hispaniæ familia oriundus, præter illas celebres Disputationes, quas instituit in loca difficiliora Tituli *de Pactis* comprehensas justo Volumine an. MDLXXXVI. Compluti edito; tres insuper libros *de Concilio Illibe-*

liberitano ad *Clementem VIII.* Pontificem Maximum direxit, quos *Philippus Labbæus* in Collectione novissimâ Conciliorum recudendos curavit, eosque integros Cardinalis *Josephus de Aguirre* inseruit Tomo 1. *Collectionis Maximæ Conciliorum omnium Hispaniæ & Novi Orbis* Romæ edito anno MDCXCIII. Hoc *Ferdinandi de Mendoza* de Concilio Illiberitano Opus impensè laudat mox citatus Cardinalis *de Aguirre*, aitque illud esse tersum, plenum, pulchrum, varium, numeris omnibus absolutum, ejusque beneficio dissipari procul, veluti solaribus radiis, tot nebulas, extricari tot nodos, eludi tot scopulos & fluctus difficultatum, quibus eò usque impetebatur auctoritas hujus Concilii non ab Hæreticis modò, sed à Catholicis & doctis Viris, etiam Hispanis. Celebres etiam Sæculo XVII. in Hispania quinque extiterunt Scriptores, nimirùm *Hieronymus Gonzales*, *Joannes Palafox*, Episcopus Angelopolitanus, *Josephus Stephanus*, Episcopus Oriolensis, *Franciscus Pegna*, & *Nicolaus Antonius*, à quibus nos breviter expediemus. *Hieronymus Gonzales* scripsit *Glossema*, seu *Commentarium ad Regulam VIII. Cancellariæ de reservatione mensium, & alternativa Episcoporum*, in quo eximiæ suæ in Jure Canonico & Civili eruditionis specimina præbuit. Confundi haud debet iste *Hieronymus Gonzales* cum altero ejusdem cognominis *Emmanuele Gonzales Telles*, Collegii Majoris in Academia Salmanticensi Alumno, & posteà in eadem Academia Sacrorum Canonum Interprete doctissimo, qui scripsit *Commentaria perpetua in singulos textus quinque librorum Decretalium Gregorii Noni*. Cui Operi accuratè elaborando, singulisque De-

Decretalibus per Notas ab Hiſtoria & Chronographiâ petitas, perque uberes Commentarios illuſtrandis, viginti annos ſe impendiſſe teſtatur. Exierunt in lucem ejus Commentaria Lugduni anno MDCLXXIII. in quatuor Tomos diviſa. *Joannes Palafox*, Epiſcopus Angelopolitanus, in Nova Hiſpania Americæ, doctrinâ & pietate præditus, omniumque Chriſtianarum virtutum genere cumulatiſſimè inſtructus, immortale nomen apud Viros doctos ac pios Jure optimo adeptus eſt. Ejus in gerendis Epiſcopalibus muniis ſingularem induſtriam, zelum indefeſſum, charitatem ardentiſſimam, perfectamque ad muneris Epiſcopalis præſcriptum vivendi normam omnes hominum Ordines conſtantiſſimè celebrarunt, præſertim paternam atque verè Evangelicam curam, quam in formandis & ad germanam pietatem inſtituendis illius Regionis incolis jugitèr impendit. At, proh dolor! pius ille Epiſcopus, ob defenſas infracto pectore Ordinis & Officii ſui rationes, in graves incidit difficultates, & ut periclitanti Vitæ ſuæ conſuleret, ſæpiùs latebris ſe committere opus habuit, ſicut teſtatur *Nicolaus Antonius* in Bibliotheca Hiſpana. Tandem Epiſcopatu dejectus, variiſque tempeſtatibus actus & exul obiit pridiè Kalendas Octobris anni MDCLIX. Scripſit pius ille Epiſcopus Hiſpanico idiomate Epiſtolas, & Aſcetica quædam Opuſcula, quæ in Bibliotheca Hiſpana recenſet mox à me laudatus *Nicolaus Antonius*, ſed præcipuè Epiſtolam ad *Innocentium X.* quam, ut candidè fatear, inter legēdum à lachrymis temperare haud potui. *Joſephus Stephanus*, vulgò *Eſteve*, Epiſcopus Oriolenſis, antiquis illuſtrandis Eccleſiæ Patribus ſe-
riò

riò intendit animum, quædamque monumenta in vulgus edidit, quæ nulli non probantur, alia, si mors non intercessisset, æquè docta & utilia deprompturus. Præcipua, quæ conscripsit, Opera hæc sunt: *Lexicon Ecclesiasticum Vocum, Phrasium, ac Rituum Veteris Ecclesiæ Catholicæ, è Græcis, Latinisque Patribus*: *De Bello Sacro Religionis causa suscepto*: *De Dignitate & præeminentia Presbyterorum*: *De unica Religione Disputatio*: *De Adoratione Pontificum, pedum osculatione, gestatione, coronatione*, & alia Opera, quorum Elenchum videsis apud Cardinalem *de Aguirre* Tomo IV. *Collectionis Conciliorum Hispaniæ* pag. 749. *Franciscus Pegna*, Aragonius, in Academia Valentina Sacræ Theologiæ ac Juris utriusque Doctor, Judex Causarum Pontificiarum, seu Rotæ Romanæ Auditor à *Philippo II.* Rege Catholico institutus, summâ integritatis ac pietatis famâ pro corona Aragonię eo munere functus est. Maximâ apud Summos Pontifices *Clementem VIII.* & *Paulum V.* gratiâ & existimatione valuit, à quibus in gravissimis negotiis, ad S.Inquisitionis Tribunal spectantibus, consulebatur. Extat ejus ad hujusmodi Consultationes Responsionum volumen integrum manuscriptum. Reliquit eruditionis suæ monumenta libros à se editos de rebus Theologicis, Canonicis, Historicis, & Asceticis, quorum Catalogum videsis in Bibliotheca Hispanica *Nicolai Antonii*, & in *Præfatione ad ejus Decisiones Rotales*, quas *Didacus Antonius Frances* publicavit. In Congregationibus de Divinis Auxiliis partes habuit plurimas, earumque Diarium adornavit, cujus authographum supremâ voluntate moriens dedit nostro *Thomæ de Lemos*, illudque

jam

jam Vetuſtate exeſum Romæ in Archivo Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum extremum cum tineis agonem agit. Varia tamen ex illo tranſumpta ante annos quinquaginta Notariorum Chirographis communita, in varias Urbis, & Galliæ Bibliothecas tranſmiſſa ſunt. Denique, *Nicolaus Antonius*, Hiſpanię anno MDCXVII. natus, apud Dominicanos Hiſpalenſes ſtudiis litterarum humaniorum, & Philoſophiæ Operam dedit. Deindè Romæ Regis Catholici *Philippi IV*. Agens, ut ajunt, fuit, & demùm Matriti Conſiliarius Regius. *Bibliothecam Hiſpanam*, in qua gentis ſuæ illuſtrium Scriptorum elogia texit, duobus juſtis Voluminibus comprehenſam Romæ publicavit Vir ille ſubacti judicii & exactiſſimæ Criſeos nomine ubique celebris. Conſultò prætermiſi *Jeſephum de Aguirre*, doctiſſimum Cardinalem Hiſpanum, quippè qui Vitam Monaſticam in Ordine S. *Benedicti* profeſſus, in Claſſe illuſtrium Scriptorum Monachorũ, quos infra referemus, locum potiori jure ſibi vindicare debet.

D. Scriptorũ Anglię, quos in quinta illuſtriũ Sæculi XVII. Virorum Claſſe collocaſti, Opera ſcire non moror. Cùm enim ejuſmodi Scriptores diuturno Schiſmate à Catholica Romana Eccleſia ſint ſeparati, variiſque Hæreſibus infecti; nullus dubito, quin Opera ab ipſis edita innumeris referta ſint erroribus, calumniis & impoſturis contra Eccleſiam Romanam, à quibus proindè referendis in integrum abſtinere debemus.

M. Abſit, ut Angliæ Scriptorum, qui Sæculo XVII. Hæretico afflati ſpiritu inconcuſſa Eccleſiæ Romanæ Dogmata impetere auſi ſunt, velim

in

in præſentia recenſere Opera, quæ potiùs unà cum ſuis Authoribus diris devoveri, natalitiiſque tenebris damnari debere exiſtimo; eos tantùm in hac Claſſe referam Angliæ Scriptores, qui vel Catholici fuerunt, vel quorum Opera Catholicæ Fidei Doctrinæ Veritati nullatenùs officiunt, ſed Chronologiæ & Hiſtoriæ cùm Sacræ tum Eccleſiaſticæ illuſtrandæ haud parùm inſervire poſſunt. Inter hæc Anglorum Scriptorum Opera, Catholici Doctores plurimùm commendant *Biblia Polyglotta*, ſive *Anglicana*, vel *Londinenſia* nuncupata, quæ complectuntur Textus Originales, Hebraïcum, cum Pentateculo Samaritano, Chaldaicum, Græcum, Verſioneſque antiquas, Samaritanam, Grecam LXX. Interpretum, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Æthyopicam, Perſicam & Vulgatam Latinam, cum Textuum & Verſionum Orientalium Translationibus Latinis, cum Apparatu, & ſexdecim Prolegomenis, Appendicibus, Tabulis, Variis Lectionibus, Annotationibus, &c. Hoc immenſum Opus, in ſex Tomos in Folio tributum, Londini anno MDCLVII. typis mandari curavit *Brianus Waltonus*. Hanc Bibliorum Polyglottorum Londinenſium Editionem accuratiorem eſſe Editione Bibliorum Polyglottorum Pariſienſium obſervat *Jacobus le Long*, Congregationis Oratorii Presbyter, in ſua *Bibliotheca*, ſeu *Syllabo omnium fermè Sacræ Scripturæ Editionum ac Verſionum &c.* Idem etiam anteà obſervaverat alter doctiſſimus Congregationis Oratorii Sacerdos *Richardus Simonius* in Diſquiſiſitionibus Criticis, cap. 27. pag. 219. ubi tamen ait, ſe in hac Polyglottorum Bibliorum Londinenſium Editione deſiderare meliores Verſiones Orientales

tales

tales, in primis Arabicas, ibidemque varios errores ex Bibliorum Polyglottorum Parisiensium Editione in eam Londinensium translatos nec castigatos, notat. Ad illustrandam Chronologiam, seu doctrinam Temporum, & ad dilucidandas difficultates, quæ passim in ea occurrunt, multum laboris & operæ posuerunt tres Scriptores Angli, *Joannes Seldenus*, *Jacobus Usserius*, & *Henricus Dodwellus*. Vindicias Epistolarum S. *Ignatii* Martyris scripsit *Joannes Pearsonus*. Opera S. *Joannis Chrysostomi* Græcè edidit *Henricus Savilius*. Britannica Concilia collegit *Henricus Spelmannus*. Synodicon, sive *Pandectas Canonum Apostolorum, & Conciliorum Ecclesiæ Græcæ* publicavit *Gulielmus Beveregius*, & Codicem Canonum *Ecclesiæ primitivæ* vindicavit & illustravit. Scriptorum Ecclesiasticorum *Historiam Litterariam* concinnavit *Guillelmus Cave*, Hæreticus Anglus. Denique, *Guillelmus Camdenus* scripsit *Historiam Britannicam*, & *Historiam de rebus Elizabethæ Reginæ Angliæ*. Alios longè plures Sæculi XVII. Scriptores Anglos percensent *Nicolaus Angelus Caferrius à Sancta Victoria* in *Synthemate Vetustatis*, quod Romę an. MDCLXVII. publicã luce donavit, & *Thomas Pope Blount* in *Censura Celebrium Authorum*, quæ prodiit Coloniæ Allobrogum anno MDCXCIV. Sed ipse consultius esse arbitror, ejusmodi Scriptorum, quorum Opera ab Ecclesia Romana sunt proscripta, & Catholico Lectori perniciosa esse possunt, nullam prorsùs mentionem facere. His itaque omninò silentio prætermissis, unum dumtaxat laudabo Sæculi decimi septimi Scriptorem Anglum Catholicum, *Henricum Holden*, Sacræ Facultatis Parisiensis Docto-

ctorem Theologum, qui librum edidit *de Analysi Fidei* duas in partes distributum, in quarum prima disserit de Principiis Fidei; in altera discernit ea quæ Fide divinâ credenda sunt ab his quæ ad Fidem non spectant. Huic libro annexuit Tractatum *de Schismate*, in quo evincit, Lutheranos, Calvinistas, aliosque modernos Hæreticos se se à vera Ecclesia, seu Romanâ, exitiali Schismate separasse. Scripsit etiam idem *Henricus Holden* tres *Epistolas*, *unam de Usura*, & duas directas ad *Antonium Arnaldum*, Doctorem Sorbonicum, in quibus profitetur, se mordicùs adhærere doctrinæ Scholæ Thomistarum de Gratiâ se ipsâ efficaci & de Prædestinatione gratuitâ. Postremò, contexuit marginales Notas breves, & Litterales ad faciliùs percipiendum genuinum Novi Testamenti sensum.

D. Benè est: jam sat superque notos habeo præcipuos Scriptores, qui Sæculo XVII. Vitæ nec Monasticæ nec Regulari addicti, in Gallia, Italia, Germania, Hispania, & Anglia Ecclesiam, aut saltem Rempublicam Litterariam suis lucubrationibus illustrarunt. Superest nunc, ut celebriores in medium proferas Scriptores, qui eodem Sæculo Vitam vel Monasticam, vel Regularem professi sunt, & exordium ducas à Monachis Benedictinis, Cisterciensibus, & Carthusianis, quibus in sexta illustrium Sæculi XVII. Scriptorum Classe locum dedisti.

M. Scriptores Sæculi XVII. Ordinis S. *Benedicti*, potissimùm doctissimæ ac religiosissimæ Congregationis S. *Mauri* in Galliis, amplissimum suppeditant dicendi argumentum, quod, si pro eo ac meretur, prosequi animus esset, longiùs quàm par esset,

esset, nostrum protraheretur Colloquium. Necesse igitur est, ut in tanta Scriptorum segete præcipuos seligam, ac breviter indicem Opera, quibus universæ Ecclesiæ, & Reipublicæ Litterariæ novum splendorem addiderunt, præsertim castigatissimis, & calculis omnium Virorum eruditorum probatis Editionibus, quas summâ diligentia, incredibili studio, criterio & labore adornarunt Operum SS. Patrum, *Irenæi*, *Basilii*, *Athanasii*, *Ambrosii*, *Hilarii*, *Augustini*, *Hieronymi*, *Chrysostomi*, *Gregorii Magni*, Pontificis Maximi, *Cassiodori*, *Gregorii Turonensis*, *S. Bernardi*, & aliorum Scriptorum, cùm Græcorum, tùm Latinorum, quorum Opera assiduis curis, & doctissimis Præfationibus, Notis & Observationibus illustrarunt, & quidem eo successu, quem non modò eruditi quique, & Ecclesiæ Principes sæpè gratulati sunt, sed etiam *Clemens Undecimus* Pontifex Maximus, Decessorum suorum exemplo, approbare voluit Brevi Apostolico ad Præfectum Generalem Congregationis S. *Mauri* die XIX. mensis Aprilis anni MDCCVI. directo, ubi hæc habet: *Diutiùs præterire silentio non possumus, quantoperè nobis acceptum, probatumque sit studium, quod Congregatio tua Sanctorum Ecclesiæ Patrum Operibus recensendis, iisque, nitidiori quàm anteà cultu, publicam in lucem proferendis impendit. Quod quidem studium & professione virtuteque vestra maximè dignum ducimus; & non vobis dumtaxat gloriosum, verùm etiam rei Christianæ ac Orthodoxæ in primis Religioni saluberrimum fore confidimus. Quam ob rem te, Monachosque tuos in Domino hortamur, ut in egregio hoc instituto strenuè, diligenterque pergatis; pro certo habentes, quidquid in honorem commo-*

dumq; vestrum à Pontificia benignitate poterit profici-ſci,id nullo vobis unquã tempore defuturum &c. Agmen Scriptorum Sæculi XVII. Ordinis S. *Benedicti* Congregationis S. *Mauri* ducet *Lucas Dacherius*, doctrinâ & pietate conſpicuus, qui omnia *Lanfranci* Opera doctiſſimis Notis & Obſervationibus illuſtrata, additiſque raris & utiliſſimis monumentis locupletata Pariſiis anno MDCXLVIII. publicavit; Opera etiam *Guiberti* Abbatis *de Novigento*, cum eruditis Notis & Obſervationibus, necnon Hiſtoriis plurium Abbatiarum, Vitis Sanctorum, aliiſque id genus antehàc ineditis monimentis, publici Juris fecit. Sed cùm *Lucas Dacherius* in manuſcriptis Codicibus eſſet verſatiſſimus, ſingulare & utiliſſimum lucubravit Opus, omnium Litteratorum plauſu exceptum, cui titulum fecit *Spicilegium*, in quo quædam Scriptorum Opera, Epiſtolas, Acta & Canones Conciliorum, Hiſtorias, ſeu Chronica, Vitas Sanctorum, Opera Poëtica, antiqua Tabularia, documenta & inſtrumenta, quæ in variis Galliarum Bibliothecis latebant, & necdùm publicam lucem adſpexerant, inſeruit, accuratè digeſſit, pulcherrimis Notis & Præfationibus explanavit. Extant illius *Dacheriani Spicilegii* Tomi tredecim, in quarto, juſtæ magnitudinis. *Lucæ Dacherio* laboranti, & ſenio jam confecto Socius datus eſt *Joannes Mabillonius*, qui nihil antiquiùs habuit, quàm ut tam Venerabili Viro, magiſtro ſimul & amico, gratum ac memorem ſeſe exhiberet. Mortuo *Luca Dacherio* Pariſiis anno MDCLXXXV. *Joannes Mabillonius* ſingulare ſuæ erga Magiſtrum *Dacherium* obſervantiæ ſpecimen præbuit, quippè qui in Præfatione primi Tomi *Actorum*

rum Ordinis S. Benedicti palàm testatur, hoc Opus non sibi, sed Magistro suo *Dacherio*, qui in colligendis ac digerendis Actis Sanctorum Ordinis S. *Benedicti* diù multùmque insudaverat, acceptum referri debere: *Acta*, inquit, *Sanctorum Ordinis S. Benedicti unum in corpus redigenda, tandem Deo duce aggredior: non quidem autor, sed adjutor operis: non primarius Architectus, sed minister succedaneus*. Summa *Joannis Mabillonii* eruditio cum eximia pietate morumque probitate conjuncta immensum dicendi mihi aperiret campum, in quo exultare, ac liberè vagari posset Oratio, sed me ad istas verborum angustias revocat Colloquiorum nostrorum brevitas, ut præclaras illius omni laude superioris & extra omnem ingenii aleam positi Monachi Benedictini dotes, ac benè multas lucubrationes cedro & laminâ aureâ dignas, lato calamo, ut optarem, describere ac referre minimè possim. Certè Mabillonium nominasse, laudasse est; & qui eum ignorat, in Republica Litteraria non est, aut in ea peregrinus planè & hospes est. Tria tamen circà *Joannis Mabillonii* Opera velim obitèr observes. Primò, omnes Viri eruditi in libris, quos *Joannes Mabillonius* edidit *de re Diplomatica*, suspexerunt Authoris acumen, ingenii sagacitatem, profundam eruditionem, immensam Veterum & recentiorum Scriptorum lectionem, atque miram industriam, quâ ad artem ac præcepta tàm scitè, feliciterque redegit, nullis ad eam diem regulis, ac legibus subjectum argumentum. Unus solus Scriptor in Galliis *Germonius*, Veterum Codicum haud æquus æstimator, in *Mabillonium* calamum acuit, sed eum *Ma-*

billonius in Supplemento, addito ab libros *de re Diplomatica*, egregiè confutavit. Hoc *Mabillonii* Supplementum paulò post exceperunt eruditæ admodùm Vindiciæ, quas in Italia *Mabillonii* amici in Diplomatis Operis defensionem adornarunt, illustrissimus Abbas *Justus Fontaninus*, *Lazzarinus*, *Antonius Gattus*, & alii, qui omnes *Germonii* objectiones sedulò excusserunt, & plenissimè diluerunt. Secundò, observare debes, Acta Sanctorum Ordinis S. *Benedicti*, quæ quinque Tomis in Folio collegit, & in Benedictina Sæcula digessit *Joannes Mabillonius*, non solùm valere ad informandos Sanctorum exemplis mores, sed etiam ad illustrandam Historiam & Disciplinam cùm Ecclesiasticam, tùm Monasticam, immò ad firmanda Catholicæ Religionis dogmata. Sed legendæ sunt præsertim eruditissimæ singulis Tomis præmissæ Præfationes, in quibus selecta eaque difficillima cujusque Sæculi Historiæ Capita, ac præcipua quæque, quæ ad Disciplinam tum Ecclesiasticam, tum Monasticam pertinent, ipsaque Fidei dogmata sic pertractantur, ut miretur quisquis legerit, summam authoris eruditionem & facilitatem in enodandis difficultatibus, quæ anteà Viris alioquì peritissimis negotium facessebant. Denique, observare debes enatam fuisse Litterariam Concertationem inter *Joannem Mabillonium*, & *Armandum Joannem Butillerium Rancæum*, Abbatem Monasterii B. *Mariæ de Trappa*, strictioris Observantiæ Cisterciensis, occasione libri, quem *de Monasticis Studiis* edidit *Joannes Mabillonius*, de qua Concertatione commodiùs in sequenti Colloquio disseremus, ubi de illo Abbate, severioris Disciplinæ Monasticæ cu-

tore

:ore, sermonem habendi sese dabit occasio. Si plura de doctissimo *Mabillonio* scire aveas, legesis *Synopsin ejus Vitæ*, quam primò Gallicè descripsit *Theodericus Ruinartus*, Congregationis S. *Mauri* alumnus, quamque posteà latinè reddidit, & multarum rerum notitiâ amplificavit alter ejusdem Congregationis S. *Mauri* Monachus. Consulere etiam poteris doctissimum P. *Renatum Massuet*, Congregationis itidèm S. *Mauri* Monachum, qui in fronte Tomi VI. *Annalium Ordinis S. Benedicti* anno MDCCXIII. in lucem editi, præfixit Vitam *Joannis Mabillonii*, eumque vindicavit à criminationibus, quas Auctor Bibliothecæ Criticæ huic eruditissimo Monacho impingere ausus est. Obiit *Joannes Mabillonius* die XXVII. mensis Decembris anni MDCCVII. A' *Joanne Mabillonio* sejungi non debet *Theodericus Ruinartus*, ejus individuus comes, & studiorum ac laborum socius, Congregationis S. *Mauri* Monachus Benedectinus, qui librum edidit, in quo doctissimis Notis illustrat *Acta sincera & selecta Martyrum*, qui prioribus quatuor Ecclesiæ Sæculis pro Christianæ Fidei defensione passi sunt, totique Operi eruditam Præfationem præmisit, in qua primùm recenset modos, quibus sincera Martyrum Acta ad nos pervenerunt: tum invictè contra *Henricum Dodwellum*, Scriptorem Anglum, probat, infinitos propemodùm Martyres extitisse quatuor prioribus Ecclesiæ Sæculis, quorum acta vel perierunt, vel descripta non fuerunt, ac subindè Martyrum numerum ex Actorum numero non esse repetendum. Edidit etiam *Theodericus Ruinartus* Historiam *Persecutionis Wandalicæ*: *Sæculum Sextum Actorum Ordinis S. Benedicti*:

Apologiam pro missione S. Mauri in Francia: *Mabillonii Vitæ Synopsin*: & *novam Operum S. Gregorii Turonensis Editionem* publicavit, obiitque die XXVII. mensis Septembris anni MDCCIX. Fidem Veterum Manuscriptorum Codicum egregiè contra *Bartholomæum Germonium* vindicavit doctissimus *Petrus Coustant*, Congregationis S. *Mauri* Monachus Benedictinus, qui Parisiis anno MDCCVI. insigne Opus typis mandavit, cui titulus est: *Vindiciæ Manuscriptorum Codicum à R. P. Bartholomæo Germon impugnatorum, cum Appendice, in qua S. Hilarii quidam loci ab Anonymo obscurati & depravati illustrantur & explicantur*. Eidem *Petro Coustant*, Monacho Benedictino, debet Respublica Litteraria novam & accuratissimam Operum S. *Hilarii* Editionem, perdoctis Dissertationibus ac Notis illustratam. *Franciscus Lamy*, Congregationis S. *Mauri* Monachus Benedictinus, scripsit quinque Tomos *de notitia sui ipsius*: Opuscula *contra Atheos & incredulos*: *Tractatum de Veritate Religionis Christianæ* *librum de primis elementis scientiarum*: & plures Epistolas Morales ac Theologicas. *Edmundus Martene* Congregationis S. *Mauri* Monachus, eruditum concinnavit Commentarium in Regulam S. *Benedicti* plures Tomos edidit *de Ritibus Monasticis*: *de Ritibus Ecclesiasticis*: *Tractatum de antiqua Ecclesiæ Disciplina in Officiorum Divinorum celebratione*: *Collectionem Scriptorum & Monumentorum Historicorum Moralium, & Dogmaticorum, quæ spectant negoti Ecclesiastica, Monastica & Politica*: *Thesaurum n vum Anecdotorum*, & alia erudita Opera. *Hug Mathoudus*, Congregationis S. *Mauri* Benedic nus, *octo libros Sententiarum Roberti Pulli*, Card nali

nalis, Sæculi XII. Theologi Scholastici Angli, perdoctis Notis & Observationibus illustratos Parisiis anno MDCLV. publicavit, & plures ejusdem Cardinalis opiniones, quæ nunc in Scholis Theologorum antiquatæ, atque tantùm non damnatæ videntur, vindicat ab erroris notâ, & inofficiosâ censurâ. *Hugo Menardus*, Congregationis S. *Mauri* Benedictinus, doctrinâ & pietate celebris, *Martyrologium Sanctorum Ordinis S. Benedicti* duobus eruditarum Observationum Tomis in Folio illustravit. Edidit etiam *Dissertationem de unico Dionysio*: *Notas in Halitgarum Cameracensem*: *Notas & Observationes*, omnigenâ eruditione refertas, *in librum Sacramentarii S. Gregorii Magni, Pontificis Maximi*. *Epistolam S. Barnabæ* Apostoli cum Notis & Observationibus in lucem edere statuerat *Hugo Menardus*, sed, eo inopinatâ morte sublato, *Lucas Dacherius*, cujus anteà mentionem fecimus, hanc S. *Barnabæ* Epistolam, Notis & Observationibus *Hugonis Menardi* illustratam, publici juris fecit. *Joannes Martianæus*, Congregationis S. *Mauri* Benedictinus, novam omnium S. *Hieronymi* Operum Editionem adornavit, in quinque Tomos distributam. Primus Tomus complectitur *Bibliothecam Divinam S. Hieronymi*, quæ Sacrorum Veteris Testamenti librorum latinam exhibet Versionem à Sancto illo Doctore lucubratam. Alter Tomus continet libros S. *Hieronymi* ethymologicos, geographicos, Quæstiones Hebraicas, Epistolas Criticas, & Commentarios in Sacra Volumina à libro Genesis usq; ad Prophetas. Tomus tertius complectitur Commentarios S. *Hieronymi* in XVI. Prophetas. Tomus quartus binas in partes divisus complectitur Com-

mentarios omnes S. *Hieronymi* in Novum Testamentum, atque ejusdem S. Doctoris Epistolas Criticas ejusdem argumenti, ordine librorum Sacræ Scripturæ positas; deindè cunctas alias illius Epistolas Ordine Chronologico nunc primùm editas, & in varias Classes dispositas cum Opusculis Apologeticis & Polemicis. Tomus quintus continet Vitam S. *Hieronymi* à duobus Anonymis scriptam, Catalogum *Gennadii*, Opuscula supposititia, & Appendicem Thesium & Disputationum in Scripturam Sacram. Edidit etiam *Joannes Martianæus* tùm Latinè, tùm Gallicè alia Opuscula in Scripturam Sacram, sed præsertim *Vitam S. Hieronymi* Gallico idiomate descripsit. *Dionysius Sammarthanus*, præter quædam Opuscula Polemica, quę scripsit contra HęreticosCalvinistas in Galliis, concinnavit etiam Vitas *Cassiodori*, & S. *Gregorii* Papæ, omniumque illius Summi Pontificis Operum elegantissimam Editionem cum eruditis Præfationibus, Notis ac Dissertationibus adornavit. Vivit adhuc Parisiis in Monasterio S. *Germani* à Pratis doctissimus ille Congregationis S.*Mauri* Benedictinus, qui nunc *Galliæ Christianæ*, quam pluribus in locis emendavit, multis accessionibus & monumentis auxit ac illustravit, novam & accuratiorem Editionem parat, jamque primus Tomus prodiit Parisiis anno MDCCXV. quem alii Tomi, qui sub prælo sudant, excipient, propediem in lucem prodituri. *Nicolaus le Nourri*, Congregationis Sancti *Mauri* Benedictinus, edidit *Apparatum ad Bibliothecam Maximam Patrum*, Opus sanè immensum, cujus duo Tomi in Folio jam publicam lucem adspexerunt, in quibus doctissimus Author va-

varias & eruditas instituit Dissertationes ad secernenda genuina Sanctorũ Patrum Opera à spuriis, & ad difficiliora, quæ in iis occurrunt, loca explananda. In quo argumento nemo, meâ quidam sententiâ, majori curâ, meliori fide, acriori judicio, nitidiori stylo hactenùs versatus fuerat. Utinam Clarissimum illum Scriptorem Deus Optimus Maximus diù sospitem & incolumem servet, quò vastum illud & planè stupendum Opus ad umbilicum perducere possit. Agmen illustrium Scriptorum Benedictinorum Congregationis Sancti *Mauri* claudet *Bernardus de Montfaucon*, qui linguæ Græcæ peritissimus, in MSS. Codicibus versatissimus, Criticus nulli secundus, Historicus, & Antiquitatis cùm Sacrę, tùm Ecclesiasticæ & prophanæ studiosissimus, omnium Virorum eruditorum hujus Sæculi facilè Princeps habetur. Evulgavit primò *Analecta*, seu *plura Opuscula Græca, hactenùs inedita*. Deindè, utilissimum Opus lucubravit *de Palæographia Græca*, seu de origine & progressu caracterum, quibus usi sunt Græci, & de vario apud illos in diversis Sæculis scribendi modo, ita ut ex eo *Bernardi de Montfaucon* egregio Opere eamdem utilitatem Viri eruditi ad habendam notitiam temporis, quo Diplomata, Instrumenta, Tabularia, & Opera Græcorum scripta sunt, percipere possint, quam hactenùs Viri eruditi ad consequendam notitiam temporis, quo Diplomata, Instrumenta, Tabularia, & Opera MSS. Latinorum exarata sunt, ex libro *Joannis Mabillonii de re Diplomatica* abundè perceperunt. Publicavit quoque *Bernardus de Montfaucon* Commentarium in Psalmos Lucubratum ab *Eusebio*, Episcopo Cæsariensi, quem

quem Arianum fuisse invictè demonstrat: *Hexapla Origenis*: novam, omnibusque numeris absolutam omnium S. *Athanasii* Operum Editionem Græco Latinam, cui doctissimam præmisit Præfationem, in qua latè disserit de his, quæ attinet ad Vitam S. *Athanasii*, ejus Opera, doctrinam, Disciplinam illius temporis, & Hæreticos, à quibus impetita fuit S. *Athanasii* doctrina. Novam etiam agressus est omnium S. *Joannis Chrysostomi* Operum Editionem, innumeris Notis, doctis ac curiosis Observationibus illustratam. Denique, *Bernardus de Montfaucon* edidit *Diarium Italicum*: *Historiam Judithæ* in tres partes divisam, & egregiis circa Assyriorum, & Medorum Reges historicis Documentis locupletatam: necnon vastissimum Opus de Antiquitatibus sacris, & prophanis Græcis & Latinis, cum Figuris, quod nuperrimè in plures Tomos distributum exiit in lucem. Prætermitto alios penè innumerabiles Congregationis S. *Mauri* in Galliis Benedictinos Scriptores Asceticos, Historicos, Polemicos, Theologos, & in omni Disciplinarum genere exercitatos, qui nunc in oculis, & in ore omnium sunt, quosq; singulos, honoris causâ, nominatim hìc recensere nihil esset mihi optatius, nisi justè pertimescerem, ne, si minus de aliquo dicerem, ingrata; si satis de omnibus, infinita esset eorum à me suscepta commendatio; maximè cùm mihi adhuc dicendum supersit de quibusdam aliis Italiæ, Hispaniæ, & Belgii Scriptoribus Benedictinis, necnon de Cisterciensibus & Carthusianis, qui Sæculo XVII. floruerunt, à quibus tamen paucis me expediam. Duos Italiæ proferam Scriptores Benedictinos, *Constantinum Cajetanum*,
Ab-

Abbatem; & *Benedictum Bachini*, Monachum Cassinensem. Prior, seu *Constantinus Cajetanus*, Operum S. *Petri Damiani* editionem adornavit, & Notas scripsit in Vitas S. *Anselmi*, *Amalarii Fortunati*, & *Gelasii II.* Pontificis Maximi. S. *Gregorium Magnum* Papam Vitam Monasticam, juxta S. *Benedicti* Regulam, professum fuisse, multis Scriptis contra Cardinalem *Baronium*, & *Gallonium* editis, pro aris ac focis propugnavit, & quod singulari sanè observatione dignum est, & à nobis in superiori Tomo improbatum, S. *Ignatium de Loyola*, Societatis Jesu Fundatorem, Monachum itidem Benedictinum fuisse probandum suscepit publico Scripto, cui hunc indidit titulum: *De Religiosa S. Ignatii, sive Sancti Enneconis, Fundatoris Societatis Jesu, per Patres Benedictinos, institutione; deque libello Exercitiorum ejusdem ab Exercitatorio Venerabilis Servi Dei Garciæ Cisnerii, Abbatis Montis Serrati, magna ex parte desumpto; Constantini Abbatis Cajetani Vindicis Benedictini libri duo.* Alter Scriptor Italus Monachus Benedictinus Cassinensis, seu *Benedictus Bachini*, latinè scripsit Tractatum *de Origine Hierarchiæ Ecclesiasticæ*. Ex illustribus Hispanis Monachis Benedictinis unum dumtaxàt laudabo *Josephum de Aguirre*, qui antequàm ad Cardinalitiam dignitatem eveheretur, Benedictinæ Congregationis Hispaniarum Præfectus Generalis fuit. Operum, quæ edidit doctissimus ille Cardinalis, hi Tituli sunt: *Ludi Salmanticenses*, seu *Theologia florulenta*: S. *Anselmi Theologia Commentariis & Disputationibus illustrata*, tribus Tomis in Folio comprehensa: *De Virtutibus & Vitiis Disputationes Ethicæ*: *Philosophia Moralis Aristotelis Commentariis*

riis illustrata: *Lacinia contra Socinianos*: *Notitia compendiaria Conciliorum Hispaniæ*: *Synopsis Conciliorum Hispaniæ*: & *Collectio maxima Conciliorum omnium Hispaniæ & Novi Orbis*, cum doctissimis Notis & Dissertationibus, quibus Sacri Canones, Historia ac Disciplina Ecclesiastica, & Chronologia accuratè illustrantur. Duo in Belgio eximiæ doctrinæ laude claruerunt Scriptores Benedictini, videlicet *Matthæus Petit-Didier*, & *Augustinus Calmet*, quorum primus aliquot vulgavit Criticarum Observationum Tomos in *Bibliothecam Scriptorum Ecclesiasticorum*, quam contexuit *Ludovicus Ellias Dupinus*. Edidit etiam *Matthæus Petit-Didier* Latinas *Dissertationes Historicas, Criticas, & Chronologicas in omnes Libros Veteris Testamenti*. Alter Scriptor Belga Monachus Benedictinus, seu *Augustinus Calmet*, Auctor est amplissimi *Commentarii Litteralis in libros Scripturæ Sacræ tum Veteris, tum Novi Testamenti*, in quo quidquid sacræ & prophanæ eruditionis in Sacræ Scripturæ antiquis & modernis Interpretibus nancisci potuit, collegit, digessit, atque doctissimis Dissertationibus explanavit in viginti quatuor Voluminibus in quarto, quæ jam publicam in lucem prodierunt, Gallico idiomate conscripta. Prætermittere non debeo Doctissimum Religiosum Benedictinum, qui mihi penè exciderat, *Jacobum Bossutium*, Gallicè *Le Bossu*, origine Parisinum, Doctorem Sorbonicum, & omnibus Pontificibus, sub quibus Romæ degit, carum; sed præsertim *Clementi VIII.* & *Paulo V.* qui munus Consultoris ei imposuerunt in Congregationibus *de Auxiliis*, in quibus Dominicanorum de Gratia sententiam strenuè propugnavit, unà cum

cum *Ludovico de Creil*, quem Academia Parisiensis ad Sedem Apostolicam pro iisdem Congregationibus delegaverat. Scripsit *Jacobus Bossutius* Congregationum de Auxiliis Diarium, & extant etiamnùm ejusdem Jacobi *Bossutii* Animadversiones in viginti quinque propositiones *Ludovici Molinæ*, quas ille à *Domno Sancio à S. Catharina Fuliensi*, quo familiaritèr utebatur, rogatus elaboraverat, eiq; dono dedit moriens. Obiit Romæ *Jacobus Bossutius* VII. Idus Junii anni MDCXXVI. ut videre est in ejus Epitaphio, quod Romæ in Ecclesia Ordinis Minimorum Gallorum, ad Montem Pincium, extra cancellos Aræ Principis, legitur. Habes illustriores Ordinis S. *Benedicti* Scriptores Monachos, quorum Opera Viris eruditis notiora sunt, quàm ut vanis præconiorum ornamentis indigeant. His Scriptoribus Benedictinis tres celebres adjungam Scriptores Monachos Cistercienses, videlicèt *Joannem Bona* Cardinalem, *Ferdinandum Ughellum*, & *Paulum Pezron*. Primus, seu *Joannes Bona*, natione Italus, Monachorum Cisterciensium, qui *Fulienses*, vulgò dicuntur, Abbas Generalis fuit in Italia, Doctrinâ & pietate insignis, à *Clemente Nono* Pontifice Maximo Cardinalis creatus, perdocta edidit Opera, præsertim *de rebus Liturgicis*: *de Divina Psalmodia*: *de discretione spirituum*: scripsit etiam *Horologium Asceticum*: Epistolas, & quædam Opuscula, quæ ad mores probè informandos, vitiaque corrigenda sunt utilissima. *Ferdinandus Ughellus*, natione Italus, novem publicavit Tomos *de Italia Sacra*, sive *de Episcopatibus Italiæ & Insularum adjacentium &c.* Primus Tomus complectitur Ecclesias Sanctæ Romanæ Sedi immediatè

tè ſubjectas. Tomus ſecundus complectitur Ecclesias Æmiliæ, Flaminiæ, Piceni, & Umbriæ. Tomus tertius complectitur Eccleſias Etruriæ. Tomus quartus exhibet Eccleſias Inſubriæ, Liguriæ, & Pedemontis. Tomus quintus continet Eccleſias Forijulii & Venetorum Dominii. Tomus ſextus complectitur Eccleſias Campaniæ, Aprutii, & Hirpinorum. Tomus ſeptimus Eccleſias Baſilicatæ, Apuliæ & Pecuariæ. Tomus octavus continet Eccleſias Samnii. Tomus nonus complectitur Eccleſias *Solantinorum* & Calabriæ. *Paulus Pezron*, natione Gallus, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctòr, & tùm ſacræ, tùm prophanæ eruditionis laude clariſſimus Abbas, Gallicè ſcripſit librum: cùi titulus eſt: *Antiquitas Temporum reſtituta & defenſa contra Judæos, & modernos Chronographos*: *Defenſionem Antiquitatis Temporum*: *Commentarium Litteralem in Prophetas*: *Hiſtoriam Evangelicam*: & librum *de Antiquitate Nationis & Linguæ Celtarum &c.* Ex Religioſiſſimo Ordine Monachorum Carthuſianorum, qui hominum conſortia fugiunt, avias ſolitudines perſequuntur, locos inacceſſos incolunt, & Urbanis negotiis procul, inter Saxorum aſperitates, & impendentium montium altitudines fermè inhabitant, & ſoli Deo, rerumque cœleſtium meditationi jugiter vacant, unum dumtaxat celebrem Scriptorem, videlicèt *Natalem D'Argonne*, Carthuſianum, natione Gallum, hìc compellabo, in lectione Operum Sanctorum Patrum aſſiduum, & in eorum doctrina adeò exercitatum, ut luculentiſſimum librum, omnibus Viris eruditis probatum, Gallicè ſcripſerit, in quo docet modum, ſeu Methodum legendi Opera Sancto-

ctorum Patrum; indicat Disciplinas, quarum notitiâ necessariò instructi esse debent hi, qui Sanctorum Patrum Opera fructuosè legere cupiunt, omnesque adhortatur, ut relictis vanis illis quæstionibus, quæ in Scholis dissensiones pariunt, sanam Theologiam, ex Sanctorum Patrum Operibus, quę Theologi nocturnâ diurnâque manu versare debent, haurire satagant, iisdemque argumentis Hæreticos, omnesque Fidei Catholicæ hostes confodiant, quibus usi sunt Sancti Patres, quorum doctrinæ, ceu sacræ anchoræ, firmiter ac indivulsè adhærere debemus. Sed satis hactenùs de Scriptoribus Monachis dictum sit.

D. Dùm illam penè incredibilem clarissimorum Scriptorum, qui Sæculo XVII. è statu Monastico, præsertim è Benedictinorum Congregatione S. *Mauri* in Galliis, velut ex amplissima virtutum omnium ac Disciplinarum Scholâ, prodierunt, multitudinem conspicio, videre mihi videor Davidis illam Turrim, ex qua, ut ajunt sacræ Paginæ, *mille clypei pendent, omnis armatura fortium*. Nunc verò ad septimam Virorum illustrium Sæculi XVII. Classem, in qua de Familiæ Dominicanæ Scriptoribus disserendi onus suscepisti, progrediamur; &, nè in immensum diffundamur, eos, si placet, percense dumtaxat Scriptores, qui eo Sæculo in Ordine Fratrum Prædicatorum celebriores fuerunt.

M. Quamvis laus propria proprio sordescat in ore & calamo, necesse tamen est, ut Familiæ Dominicanæ, cui nomen dedisse eximiæ felicitatis & summo semper honoris loco ducam, nobiliores Sæculi XVII. Scriptores in medium producam, qui Fi-

Fidem Catholicam adversùs Hæreticos totis ingenii & eloquentiæ suæ viribus propugnarunt, atque maximum Reipublicæ Litterariæ perdoctis suis lucubrationibus splendorem contulerunt. Scriptores itaque Ordinis Prędicatorum laudans, domestica quidem prædicabo, sed, ut verbis utar S. *Gregorii Nazianzeni* in Oratione Funebri in laudem sororis suæ Gorgoniæ, *non tamen quia domestica, ideò falsò, sed quia vera, ideò laudabiliter: Vera autem, non modò quia justa, verùm etiam quia nota. Quocircà non hoc vereor, ne ultra veritatis metam prosiliam, sed illud contra, ne infra veritatem subsistam, ac procul à rei dignitate remotus laudatione mea gloriam* ipsorum *immminuam*, quandò quidèm difficile est tùm res gestas, tùm lucubrationes ab ipsis editas laudum ornamentis adæquare. Incipiam porrò à Cardinalibus & Episcopis; deindè laudabo eximios Scriptores, Antiquitatis cùm Græcæ, tùm Latinæ, & Historiæ Ecclesiasticæ peritissimos; postremò, referam innumeros penè Theologos Scholasticos, quos Sæculo XVII. peperit Prædicatorum Ordo. Quinque Cardinales Ordinis Prędicatorum doctrinâ & pietate præstantissimi Sæculo XVII. in Ecclesia præfulserunt, videlicet *Vincentius Maculanus*, *Raymundus Capissuccus*, *Vincentius Maria Ursinus*, *Vincentius Maria Ferrari*, & *Thomas Hovvardus*, Dux Norfolciæ in Anglia. Primus, seu *Vincentius Maculanus*, Cardinalis fuit adeò doctus, totque præclaris dotibus exornatus, ut post obitum *Urbani VIII.* à pluribus Cardinalibus ad Pontificatum fuerit expetitus. Eo tamen renuente, Summus Pontifex electus est *Joannes Baptista Pamphilus*, dictus *Innocentius X.* At mortuo *Innocentio X.* in novis Co-

Comitiis iterùm à benè multis Cardinalibus in Pontificem propositus est. Sed, eo Pontificatum pertinaci modestiâ recusante, electus est Pontifex Maximus *Fabius Chisius*, dictus *Alexander VII.* sicut jam in Colloquio secundo observavimus. Plura de *Vincentio Maculano*, Cardinali Tituli S.*Clementis*, legesis in ejus Vita, quæ extat Tomo IV. de Vitis Romanorum Pontificum, in Pontificatu *Urbani VIII.* qui eum creavit Cardinalem. *Raymundus Capissuccus*, anteà Sacri Palatii Apostolici Magister, posteà ad Purpuram assumptus, Vir fuit omni laude dignus, in adversis æquè ac secũdis sibi semper constans. Scripsit *Quæstiones Morales & Dogmaticas* cum Dissertatione *de Hæreticis Prædestinatianis*, Tomo in folio comprehensas. Publicavit quoque alterum Tomum in folio *de Selectis Controversiis Theologicis*. De illius Cardinalis natalium splendore nihil in præsẽtia dicam. Nemo quippè nescit, nisi cui nostri, & superiorum temporum ignota est Historia, Familiam *Capissuccorum* Romę pervetustam, & Heroum esse feracissimam, Infulis, Armis, & Litteris illustrium, qui domi, forisque rem Christianam tutati sunt; Ecclesiæ Romanæ Cardinales, Sedis Apostolicæ Legati, Senatores Romani, Exercituum Pręfecti, qui Fidem Catholicam adversùs Hęreticos in Gallia, & Belgio, adversùs Turcas in Hungaria propugnarunt. Sed necesse non est Cardinali *Capissucco*, partis proprio labore bonis opulento & laudibus ornato, aliena à Majoribus decora asciscere, quæ illi suppetunt copiosissima. *Vincentius Maria Ursinus*, Cardinalis & Archiepiscopus Beneventanus, ex illustrissima & antiquissima Ducum Familiâ oriundus, & eximiâ pietate, atque singu-

lari doctrinâ insignis, publicâ luce donavit Conciones de Vita Beatissimæ *Mariæ* Virginis, quas ipse in Ecclesia Beneventanâ diebus Sabbati ad populum habuit. Edidit etiam idem Cardinalis Lectiones in *Exodum*, plures Epistolas Pastorales, Decreta, Statuta, & triginta quatuor Synodos, quas hactenùs celebravit, & singulis annis indicere solet, ut Disciplinam Ecclesiasticam, cujus studiosissimus est, sartam tectam in sua amplissima Diœcesi conservare possit. Vivit adhùc ille doctus juxta ac pius Cardinalis, qui præclaris suis virtutibus, præsertim modestiâ, profusâ ergà pauperes charitate, zelo Apostolico, jugi pœnitentiâ, rerum mundanarum contemptu, & diuturnâ rerum gravissimarum tractatione collectâ & exercitâ prudentiâ, omnium in se oculos & ora convertit, totìusque Prædicatorum Ordinis pręsidium est, decus & ornamentum. Cæteri duo, quos nominavi, Cardinales, nimirùm *Vincentius Maria Ferrari*, natione Italus, & *Thomas, Hovvardus*, gente Anglus, ex illustrissima prosapiâ ortus, quamvis nihil litteris mandarint, cum laude tamen memorandi veniunt ob egregia in Ecclesiam promerita, quæ etiamnùm Romę benè multi, eorum pietatis ac eruditionis testes locupletissimi, summis laudibus extollunt. Prodierunt ex Ordine Fratrum Prędicatorum Sęculo XVII. innumeri penè Episcopi, qui sublimitate doctrinæ, sanctitate morum, in gerendis negotiis solertiâ, in obeundis sacri Ministerii Officiis vigilantiâ, in animis Regum, & Procerum conciliandis gratiâ & rerum gestarum magnitudine, populis, quos rexerunt, venerationi & amori fuèrunt. In Galliis unum instar plurium laudabo

Ni-

Nicolaum Coeffetæum, Episcopum Massiliensem, quo Linguâ Vernaculâ, seu Gallicâ, & Latinâ nemo Calvinianam Hęresim impugnavit validiùs feliciùsque, addo etiam majori elegãtiâ aut modestiâ. Non dicam, illum inter primos accenseri, qui Linguam Gallicam, anteà situ & antiquatis verbis horridam, excoluit, & sermonis elegantiâ eruditioni adjunctâ scripsit disertissimè Gallico idiomate *Historiam Romanam*: *Effigiem humanarum passionum*: *Quæstiones* etiam *Theologicas* Gallico itidèm eloquio eleganter exposuit, ex primà Parte Summæ Tripartitæ S. *Thomæ* Aquinatis excerptas. Sed præter hæc & alia Ascetica Opera, *Nicolaus Coeffetæus*, egregius Hęresum debellator, non minùs erudito & eleganti Opere Latino *Marcum Antonium de Dominis*, Religionis Catholicæ Apostatam, aggressus est, sed immatura mors eum annos natum undequinquaginta pręripuit, Opusque, seu *Apologiam Sacram pro Ecclesiastica Monarchia*, quam contra hunc Apostatam pseudo-Archiepiscopum Spalatensem adornabat, intercepit. Quo certè Opere nullum in hoc genenere præstantiùs extaret, si licuisset absolvere. Edidit quoque *Nicolaus Coeffetæus* Responsionem ad exitiosum librum, cui titulus erat: *Mysterium iniquitatis* contra *Philippum Mornæum*, Hæreticum Calvinistam: & *Mirabilia Eucharistiæ*, ubi invictè asserit ac demonstrat realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam contra *Petrum Molinæum*, Hæreticum Calvinianum. Denique, non minùs modestiæ & prudentiæ, quàm eruditionis & eloquentiæ gloriam sibi comparavit eâ *Responsione* ad Regis Angliæ *Jacobi I.* ad omnes Reges *Commonitoriam Epistolam* contra Summum Pontifi-

cem, in qua vi argumentorum Fidei & Ecclesiæ causam tutatur, salvâ Regiæ Majestatis reverentiâ, ut longè recesserit ab eo vitio, in quod plurimi ante ipsum impegerant, qui ejusdem Regis Scripto responderant. At *Coeffetæus* ita stylum temperavit, ut ipsimet Regi Angliæ, quem arguebat, illæsâ causâ & dignitate inter humanas supremâ, summè placuerit. *Nicolao Coeffetæo* alium ejusdem Ordinis Prædicatorum adjungam Archiepiscopum Narbonensem *Ludovicum De Vervins*, Virum doctissimum, & Disciplinæ Regularis observantiæ tenacissimum, qui per plures annos Ecclesiam Narbonensem cum maximo ovium sibi creditarum fructu sanctissimè rexit, & Concilium Provinciale, sicut in superiori Colloquio observavimus, anno MDCIX. celebravit, in quo saluberrima Statuta ad sanciendam Ecclesiæ Disciplinam promulgavit. Præter illos duos insignes Ordinis Prædicatorum Episcopos, natione Gallos, alii quinque fuerunt ejusdem Ordinis Viri illustres, qui, licèt natione Itali, quodque singulari observatione dignum est, ejusdem Conventus, Romani scilicet S. *Mariæ super Minervam*, fuerint Alumni, ad Episcopales tamen Infulas in Galliis provecti sunt, ibique magnum apud Viros eruditos sibi nomen pepererunt. Primus, est *Michael Mazarinus*, patriâ Romanus, *Julii Mazarini*, Cardinalis, & primi Galliarum Regis Ministri, germanus frater, qui ex Magistro Sacri Palatii Archiepiscopus Aquensis in Galliis ab *Urbano VIII.* Pontifice Maximo institutus, dein, Cardinalis ab *Innocentio* X. creatus, tandem à *Ludovico XIV.* Galliarum Rege, apud Sedem Apostolicam Orator Regius Ordinarius delectus, obiit Romæ anno MDCXLVIII.

ætatis ſuæ XLIII. & in Eccleſia Fratrum Prædicatorum S. *Mariæ* ſuper Minervam ſepulturæ mandatus eſt. Alter Dominicanus, Conventus S. *Mariæ* ſuper Minervam Alumnus, eſt *Hyacinthus Serronius*, qui Albienſis in Galliis primus Archiepiſcopus fuit, & graviſſimis Regni negotiis à Chriſtianiſſimo Rege *Ludovico XIV.* admotus. Tres alii Dominicani, Conventus pariter *S. Mariæ* ſuper Minervam Alumni, ſibi in Archiepiſcopatu Avenionenſi ſucceſſerunt, videlicet *Stephanus Dulcius*, *Dominicus de Marinis*, qui edidit in Summam S. *Thomæ* Commentarium in quatuor Tomos diſtributum, & *Hyacinthus Libelli*, anteà Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, & in penetrandis ac dilucidandis difficilioribus Theologiæ quæſtionibus maximo ingenii acumine præditus. Epiſcopos Ordinis Prædicatorum doctrinâ & pietate conſpicuos, qui Sæculo XVII. varias Italiæ Eccleſias rexerunt, referunt *Ferdinandus Ughellus in Italia Sacra*, & poſt ipſum noſter *Vincentius Maria Fontana* in ſuo *Theatro Dominicano*; ipſe verò, ut brevitati ſtudeam, duos tantùm proferam, ſcilicet *Joſephum Ciantem*, & *Raphaelem Mariam Philamundum*. Primus, ſeu *Joſephus Ciantes*, patriâ Romanus, Linguæ Hebraicę peritiſſimus, per quatuordecim annos fuit Romæ Judæorum Concionator eximius, poſteà ab *Urbano VIII.* Pontifice Maximo, Marſicenſis Epiſcopus renunciatus. Scripſit Italicè plures Epiſtolas & Opuſcula, & in ſermonem hebraicum vertit Opus S. *Thomæ Aquinatis* contra Gentes. *Raphael Maria Philamundus*, Caſanatenſis Bibliothecarius, ob eximiam pietatem cum ſingulari doctrina cõjunctam, à *Clemente XI.* Pontifice Maximo ad Epiſcopatum

Sinuessanum in Regno Neapolitano promotus, præter quædam Opuscula Italicè scripta, edidit Latinum Opus, Concionatoribus utilissimum, cui titulus est *Theo-Rethorica Idea*. De Episcopis Italiæ Ordinis Prædicatorum nihil ampliùs addam, sed si de his plura desideres, præter *Ughellum*, & *Fontanam*, quos jam laudavi, consulere poteris *Diarium Dominicanum*, quod vulgavit *Dominicus Maria Marchesius*, Scriptor Italus Ordinis Prædicatorum, qui ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo institutus est Episcopus Puteolanus. Scripsit etiam idem noster *Marchesius Theologiam Bipartitam*, & alia Opera. Denique, ut breviter me expediam à Viris illustribus Ordinis Prædicatorum, qui Sæculo XVII. in Hispania ad Episcopatum fuere assumpti, duorum dumtaxat hìc mentionem faciam, nimirùm *Petri de Herrera*, & *Petri de Godoi*, quorum primus, Episcopus Canariensis fuit, & Theologiam Scholasticam egregiis Commentariis, quæ Romæ in Ordinis Archivo asservantur, illustravit. Scripsit etiam in universam Scripturam Sacram *Expositiones Literales & Morales*, quæ, teste *Vincentio Maria Fontana*, in Theatro Dominicano, in Conventus Salmantini Archivo adhùc MSS. servantur. Alter, seù *Petrus de Godoi*, Episcopus Oxomensis, Disputationum, quas instituit in Summam Sancti *Thomæ*, subtilitate omnes sui Sæculi Theologos Scholasticos facilè superavit, ac longo post se intervallo reliquit.

D. Cedo nunc, si placet, Scriptores Ordinis Prædicatorum, qui Sæculo XVII. nullâ Ecclesiasticâ dignitate insigniti, libros Historicos, vel Polemicos ediderunt, aut in Operibus Scriptorum

cùm

cùm Græcorum, tùm Latinorum illustrandis egregiam Operam navarunt.

M. Recensebo in primis *Abrahamum Bzovium*, natione Polonum, qui anno MDXCIX. vitâ functus, fœcundissimi ingenii sui perplura reliquit monumenta, sed præcipuè Ecclesiæ Annalium ab anno Christi MCXCVIII. ubi desiit Cardinalis *Baronius*, continuationem usque ad sua tempora. Alterum Opus scripsit *Bzovius*, cui hunc titulum dedit: *Pontifex Romanus*, in quo fastigium Apostolicæ Sedis per ejus titulorum accuratam seriem ad summum potestatis, honoris & dignitatis apicem evexit, aliaque doctissima lucubravit Opera. *Theophilus Raynaudus* asserit, Historiæ Ecclesiasticæ Tomos, quos edidit noster *Abrahamus Bzovius*, esse potiùs Annales Dominicanorum, quàm Ecclesiasticos, quia *Bzovius* totus est in rebus domesticis efferendis ac dilatandis. Sed si *Theophilus Raynaudus* legisset Annales Ecclesiasticos ab *Odorico Raynaldo* editos, omni procul dubio non damnasset *Bzovium*, quasi in rebus domesticis efferendis nimium; nam extranei Authores, & Historici tot ac tanta de Prædicatorum Ordine, ejusque Viris illustribus scribunt, ut ipse multa ab iis mutuari coactus fuerim, quæ ab illius Ordinis Annalistis, in suis rebus cōscribendis certè non diligentissimis, invenire minimè potui. Quæcumque autem de Ordine Prædicatorum, ejusque Scriptoribus *Odoricus Raynaldus*, aut *Abrahamus Bzovius* scripserunt, sunt compertissima, nec debuit *Bzovius* tacere Ordinis sui decora, quæ ratio Historiæ, ac temporis necessariò ferebat, & quæ in oculis totius Orbis gesta sunt. Plura videsis apud nostrum *Nicolaum*

Jansenium, qui *Abrahami Bzovii* vindicias suscepit. *Alphonsus Ciaconius*, natione Hispanus, Antiquitatis Ecclesiasticæ studiosissimus fuit, & *Gesta duodecim Gregoriorum Romanorum Pontificum à se collecta* publicavit. Scripsit etiam *Tractatus de liberatione Animæ Trajani à S.Gregorio Magno*: *De S.Hieronymi Cardinalitia dignitate*: *De signis S.Crucis*: *Vitas & Gesta Romanorum Pontificum*. Hoc ultimum Opus, morte interceptus, absolvere haud potuit noster *Alphonsus Ciaconius*, sed illud prosecuti sunt *Franciscus Cabrera*, qui historicam Romanorum Pontificum seriem usque ad Pontificatum *Clementis IX.* protraxit. Deindè, *Hieronymus Alexander*, *Andreas Victorellus*, *Wadinghus* Minorita, *Cæsar Becillus*, Congregationis Oratorii Presbyter, *Ferdinandus Vghellus*, *Augustinus Oldoinus*, Societatis Jesu, & alii Viri præstantissimi huic utilissimo *Alphonsi Ciaconii* Operi ultimam manum magnâ cum laude sui nominis admoverunt. Testatur doctissimus *Mabillonius* in suo *Itinerario Italico*, se in Bibliotheca Chisiana invenisse *Alphonsi Ciaconii* Litteras, ex quibus liquet, eum duo alia scripsisse Opera, quæ hactenùs inedita sunt, videlicet *Tractatum de Antiquitatibus Romanis cum Figuris*, & *Bibliothecam omnium Scriptorum*. Linguarum peritiâ clarus *Thomas Malvenda*, natione Hispanus, novam Veteris Testamenti Versionem Latinam ex Textu Hebræo adornavit, ac Notis illustravit. Duo insuper curiosa & erudita edidit Opera, unum *de Paradiso Terrestri*: alterum *de Antichristo*, in XI. libros distributum, ubi de signis, quæ adventum Antichristi antevertere debent, de ejus ortu, patriâ, vitâ, vitiis, doctrinâ, miraculis, & interitu latè disserit.

Con

Condidit etiam Annales Familiæ Dominicanæ. *Michael Wanslebius*, linguarum Orientalium Callentiſſimus, ex Ægypto & Cypro multa Volumina, auſpice Viro clariſſimo *Joanne Baptiſta Colberto*, Regis Chriſtianiſſimi *Ludovici XIV.* primo Miniſtro, emit Regiis impenſis, eaque Lutetiam tranſmiſit, ut in Bibliothecæ Regiæ, jam Orientalibus Codicibus refertiſſimæ, Cenſum inferrentur. Scripſit Gallicè *Hiſtoriam Eccleſiæ Alexandrinæ*: *Brevem Relationem de rebellionibus, & cruentis Bellis in Æthyopia excitatis*: edidit etiam *Jobi Ludolphi* Lexicon, & de Rebus Æthyopicis Opuſcula. Noſtri *Michaelis Vanslebii* honorificam mentionem facit *Euſebius Renaudotius* in Præfatione ad ſuam *Hiſtoriam Patriarcharum Alexandrinorum*. Novam in Hiſtoria cùm Sacrâ tùm Eccleſiaſticâ illuſtranda methodum ſectatus eſt *Natalis Alexandre*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, natione Gallus, concinnavitque *Hiſtoriam Eccleſiaſticam Veteris & Novi Teſtamenti ab Orbe condito uſque ad annum* MDC. & *in loca ejuſdem inſignia Diſſertationes Hiſtoricas, Chronologicas, Criticas & Dogmaticas*. Edidit quoque *Theologiam Dogmaticam & Moralem*, juxta ordinem Catechiſmi Romani duobus Tomis in Folio comprehenſam: item *Inſtitutionem Concionatorum*: *Expoſitionē Litteralem & Moralem in quatuor Evangeliſtas*: *Commentarium in Epiſtolas S. Pauli*: & quędam Opuſcula tùm Latino, tùm Gallico idiomate conſcripta. *Jacobus Hyacinthus Serry*, natione Gallus, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & in Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ Academia Patavina Theologus Primarius, inſignem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem dilucidavit, & in apertam lu-

cem

cem produxit, elegantissimo edito Opere, cui titulus est: *Historia Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ sub Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V.* in quinque libros distributa in nova Editione Antuerpiæ, quæ prodiit anno MDCCIX. Scripsit etiam in defensionem doctrinæ Sanctorum *Augustini* & *Thomæ* luculentissimas Apologias, quarum hi tituli sunt: *Augustinus Vindicatus*: *Schola S. Thomæ Vindicata*. Novissimè verò, seu anno MDCCXIX. publici Juris fecit Dissertationes sexaginta sex cultiori stylo elaboratas, *de Christo eiusque Virgine Matre*. In illustrandis Scriptorum Græcorum Operibus egregiam operam posuerunt tres celebres Dominicani, natione Galli, & linguæ Grçcæ peritissimi, videlicèt *Franciscus Combefisius*, *Jacobus Goar*, & *Michael le Quien*. Primus, seu *Franciscus Combefisius*, cujus, in vertendis Scriptorum Græcorum Operibus, utriusque linguæ Latinæ & Græcæ peritiam, diligentiam, eruditionem cum pari fide conjunctam mirantur omnes Viri eruditi, edidit *Basilium Magnum ex integro restitutum*: *Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ novum Auctarium*: *Auctarium novissimum cum Notis*: *Origines Rerum Constantinopolitanarum cum Latina Versione & Notis*: *Manuelis Calecæ Operum latinam interpretationem*: *Historiæ Byzantinæ Scriptorum post Theophanem Latinam Versionem*: *Tractatuum S. Chrysostomi latinam interpretationem*: Notas in *Theophanem*, in *Leonem Grammaticum*, in *Amphilochium*, *Methodium*, *Andream Cretensem*, & in S. *Maximum*, Scriptores Grçcos. Scripsit etiam *Combefisius* Historiam Monothelitarum, & alia Opuscula. *Jacobus Goar*, in libris & Ritibus Græcorum versatissimus, vulgavit

Eu-

Euchologium, sive Rituale Græcorum, doctissimis Notis ac Dissertationibus illustratum: Notas quoque scripsit in Græcos Scriptores *Cedrenum*, *Theophanem* & in *Georgium Syncellum*, cujus *Chronographiam Græco-Latinâ ab Adamo usque ad Diocletianum Imperatorem, unà cum Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Breviario Chronographico ad Theophilum Imperatorem, Parisiis in Typographia Regia* edi curavit. His duobus Familiæ Dominicanę Scriptoribus doctrinâ & linguarum peritiâ inferior non est eruditissimus P. *Michael le Quien*, quippè qui eorum vestigiis insistens, præter quędam Opuscula in defensionem Textus Hebræi contra *Paulum Pezronum*, Abbatem Cisterciensem, cujus superiùs memini, Gallicè edita, adornavit insuper novam & cæteris aliis longè accuratiorem S. *Joannis Damasceni* omnium Operum, quæ extant, & ejus nomine circumferuntur, Editionem doctissimis præviis Dissertationibus & Annotationibus illustratam, quæ duobus Tomis in Folio comprehensa prodiit Parisiis anno MDCCXII. Aliud, omnium Litteratorum votis expetitum, Opus, cui Titulus est: *Christianus Oriens*, typis Parisiensibus nunc mandat Vir ille Clarissimus & toti Orbi Litterario notissimus. Virorum Illustrium Ordinis Prædicatorum seriem, Opera, ac res præclarè gestas descripserunt quatuor ejusdem Ordinis Scriptores, videlicèt *Ambrosius Altamura*, Italus, in sua *Bibliotheca Dominicana*, *Vincentius Maria Fontana*, Italus, in suo *Theatro Dominicano*, *Joannes Michael Cavalieri*, Italus in Opere Italico, quod inscribitur *Galeria*. Sed his nuperrimus ejusdem Ordinis Prædicatorum Scriptor & styli elegantiâ & accuratiori

ri Criterio palmam præripuit *Jacobus Echardus*, natione Gallus, qui duos Tomos in Folio *de Viris Illustribus* Familiæ Dominicanæ, summo omnium Virorum eruditorum applausu exceptos, publicavit. Contra *Theophilum Raynaudum*, Ap logias elegantissimas adornarunt duo Ordinis Prædicatorum Scriptores, natione Galli, *Vincentius Casalas* in libro, cui titulus est: *Candor Lilii*; & *Vincentius Baronius* in libris quinque Apologeticis. Edidit quoque idem *Vincentius Baronius* Theologiam Moralem *adversus Laxiores Probabilistas*: *Manuductionem ad Theologiam moralem*: *Ethicam Christianam*, & quædam Opuscula & Epistolas contra *Joannem Launojum*, Doctorem Sorbonicum. In Theologia Polemica excelluit noster *Dominicus Gravina*, Italus, qui *Catholicas Præscriptiones adversùs omnes Veteres & nostri temporis Hæreticos* edidit & Tractatus Polemicos *de Notis Ecclesiæ*, & *de Supremo Controversiarum Judice*. Extat adhuc ejusdem *Dominici Gravinæ* liber Apologeticus, qui inscribitur: *Turturis Vox*, ubi in defensionem antiquorum Ordinum Regularium accuratè expendit, & solidè ac modestè refellit librum à *Bellarmino* editum *de Gemitu Columbæ*. Adversùs Hæreticos *Quietistas*, seu impuri *Michaelis de Molinos* discipulos, *Antonius Massoulie*, natione Gallus, doctrinâ & pietate conspicuus, meusque in Officio Theologi Casanatensis perillustris decessor, *Tractatum* Gallicè scripsit *de amore Dei*: *Tractatum de vera Oratione*. Latinè verò ad defensionem doctrinę Scholę S. *Thomæ* de Gratia se ipsâ efficaci, edidit Romæ duos Tomos in Folio, quorum titulus est: *D. Th. sui Interpres*. Alia etiam Gallicè Ascetica Opera, præsertim *Meditationes*

S.*Tho-*

S. Thomæ, & *Tractatum de Virtutibus Religiosis* composuit idem celebris Scriptor, linguæ Hebraïcæ peritus, & Vitæ religiosæ adeò amans, ut oblatum sibi à Serenissimo Magno Etruriæ Duce Episcopatum, quòd insignem Judæum ad Christi Fidem adduxisset, pertinaci modestiâ recusarit. In recensendis & illustrandis Sac. Ord. FF. Præd. Scriptoribus, eorumque colligendis Operibus diu insudavit noster *Jacobus Quetif*, natione Gallus, qui tamen, inopinatâ morte sublatus, suscepto Operi ultimam manum admovere haud potuit, publicavit tamen Opuscula & Epistolas *Petri Morini*, natione Galli, Patriâ Blesensis, cujus superiùs mentionem fecimus, & Epistolas Asceticas, ac Vitam nostri *Hieronymi Savonarolæ*, natione Itali, patriâ Ferrariensis, & singula Acta, Epistolas, Diplomata, Instrumenta publica, Apologias, Scriptorumque monimenta, quæ ad ejusdem *Savonarolæ* vitam spectare possunt. Pro defensione Doctrinæ Scholæ S. *Thomæ* de Gratiâ se ipsâ efficaci, & prædestinatione gratuitâ nomen suum celebrarunt, ac seræ posteritati consecrarunt quinque illustres Scriptores Dominicani, videlicet *Thomas de Lemos*, *Didacus Alvarez*, *Antonius Reginaldus*, *Hieronymus Baptista de Lanuza*, & *Joannes Gonzales de Leon*. Primus, seu *Thomas de Lemos*, Hispanus, ex illustri Comitum stirpe oriundus, Prædicatorum Ordini nomen dedit, & in eo pietatem ac Litteras adeò coluit, ut religiosissimi æque ac eruditissimi famam apud suos & exteros obtinuerit. Solemnium Disputationum *de Auxiliis* coram *Clemente VIII.* & *Paulo V.* habitarum pondus penè omne magnâ cum laude sustinuit. Præ nimia

mia lectionis defatigatione, provectâque ætate, triennio ante mortem penè cæcutiit, adeò ut vix sine miraculo quotidiè sacrum faceret. Obiit anno ætatis suæ LXXXIV. die XXIII. mensis Augusti anni MDCXXIX. Composuit *Thomas de Lemos* Panopliam Divinæ Gratiæ, quæ, post ejus obitum, quatuor Tomis comprehensa typis edita est Leodii anno MDCLXXVI. Hujus Thomæ de Lemos *Panopliæ Divinæ Gratiæ* Authographum extat etiamnum Romæ in Archivo Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum. Præter hanc Divinæ Gratiæ Panopliam scripsit *Thomas de Lemos* Acta Disputationum coràm Summis Pontificibus habitarum ab anno MDCII. ad annum MDCVI. quæ Lovanii anno MDCCII. edita sunt sub hoc titulo: *Acta omnium Congregationum, & Disputationum, quæ coram Sanctissimis Clemente VIII. & Paulo V. Summis Pontificibus celebratæ sunt in Causa & Controversia illa magna de Auxiliis Divinæ Gratiæ. Quas Disputationes ego F. Thomas de Lemos sustinui. Lovanii apud Ægidium, Denique anno* MDCCII. Ejusdem *Thomæ de Lemos* Acta, seu *Historiam Congregationum de Auxiliis*, publicâ luce donavit doctissimus quidam Canonicus Regularis Congregationis S. *Genovefæ* in Galliis. Præiverat in Congregationibus de Auxiliis coram *Clemente VIII.* & *Paulo V.* habitis noster *Didacus Alvares*, Hispanus, qui primus in arenam cum Patribus Societatis disputaturus descendit, & in cujus locum posteà suffectus est *Thomas de Lemos*. Ad Archiepiscopatum Tranensem provectus est *Didacus Alvares*, & plura scripsit Opera *De Auxiliis Divinæ Gratiæ*, & de his, quæ Gratiæ necessitatem & concordiam cum divina Præscientia spe-

ſpectant. Inſtituit etiam Diſputationes in Primam Secundæ S. *Thomæ*, & *de Incarnatione Verbi Divini*, ac de aliis id genus Theologicis argumentis. *Antonius Reginaldus*, natione Gallus, Doctrinæ Scholæ S. *Thomæ* acerrimus fuit defenſor, ediditque Tomum in Folio, cui titulus eſt: *Mens Concilii Tridentini circa Gratiam ex ſeipſa efficacem*, ubi ſexcenta fermè adducit momenta, quibus Gratiam ſe ipsâ efficacem à Tridentinis Patribus agnitam probat. Auctor eſt quoque idem *Reginaldus* Quæſtionis *Hiſtoricæ*, *Theologicæ*, *ac Juris Pontificii*, nec non *Compendii Doctrinæ S. Thomæ*. Non minus ardenti animo Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipsâ efficaci urgendam ſuſcepit *Hieronymus Baptiſta de la Nuza*, Hiſpanus, Provinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum Provincialis Præfectus, emunctæ naris homo, ac non multò poſt, pro egregiis meritis ad Albaraſcinenſem Epiſcopatum aſſumptus, cujus etiam, ob eximia virtutum merita, Canonicam Apotheoſim omnes Regni Aragoniæ Ordines ab *Innoc. XI.* Pont. Max. poſtularunt. Is, inquam, *Philippo II.* Hiſpaniarum Regi, ac Sacris Fidei Quæſitoribus libellum ſupplicem obtulit, pro defenſione Gratiæ ex ſe ipsâ efficacis. Qui quidem libellus ſupplex, publici Notarii fide munitus, Romæ in Archivo Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum adhùc aſſervatur, eumque integrum exhibet doctiſſimus noſter *Hyacinthus Serry* pag. 33. *Appendicis Hiſtoriæ*, quam elegantiſſimo ſtylo concinnavit, *Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ*, Editionis Antuerpiæ anni MDCCIX. Non ſolùm doctiſſimus Theologus, verùm etiam eximius Concionator fuit *Hieronymus Baptiſta*

sta de la Nuza, quippè qui Sanctorum Patrum gravitatem & eloquentiam revocavit, resque divinas Apostolicâ majestate pro concionibus tractavit, ut videre est in ejus *Sermonibus Quadragesimalibus*, qui apud æquos rerum æstimatores in magno pretio habentur. Quintus, quem protuli, Doctrinæ S. Thomæ de Gratia se ipsâ efficaci vindex ac defensor, est *Joannes Gonzales de Leon*, natione Hispanus, & olim in Collegio Conventus Minervitani Ordinis Prædicatorum studii Regens, qui eruditum scripsit *Controversiarum de Auxiliis* librum, qui nuperrimè, seu anno MDCCVIII. Leodii typis editus, publicam lucem adspexit. His quinque clarissimis Doctrinæ S. *Thomæ* de Gratia se ipsâ efficaci defensoribus adjungam *Seraphinum Piccinardi*, natione Italum, & in Academia Patavina Theologiæ Professorem, qui, præter *Dogmaticam*, quam edidit *Philosophiam*, scripsit *de Approbatione Doctrinæ S. Thomæ*: & *de novitio Opere, quod inscribitur*: *Prædestinatus*. Inter defensores doctrinæ S. *Thomæ* de gratia se ipsâ efficaci annumerari non debent duo degeneres Familiæ Dominicanæ Scriptores, *Thomas Campanella*, & *Josephus à Vita*, ambo natione Itali, quorum primus, licèt peritus fuerit Philosophus, Astrologus, & Medicus, inferioris tamen subsellii extitit Theologus, ne dicam audacioris ingenii Vir, novitatibus plus æquo indulgens, & *Aristotelis* principiis adeò contrarius, ut Assertiones ejus omnes *Asinitates* vulgò appellaret. A' Doctrina S. *Thomæ* recessisse *Campanellam*, ac de Prædestinatione gratuitâ, & de Gratia se ipsâ efficaci minus dignè sensisse non diffiteor. Non desunt tamen, qui ex libris, quos

Campanella senior factus scripsit, evincunt, illum, maturiori habitâ consideratione, tandem aliquandò resipuisse, & præproperam in sentiendo festinationem, quâ in juvenili ætate in peregrinas & à Schola Sancti *Thomæ* alienas opiniones abreptus fuerat, castigasse. Alter domesticus Scriptor, seu *Josephus à Vita*, Siculus Calaxibettensis, præsumptuosus Author fuit, qui nimię singularitatis studio impulsus, & temerariæ novitatis prurigine titillatus, librum procudit, quem totius Ord. FF. Prædicatorum Magister Generalis *Joannes Thomas de Rocaberti* die 31. mensis Octobris anni MDCLXXIV. tanquàm fætum abortivum, *insipidum*, *vanum*, atq; *insulsum* proscripsit, ejus Authorem, *ineruditum Scriptorem*, *refractarium*, *suæ professionis oblitum*, *domesticam Ordinis Prædicatorum Scholam ineptissimis paradoxis evertere laborantem* pronunciavit, jussitque omnibus religiosis ejus curæ ac regimini subjectis, ut à prædicti libri lectione omninò abstinerent. Hanc à Reverendissimo P. *Jo: Thoma de Rocaberti* in librum *Josephi à Vita* latam Sententiam legesis apud doctissimum nostrum *Hyacinthum Serry* libro v. *Historiæ Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ* Sect. III. Cap. XI. pag. 775. & seqq. His duobus Familiæ Dominicanæ Scriptoribus, qui à doctrina S. *Thomæ* de Gratia se ipsâ efficaci recesserunt, tertium ejusdem Familiæ Scriptorem perperàm nonnulli adjungunt, *Franciscum Aravio*, natione Hispanum, eximium Theologum, primariæ Cathedræ Salmantinæ Moderatorem, qui ob egregiam doctrinam ad Episcopatum Segoviensem assumptus est, quem tandem ardentiori paupertatis & vitæ solitariæ studio abdicavit; Verùm,

hanc calumniam falsò impactam *Francisco Aravio* multis momentis depellit noster jam laudatus *Hyacinthus Serry*, qui libro IV. *Historiæ Congregationum de Auxiliis* c.27. & lib.5.c.10. invictè probat, *Franciscũ Aravio* in doctissimis Cõmentariis, quos edidit in Summã S.*Th.*reverà admisisse gratiam se ipsâ efficacem, ex voluntatis assensu minimè pendulam, à sufficienti gratia re atque entitate planè distinctã, voluntatis assensum infallibiliter inferentem, nec tamen liberum hominis lædentem arbitrium.

D. Fueruntne Sæculo XVII. aliqui è Familia Dominicana Scriptores, qui errores *Cornelii Jansenii*, Episcopi Iprensis, ab Ecclesia proscriptos, publicis Scriptis confutarint?

M. Benè multi fuerunt Sæculo XVII. è Familia Dominicana Scriptores, qui doctissimas lucubrationes ad refellendos Jansenii errores in lucem ediderunt, quos inter præcipuè censentur *Alexander Sybilla*, natione Belga, *Joannes Nicolai*, Gallus, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, In Sanctorum Patrum Operibus exercitatissimus, qui *Jansenii* Doctrinam acriter impugnavit. Edidit etiam doctissimus ille Scriptor Dominicanus varia Opuscula contra *Joannem Launojum*, Doctorem Sorbonicum, *de Plenario Concilio*: *de Jejunii Christiani*, & *Christianæ abstinentiæ ritu*: *omnia* S. *Thomæ Opera eruditis Notis illustravit*: Scripsit *de Ritu antiquo & moderno Bacchanaliorum*, plura cùm Gallicè, tum Latinè Opuscula, & *Pantheologiam* nostri *Raynerii*, variis Notis & Observationibus auctam ac locupletatam, typis mandari curavit. *Bernardus Guiard*, natione Gallus, & Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, singularem edidit librum, in quo mul-

multa profert discrimina, quibus Schola nostra Thomistica longè latèque discrepat à proscripta *Jansenii* Doctrina. *Joannes Baptista Gonetus*, Gallus, qui quinque Theologiæ Scholasticæ Tomos in Folio concinnavit, luculentam adornavit Apologiam adversus quosdam æmulos Scholæ Thomisticæ obtrectatores, quos Jansenismi notam ei inurere non pudet. *Vincentius Contensonus*, natione itidem Gallus, qui Theologiam Scholastico-positivam duobus Tomis in Folio doctè, eleganter juxtà ac piè complexus est, egregiam sub finem primi Tomi instituit Dissertationem, in qua magno animi æstu defendit Constitutionem *Innocentii Decimi*, Pontificis Maximi, adversùs quinque *Jansenii* Propositiones latam, ibidèmq; ejusmodi Propositiones à S. *Aug.* & *Thoma Aquinate* fuisse prædamnatas, sole clariùs demonstrat. Denique, in *Jansenium*, ejusque doctrinam calamum acuerunt è Familia Dominicana Scriptores Galli, quos superiùs laudavimus, videlicet *Vincentius Baronius*, *Vincentius Casalas*, *Antonius Reginaldus*, *Antonius Massoulie*, *Hyacinthus Serry* in sua *Schola Thomistica Vindicata*, & *Natalis Alexandre* in sua *Theologia Dogmatica & Morali*. Quò fit, ut ridendi potiùs sint, quàm confutandi illi, qui Scholam Thomisticam, quæ famosas quinque *Jansenii* Propositiones, à Summis Pontificibus *Innocentio X.* & *Alexandro VII.* fulguritas, detestatur, Jansenismi insimulare non verentur. *Sed Calumnia* (ut verbis utar doctissimi Cardinalis, *Josephi de Aguirre* in Præfatione Tomo 1. *Collectionis Maximæ Conciliorum Hispaniæ* præfixâ) *dùm linguario oribus quorumdam injecto coërceri nequit, contemptu aut risu exsi-*

 bil-

bilanda erit, juxta illud vetus adversus convicia injusta proverbium: *SPRETA EXOLESCUNT*. Hanc igitur Jansenismi notam sibi perperàm à quibusdam æmulis obtrectatoribus impactã debet Schola Thomistica ludendo refellere, seriâ velut responsione indignam; quia, ut appositè ait *Tertullianus*, *multa sunt sic indigna revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati propriè festivitas cedit: congruit & veritati ridere, quia lætans; de æmulis suis ludere, quia secura est.*

D. Absolve, si placet, seriem illustrium Scriptorum Ord. Prædicatorum, qui Seculo XVII. aliquas lucubrationes ediderunt.

M. In immensum excrevit Sæculo XVII. Scriptorum Ordinis Prædicatorum numerus, ita ut de illis si aliqui singillatim differere velint, illud jure merito cum Poëta dicere possint: *Obruimur numero*. Paucos igitur, ut brevitati consulam, hìc dumtaxat compellabo. In Hispania Commentarios in Summam S. *Thomæ* adornarunt *Joannes Gonzales de Albenda, Petrus Ledesma, Didacus Nunno, Marcus Serra, Vincentius Ferre*, quibus addam duos alios Scriptores natione etiam Hispanos, doctrinâ & pietate eximios, *Joannem à S. Thoma*, & *Petrum de Tappia*, quorum primus, Confessarii Regis Catholici officio incorruptissimè perfunctus est, & præter *Doctrinam Christianam*, seu Cathechismum, quem edidit, utilissimum, & varias in linguas translatum, composuit quoque subtilissimum Cursum Thomisticum Philosophicum, & Commentarios in Summam S. *Thomæ*, in quibus subtilitate, studio, & eruditione supremum subtilitatis Scholasticæ apicem attigisse videtur. Alter,

seu

seu *Petrus de Tappia*, ob singularem eruditionem cum solida pietate conjunctam ad Episcopatum Seguntinum evectus, eo zelo Pastoralia munia obivit, ut Sanctissimos Antistites *Ambrosium*, & *Thomam Cantuariensem* in Juribus Ecclesię defendendis, *Nicolaum*, & *Martinum* parcimoniâ & charitate erga pauperes, omnique genere sanctitatis in se expresserit. Ex quo intelligere potes, Dominicanos, quò peritiores, idest, quò Doctrinæ S. *Thomæ* addictiores sunt, eò sanctiores moribus, eo in tractandis negotiis, & ad regimen animarum sapientiâ eminere, quia Summa S. *Thomæ* non solùm est instructissimum adversùs omnes Catholicæ Ecclesiæ hostes armamentarium, sed etiam Episcoporum, Confessariorum, & Concionatorum promptuarium, perpetuum Scripturæ Sacræ Commentarium, quæstionum, quæ ad mores pertinent, exactissima & tutissima Analysis decretoria. Prætermitto alios Clarissimos Scriptores Hispanos, Illustrissimum Dominum *Navarreta*, & *Joannem Baptistam de Morales*, qui de Cultu, Ritibus, & Cæremoniis Sinensium egregiè admodùm scripserunt. Prætermitto etiam quosdam Ordinis Prædicatorum Scriptores Italos, qui Cursus Philosophicos, aut Commentarios in Summam S. *Thomæ* puros putosque Scholasticos ediderunt, quos inter censentur *Joannes Paulus Nazarius*, *Paulus Maria Cavvinus*, & alii, quorum Opera, ut candidè fatear, ne primoribus quidem labiis degustavi. At prætermittere non debeo quatuor Familiæ Dominicanæ Scriptores, Italos, nimirùm *Petrum Mariam Passerinum*, *Franciscum Ghetium*, *Julium Mercorum* & *Lud. Vinc. Gotti*. Primus, seu *Petrus Maria*

ria Passerinus, Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, utriusque Juris peritissimus, præter Commentaria, quæ edidit in 3. P. Summæ S. *Thomæ*, scripsit *de electione Summi Pontificis*: *de Indulgentiis*: *in primum librum Sexti Decretalium*: *de Hominum statibus & officiis*: *de electione Canonica &c.* Alter, seu *Franciscus Ghetius*, utilissimum Opus in quatuor Tomos partitum lucubravit, cui titulus est: *Thesaurus Animæ ex Theologia Morali*: & alia Opera. Tertius Scriptor, seu *Julius Mercorus*, Inquisitor Papiensis, librum edidit de opinionum delectu, quem *Basim Theologiæ Moralis* inscripsit, & in eo probabilitatis doctrinam, quâ minùs probabilis & minus tutæ opinionis eligendæ venia datur, egregiè diruit atque conuellit, & quantùm indè in mores flagitiorum fluxerit, & fluere in posterum possit, perdoctè ostendit. Quartus Scriptor, seu *Ludovicus Vincentius Gotti*, malè consarcinatum libellum, quem Italico Idiomate scripturivit Hæreticus *Piceninus*, tribus Tomis in quarto confutavit. Denique, in Gallia *Antonius Goudin*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, Cursum Philosophiæ Thomisticum edidit, ob latini sermonis puritatem, expeditamque methodum, Virorum eruditorum calculo maximè probatum. Cursus itidèm Philosophię Thomisticos vulgarunt P. *Mailhat*, P. *Guerinois*, *Alexander Piny*, doctrinâ, subtilitate, & sanctitatis famâ in Galliis notissimus, & *Nicolaus Arnu*, cujus extant etiam Commentaria in primam partem S. *Thomæ*, & Opus, cui titulus est: *Doctor Angelicus Divus Thomas Aquinas Divinæ Voluntatis & sui ipsius Interpres*. Theologiam Scholasticam edidit *Petrus Labat*. Cursum Theo-

logiæ Thomisticũ Theologico-positivum nuperrimè aggressus est P. *Rabaudi*, cujus jam quatuor Tomi in lucem prodierunt. Plures libros contra Hæreticos scripsit P. *Boucquin*. Tractatus Morales ediderunt *Jacobus à S. Dominico*, *P. Mayol*, Provincialis Tolosæ, & novissimè P. *La Font*. Theologiam Scholasticam in VII. Tomos distributam, composuit *Ludovicus Bancellus*, & alia Opera. Scriptorum Asceticorum, Ord. Prædicatorum, unum dumtaxàt laudabo *Franciscum Chaussemer*, Regi Christianissimo *Ludovico XIV*. à Concionibus, & Sac. Fac. Parisiensis Doctorẽ Theologum, qui Gallicè edidit librum *de Præparatione ad mortem*: & *Conciones De Mysteriis Domini Nostri Jesu Christi*; & Quadragesimales Conciones perdoctas & elegantes, quas reliquit, manuscriptas. Missos facio plures Scriptores Gallos Ord. Prædicatorum, qui è Collegio Parisiensi S. *Jacobi* prodierunt, quorum res præclarè gestas Gallicè descripsit P. *Mallet*, ejusdem Ordinis, in libro *de Viris illustribus Collegii S. Jacobi*. De Viris etiam illustribus Ord. Prædicatorum legesis egregium Opus *de anno Dominicano*, Gallicè scriptum à doctissimo P. *Thoma Souèges*, & à variis ejusdem Ordinis Scriptoribus continuatum, necnon *Monumenta Tolosana*, quæ accuratè collegit eruditus P. *Percin*, ejusdem Ordinis, quique etiam Author est *Historiæ Albigensium*. Sed silentio hic prætermittere non debeo insignem quemdam Scriptorem Anonymum, qui de doctrina Scholæ Thomisticæ optimè meritus, eximium Opus paucis abhinc annis Gallico idiomate conscripsit, cui titulus est: *De L'Action de Dieu*, seu *De Operatione Divina*, ubi ordine Geometrico tam

nervosè & eleganter, tam copiosè & dilucidè evincit omni argumentorum genere, necessariam esse tam in statu naturæ Innocentis, quā in statu naturę lapsæ, ad omnes & singulos actus seu naturales, seu supernaturales, Præmotionem, seu Prædeterminationem Physicam, ut omnibus Thomistis, qui eo de argumento hactenùs tractarunt, palmam præripuisse, & huic implexæ satis quæstioni ultimam diem imposuisse videatur. Quocircà, mihi certè temperare haud possum, quin doctissimo huic Scriptori Anonymo, mihi aliundè prorsùs ignoto, iisdem verbis, nomine totius Scholæ Thomisticæ, grates rependam, quibus Clerus Gallicanus clarissimo cuidam Theologo, sub *Petri Aurelii* nomine latitanti, qui Jura & authoritatem Episcoporum egregiis publicatis Lucubrationibus contra quosdam ęmulos obtrectatores strenuè defenderat, gratias egit in Epistola, quam ad ipsum, incognitum licèt, direxit, & in qua hæc habet Illustrissimus ille Clerus: *Verùm Dei Optimi Maximi providentià, qui Ecclesiam suam nunquam sinit impunè violari, extitit repentè Hierarchiæ* (dicam ego, Scholæ Thomisticæ) *Vindex acerrimus, Vir omnibus notus, omnibus ignotus, & in ipso veræ avitæque Theologiæ sinu educatus, qui libris præstantissimis editis, errorum monstra gloriosissimè jugulavit. Gallicana Ecclesia* (dicam ipse, Schola Thomistica) *tam eximia defensionis genere, Patrum dignitatem restitutam, adversariorum errores confutatos, calumnias dilutas, mendacia retecta, stultis denique secundùm stultitiam illorum, ut Scriptura jubet, responsum fuisse, gaudet, gratulatur, exultat. Nescit quid potissimum in fortissimo propugnatore mirari debeat, an rerum Eccle-*

sia-

siasticarum eruditionem, Patrum, Conciliorum notitiam; an styli majestatem, & pugnæ accommodatam eloquentiam; an in eruendis adversariorum technis solertiam; an in erroribus refutandis rationum pondus; an in asserenda veritate candorem; an in explicandis mysteriis abstrusioribus ac divinioribus felicitatem; an spirantem erga Sponsam Christi amorem; an veram minimèque fucatam mentis humilitatem & gravitatem. Unum est, quòd doleat; incompertum sibi adhuc esse, qua manu tot fortissima tela in hostes vibrentur, quaque ipse tam gloriosè triumphet..... qui occultè uni Deo militaverat, in occulto à Summo Imperatore coronari studuit. Non famam, non honorem, non gloriam aucupatus est, non Orbi terrarum præclaris Lucubrationum titulis innotescere voluit. Magnum est tot præstantes libros edidisse, tot secundæ prælia decertasse, tot veritatis hostibus altum silentium imposuisse: At longè maximum parta fama frui nolle. Quisquis es igitur, quia per modestiam tuam laborum tibi præmia reddere non licet, hoc à nobis amiciciæ, gratitudinis, honoris testimonium accipe: si, ut vovemus, adhùc in vivis es, prodi tandem, & omnium oculis optatissimum vultum exhibe. Sat modestiæ dedisti. Noli iis, qui tuis laboribus fruuntur, te ipsum invidere, nec diutini triumphi gaudium victoris absentià corrumpi sine. Quod si post bonum certamen pro Ecclesia certatum, coronam justitiæ à justo Judice accepisti, fac ut aliquis surgat ex ossibus ultor, ut nomen tuum à calumniis in posterum vindicet, & te in prosternendis Hierarchiæ (dicam ipse Scholæ Thomisticæ *) hostibus, passibus æquis sequatur.*

D. Miror sanè, quòd in texendo Virorum illustrium Sæculi XVII. Ordinis Prædicatorum Cata-

talogo, nullam prorsùs injeceris mentionem religiosissimæ Virginis *Julianæ Morell*, quæ è nobilissimis Parentibus Barcinone nata, Ordini Fratrum Prædicatorum Avenione in Conventu Monialium S.*Praxedis* nomen dedit, eumque doctrinâ & pietate plurimùm illustravit. Hæc quippè doctissima ac piissima Virgo (sicut nuperrimè legebam apud *Vincentium Baronium* libro v. Apolog. Ordinis Prædicatorum) anno ætatis suæ duodecimo Lugduni in Galliis Philosophię Theses publicè cum omnium admiratione defendit, & suprà sexum, suprà ætatem, rerum Philosophicarum, Jurisprudentiæ, & omnium ferè linguarum, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Græcæ, Latinæ, Gallicæ, Hispanicæ, Italicæ peritiâ resplenduit. Ordinem Prædicatorum anno ætatis suæ decimo sexto professa, multa scripsit, quorum initium fecit anno ætatis suæ vigesimo tertio, & ab ipsâ invitâ Superiorum imperium extorsit: sed hæc paucissima, & præ ingenii ejus fœcunditate nulla sunt; iteratis enim precibus à Superioribus vicissim ipsa obtinuit, ut uni divinarum rerum, quarum amore flagrabat, contemplationi, non librorum scriptioni vacaret, sicut fidem facit mox à me laudatus *Vincentius Baronius*, qui testatur, se frequentissimè allocutum fuisse hanc sacram Virginem Dominicanam, & ab ejus Colloquio se meliorem semper rediisse. Sed veniamus nunc ad Scriptores Ordinis S. *Francisci*, quos in octava Classe Virorum illustrium, qui Sæculo XVII. floruerunt, reposuisti.

M: Etsi plures fuerint Sæculo XVII. Ordinis Fratrum Minorum Scriptores, qui litteras coluerunt, paucos tamen, quorum Opera mihi notiora sunt;

ſunt, hìc indicabo, illis omninò prætermiſſis, qui de rebus purè Scholaſticis, aut de aliis id genus argumentis, quæ Eccleſiæ, aut Reipublicæ Litterariæ haud magnam utilitatem afferre poſſunt, libros conſcripſerunt. In primis, recenſebo hujus Ordinis Theologos, deindè Scriptores Polemicos, Scripturæ Sacræ Interpretes, Concionatores, ac poſtremò Hiſtoricos. Inter Theologos Ordinis Fratrum Minorum pręcipuum locum tenere debent *Laurentius Brancatus de Lauræa*, *Franciſcus Fevardentius*, *Franciſcus Macedo*, *Claudius Fraſſen*, *Gabriel Boyvin*, *Bartholomæus Durandus*, & *Franciſcus Maria Aſſermet*. Primus, ſeu *Laurentius Brancatus de Lauræa*, non minùs generis nobilitate, quàm doctrinæ præſtantiâ clarus, natione Italus, & ob egregia in Eccleſiã promerita Cardinalis creatus, ſcripſit *Epitomen omnium Canónum*: *Diſputationes duas de Decretis Eccleſiæ, & de proponente legitimè res Fidei*: *Commentaria in 3. & 4. libros Sententiarum Scoti*: *Opuſcula tria de Deo quoad opera Prædeſtinationis, Reprobationis, & Gratiæ actualis*, in quibus S.*Auguſtini* doctrinam de Gratia ſe ipsâ efficaci, & de Gratuita Prædeſtinatione ad gloriam ſtrenuè propugnat. Alter Ordinis Fratrum Minorum Profeſſor, ſeu *Franciſcus Fevardentius*, natione Gallus, *Conſtantiæ* in Normannia natus, & Sac. Facult. Pariſienſis Doctor, edidit *Commentarium* in libros S.*Irenæi contra Hæreſes*, acerrimis Scriptis Hæreticos exagitavit, eorumque animos vehementer pupugit, dùm pudendos illorum pſeudo-Miniſtrorum inter ſe conflictus, rabidas dilacerationes, virulentaque vituperia patefecit in libro, cui titulus eſt: *Theomachia Calviniſtica*, ubi mille & qua-

& quadringentos *Calvini* errores diligenter excussit, & solidè confutavit. *Franciscus Mucedo*, natione Italus, postquàm per viginti duos annos in Societate Jesu vixisset, Ordinem Fratrum Minorum professus est, ubi eruditionis laude celebris, edidit *Medullam Historiæ Ecclesiasticæ: Schema Sacræ Congregationis S. Officii cum elogiis Cardinalium: Cortinam Divi Augustini de Prædestinatione & Gratia*, in qua doctrinam S. *Augustini* de Gratia se ipsâ efficaci, & de gratuita ad gloriam Prædestinatione totis ingenii sui viribus defendit ac vindicat. Scripsit etiam Vitas SS. *Joannis de Matha*, & *Felicis Valesii*, aliaque perdocta Opera. *Claudius Frassen*, natione Gallus, & Sacræ Facultatis Parisiensis Theologus, author est Cursus Theologici, cui titulus est: *Scotus Academicus, seu universa Doctoris Subtilis Dogmata*. Ediditque quoque *Disquisitiones Biblicas*, in quibus de Sacris Scriptoribus librorum Veteris ac Novi Testamenti, de primigenio Textu Hebræo, de variis Scripturæ Sacræ Versionibus, ac potissimùm de authoritate Editionis Vulgatæ latè disserit. *Gabriel Boyvin*, natione Gallus, concinnavit integrum Philosophiæ ac Theologiæ Cursum, qui, ob facilem methodum, & in pertractandis quæstionibus perspicuitatem, Philosophiæ ac Theologiæ Scoticę studiosis Tyronibus haud parvo ad intelligendam Subtilis Doctoris mentem adjumento esse potest. *Bartholomæus Durandus*, natione Gallus, edidit Cursum Theologicum in quinque Tomos distributum, cui titulus est: *Clypeus Scoticæ Theologiæ contra novos ejus impugnatores*. Publicavit etiam nuperrimè idem Scriptor Tomum in folio, qui hunc præfert titulum: *Fides vindicata*

contra

contra Hæreticos &c. Novum *Theologiæ Scholastico-Positivæ cursum* non multis ab hinc annis aggressus est *Franciscus Maria Assermet*, natione itidèm Gallus, & Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, iàmque aliquos Tomos in octavo protulit in lucem. Inter Scriptores Polemicos Ordinis Fratrum Minorum, præter *Franciscum Fevardentium*, quem superiùs laudavi, optimo jure recenseri debet *Marcus Antonius Capellus*, natione Italus, qui, præter nonnulla Opuscula tùm Latinè, tùm Italicè scripta, lucubrationem edidit *de Appellationibus Ecclesiæ Africanæ ad Romanam Sedem*: *Prætensum Primatum Ecclesiasticum Regis Angliæ strenuè impugnavit*. Duas insuper vulgavit Disputationes, quarum prior est *de Summo Pontificatu B. Petri*; posterior est *de successione Episcopi Romani in eumdem Pontificatum*. Eruditum etiam Tractatum composuit *de Suprema Christi Domini Cœna* adversùs *Hieronymum Vecchietti*, patriâ Florentinum, qui, ut superiùs observavimus, in libro, quem *de Anno primitivo* edidit, pertendebat, Christum celebrasse cum Discipulis suis ultimam Cœnam Lunâ decimâ tertiâ in secundis Vesperis, ac subinde illum non in Azimo, sed in Pane fermentato Sacro-sanctam instituisse Eucharistiam. Hic *Marci Antonii Capelli* Tractatus omnigenâ eruditione, in rebus præsertim, quæ Chronologiam spectant, refertus est, & à Viris eruditis impensè laudatur. Scriptoribus Polemicis Ordinis Minorum accenseri itidèm debet *Franciscus Porterus*, natione Hibernus, qui aliquot scripsit contra Hæreticos Opuscula, & omnes Bullas, seu Constitutiones & Diplomata Romanorum Pontificum, quibus enatæ ad hæc usque tempora in-

Ecclesia Hæreses proscriptæ fuerunt, collegit ac publicavit Tomo in folio. Extat etiam ejusdem *Francisci Porterii Compendium Annalium Ecclesiasticorum Regni Hiberniæ*. Inter Scripturæ Sacræ Interpretes Ord. Minorum locum habere debet *Joannes de la Haye*, natione Gallus, qui edidit *Biblia Magna* Commentariorum Litteralium *Joannis Gagnæi, Guillelmi Estii, Emmanuelis Sà, Joannis Menochii*, & *Jacobi Tirini*; Prolegomenis *Menochii*, Chronico Sacro *Tirini*, & Indicibus locupletissimis illustrata. Vulgavit etiam *Biblia Maxima* Versionum ex Linguis Orientalibus, ex pluribus sacris MSS. Codicibus, ex innumeris ferè Sanctis, & Veteribus Patribus & Interpretibus Orthodoxis Collectarum, earumque Concordantiam cum Editione Vulgata, cum Annotationibus *Nicolai de Lyra, Joannis Gagnæi, Guillelmi Estii, Stephani Menochii*, & *Jacobi Tirini*, additis amplissimis Prolegomenis & Chronico Sacro. De hoc *Joannis de la Haye* immenso Opere, quod novemdecim Tomos in folio complectitur, hoc judicium fert *Jacobus le Long* Congregationis Oratorii Jesu Presbyter, Tomo I. suæ *Bibliothecæ Sacræ*, pag. 640. his verbis: *Opus maximum numero Voluminum, & Variantium Lectionum superflua multitudine incompositum, nec satis accuratum, mendisque refertum typographicis*. Scripsit quoque idem *Joannes de la Haye* Postillas in Opera S. *Francisci*, Ordinis Minorum Fundatoris; in Opera S. *Bernardi Senensis*, & Vitam *Alexandri de Hales*, ejusdem Ordinis. Ex innumeris Ordinis S. *Francisci* Concionatoribus, duos potissimum seligam, qui Sæculo XVII. magnam in Italia eloquentię laudem sunt consecuti, videlicet *Franciscum Panigarolam*

lam, & *Franciſcum Mariam Caſſini*, quorum prior, Mediolani nobili genere natus, & Franciſcani Ordinis arctioris Diſciplinæ Profeſſor, ob eximiam in concionando eloquentiam, factus eſt Epiſcopus Aſtenſis, & plura reliquit Concionum Volumina, necnon librum polemicum in *Calvinum*, quem *peſtem patriæ*, *flagellum Dei*, ac *primum Galliæ Monſtrum* rectè appellat. Alter, ſeu *Franciſcus Maria Caſſini*, Ordinis Fratrum Minorum, qui *Capuccini* dicuntur, Profeſſor, moribus ſanctus, ſenſibus profundus, eloquentiâ clarus ac fervidus Concionator fuit. Primùm à *Clemente XI.* Pontifice Maximo Sacri Palatii Apoſtolici Concionator inſtitutus, & poſteà S. R. E. Cardinalis creatus, duo in folio edidit Concionum Volumina, in quibus tùm argumenti gravitate, tùm ſtyli majeſtate, concinnitate, ordine & methodo omnium Lectorum judicia rapit. Denique, ex Hiſtoricis Scriptoribus Ordinis Fratrum Minorum quatuor dumtaxat laudabo, nimirùm *Lucam Wadinghum*, *Zachariam Boverium*, *Antonium Pagium*, & *Franciſcum Pagium*, de quibus hic pauca dicam. Et primò quidem *Lucas Wadinghus*, natione Hibernus, rerum Eccleſiaſticarum peritiâ clarus, *Annales Ordinis* Fratrum Minorum octo Tomis in folio conſcripſit ab anno MCCVIII. uſque ad annum MDCXL. edidit etiam Tomum in folio *De Scriptoribus Ordinis Minorum*: *Vitam Joannis Duns Scoti, Doctoris Subtilis*, ejuſque Operũ editionem Lugduni in Galliis adornavit: *Apologeticum de prætenſo Monachatu Auguſtiniano S.Franciſci*, & alia Opuſcula. *Zacharias Boverius*, Ordinis Fratrum Minorum, qui *Capuccini* vulgò nuncupantur, condidit Annales Capuccinorum.

rum. Cùmque in Fidei controversiis esset apprimè versatus, plura contra Hæreticos Polemica scripsit Opera, præsertim: *Demonstrationes Symbolorum veræ & falsæ Religionis adversùs præcipuos ac vigentes Catholicæ Religionis hostes, Atheistas, Judæos, Hæreticos, præsertim Lutheranos, & Calvinistas*, in duos Tomos distributas: *Parænesim Catholicam ad Marcum Antonium de Dominis, anteà Archiepiscopum Spalatensem, nunc Apostatam, & in Angliam transfugam* &c. & alia Opera, quorum Catalogum texit *Lucas Wadinghus* in libro *de Scriptoribus Ordinis Minorum*. Verùm, his Scriptoribus Historicis Ordinis Fratrum Minorum palmam sine controversia præripuit *Antonius Pagius*, natione Gallus, ejusdem Ordinis *Minorum*, qui *Conventuales* vulgò appellantur. Hic quippè illustrandæ Historiæ cùm Ecclesiasticæ, tùm Prophanę sedulò incumbens, primò protulit in lucem perdoctam Disputationem, quam appellavit *Dissertationem Hypaticam*, in qua accuratè & copiosè disserit *de Cæsareis Consulibus*, & Consulatuum Regulas, à se dudùm ingeniosè, solerterque excogitatas propalàm collocavit. Deindè, publicavit grave & ingens Opus summâ curâ multisque vigiliis elaboratum, & in quatuor Tomos distinctum, cui titulus: *Critica Historico-Chronologica in universos Annales Ecclesiasticos Cardinali Baronii*. In hoc eruditissimo Opere clarissimus ill Scriptor Annales Baronianos emendavit, eorur rimas explevit; quæ Eminentissimi Cardinalis *Baronii*, qui omnia pervidere haud potuit, diliger tiam subterfugerant, feliciter collegit; quæ jam ille discusserat, ad novam crisim revocavit, & H storiam Ecclesiasticam, tàm ex veteribus Antiqu

tat

tatis Monumentis post *Baronii* obitum è tenebris eductis, quàm ex propriis animadversionibus, plurimis in locis correxit, illustravit, locupletavit. Hinc *Antonius Pagius* omnibus exteris, & longinquis notus fuit magnâ celebritate famæ, non illius quidèm popularis, plerùmque temerariæ, inconsideratæ & merarum nugarum laudatricis, sed existimationem hominum accepit, qui tunc ingenio præstanti, & absolutissimâ eruditione florebant non modò in Galliis, sed in Italia & Germania, ipsâque ultimâ Britanniâ. De *Antonio Pagio* plura legesis in ejus Elogio, quod scripsit Vir doctissimus, & Linguarum Orientalium peritissimus Abbas *Ludovicus Du Four de Longuerue*, natione Gallus, quodque extat in fronte Operum *Antonii Pagii* Antuerpianæ Editionis, quæ prodiit an. MDCCV. & cujus curam habuit ejus nepos *Franciscus Pagius*, ejusdem Ordinis Fratrum Minorum, qui vulgò *Conventuales* vocitantur. Clarissimi *Antonii Pagii* vestigia premit ejus nepos *Franciscus Pagius*, quippè qui Historiæ Ecclesiasticæ studiosissimus, Vitas Romanorum Pontificum describendas suscepit, jamque tres Tomos in quarto, quos summâ animi oblectatione perlegi, publicâ luce donavit. Sed de Franciscanis Scriptoribus plura legesis apud *Lucam Wadinghum* in libro, quem edidit *de Scriptoribus Ordinis Minorum*.

D. Eâdem, queso, compendiosâ narratione describe Seriem illustrium Scriptorum, qui è Schola Ordinis Eremitarum Sancti *Augustini* Sæculo XVII. prodierunt, atque perdoctis suis lucubrationibus non minùs Catholicę Ecclesię, quàm Reipublicæ Litterariæ profuerunt.

M. Benè multi è Schola Ordinis Eremitarum S. *Augustini* Seculo XVII. prodierunt eximii Theologi, doctrinæ S. *Augustini* acerrimi defensores, & Antiquitatis cùm Sacræ, tùm Ecclesiasticæ & prophanæ studiosissimi cultores, quorum præcipuos hìc dumtaxàt laudabo, videlicet, *Gregorium Coronellum*, *Angelum Roccam*, *Christianum Lupum*, *Henricum Norisium*, *Guillelmum Bonjour*, *Augustinum Lubinum*, *Petrum Lambertum le Drou*, & *Fridericum Nicolaum Gavardum*, quorum Opera hìc breviter indicabo. In primis, *Gregorius Nunnius Coronellus*, natione Lusitanus, sacris litteris excultus, Theologiæ Doctor celebris, plenus meritis, & integerrimæ vitæ fuit. Romam vocatus, ibidèm multis annis Theologiam docuit, & à *Clemente VIII.* Pontifice Maximo, cui charissimus erat, Congregationum *de Auxiliis* Secretarius & Consultor electus est, idque muneris maximâ eruditione, diligentiâ, & fide obivit. Episcopatum sibi à *Paulo V.* oblatum, omni submissione & modestiâ suscipere detrectavit. Variis Scriptis Typis editis Rempublicam Litterariam ditavit. Congregationum *de Auxiliis* Acta universa, Disputationes, Judicia, Censuras digessit, juxtà sibi demandatum Secretarii officium. Privatas etiam de quæstionibus controversis tractationes elucubravit, quibus, ut Consultoris officium postulabat, sententiam dixit. Actorum, quæ Congregationes *de Auxiliis* spectant, & quæ à *Gregorio Nunnio Coronello* descripta sunt, originalis Codex adhùc Romæ extat in Bibliotheca Angelica Patrum Augustinianorum. Confundi non debet hic *Gregorius Nunnius Coronellus* cum *Vincentio Maria Coronello*, natione Italo

pa

patriâ Ravennate, Ordinis Fratrum Minorum, qui *Conventuales* appellantur, Professore, ac Ministro Generali, qui Sæculo XVII. celebris Geographus fuit, & plura pulcherrima, atque accuratissima edidit Cosmographica Opera. *Angelus Rocca*, Augustinianæ Familiæ præclara proles, Apostolici Sacrarii Custos, & Episcopus Tegastensis à *Clemente VIII.* Pontifice Maximo creatus, Philosophiæ ac Theologiæ peritissimus fuit, Græcis ac Latinis Litteris pereruditus omnem callebat Ecclesiasticæ Antiquitatis doctrinam, Sacrorumque Rituum cognitionem exquisitam habebat. Bibliothecam Romæ apud Patres Augustinianos fundavit ac dotavit *Angelus Rocca*, dictam à Fundatoris nomine *Angelicam*. Scripsit eleganti calamo *Commentarium de Communione Romani Pontificis*, *ejusque pedum osculatione*: *Bibliothecam Theologiæ, & Scripturæ Sacræ*: & singulares Tractatus *de Canonizatione Sanctorum*: *de Campanis*: *de Ludis*, & alia id genus perdocta Opuscula, quæ simul collecta prodierunt in lucem in recenti omnium ejus Operum Editione, quam secundis curis nuperrimè Patres Augustiniani Romæ adornarunt. *Henricus Norisius*, natione Italus, præclarum Familiæ, & Scholæ Augustinianæ decus atque ornamentum, S. R. E. Cardinalis fuit omni disciplinarum genere cumulatissimè instructus; Theologus absolutissimus, Criticus, Historicus, sui Sæculi primus. Quantùm in vera Theologia, seu doctrina S. *Augustini* versatus esset Eminentissimus ille Cardinalis, liquidò apparet ex ea, quam edidit, *Historia Pelagiana*, & ex *Vindiciis Augustinianis*, in quibus doctrinam S. *Augustini* pro aris ac focis tutatur, ejusque, velut alter *Tullius Cicero*

pro domo ſua diſertiſſimus, contra quoſdam æmu
los obtrectatores aſſerit ac vindicat authoritatem
Suam ſingularem Antiquitatis Eccleſiaſticæ peri
tiam prodidit idem Cardinalis in ea, quam con
cinnavit, *Diſſertatione Hiſtorica de quinta Synodo Ge
nerali*. Sed ſummam ejus in rebus Hiſtoricis, Criti
cis, & Chronologicis eruditionem ſuſpiciunt om
nes ad unum Viri periti in his Operibus, quæ ſcri
pſit doctiſſimus ille Cardinalis, cujuſmodi ſunt
Epiſtola Conſularis: *Duplex Diſſertatio de duobus Num
mis Diocletiani & Licinii cum Auctario Chronologi
co de Votis decennalibus Imperatorum & Cæſarum*: *Ce
notaphia Piſana Caii & Lucii Cæſarum Diſſertationi
bus illuſtrata cum parergo de Annis Regni Herodis
de Præſidibus Syriæ, ac Romanis in Aſiæ Provinciis*
*Annus & Epochæ Syro-Macedonum in Syriæ numm
expoſitæ, cũ Faſtis Conſularibus Anonymi Diſſertation
illuſtratis*. In his, inquam, Operibus omnia, qu
ad Hiſtoriam, Criticam, aut Chronologiam att
nent, tantâ eruditione, & ſtyli elegantiâ illuſtr
vit Cardinalis *Noriſius*, ut cæteris harumce diſc
plinarum ſtudioſis facem prætulerit, quam ſecu
à recta veritatis ſemita nunquàm deflectent. Al
erudita Opuſcula edidit ille immortali laude d
gnus Cardinalis, ſed præſertim *Diſſertationem H
ſtoricam de Uno ex Trinitate carne paſſo*, additis *H
ſtoriæ Pelagianæ ab Anonymi ſcrupulis Vindiciis*.
Cardinali *Noriſio* ſejungi non debent *Guilleln
Bonjour*, & *Fulgentius Belleli*, quorum primus N
riſii doctrinæ fuit addictiſſimus, & ejuſdem F
miliæ Auguſtinianæ Alumnus, doctrinâ & can
re morum eximius, & omnibus amabilis. Nat
ne quidem Gallus fuit, ſed diù in Italia man

ubi summâ cum laude in Seminario Montis-Falisci Sacras Litteras docuit. Dein, Romam vocatus, Bibliothecæ Angelicę apud suos Augustinianos Custos fuit, ac tandèm à *Clemente XI.* Pontifice Maximo ad Sinarum Imperium, ad gravissima peragenda negotia, missus, ibi præmaturâ morte è vivis sublatus est. Perdocta scripsit Opera, videlicet Dissertationem de nomine, quod *Pharao* Rex Ægyptiorum imposuit Patriarchæ *Josepho*, eum appellando *Salvatorem Mundi*, sicut legitur in Editione Vulgata: *Dissertationes etiam selectas in Scripturam Sacram*: & *Calendarium Romanum cum Epactis & Noviluniis*; ex quorum librorum lectione facilè quisque intelligere potest, *Guillelmum Bonjour* Linguarum Hebraïcæ & Græcæ peritum, & Chronologiæ cùm Sacræ, tùm Prophanæ, atque Astronomiæ notitiâ haùd vulgari præditum fuisse. Alter verò, qui in doctrina Sancti *Augustini*, Cardinalis *Norisiii* vestigia pressit, est doctissimus P. *Fulgentius Belleli*, nunc Ordinis Eremitarum S. *Augustini* Procurator Generalis, qui anno MDCCXI. librum edidit ad explicandam mentem Sancti *Augustini circa statum Creaturæ Rationalis ante peccatum*. *Christianus Lupus*, natione Belga, patriâ Iprensis, plures libros ad illustrandam Historiam ac Disciplinam Ecclesiæ lucubravit, præsertim quinque Tomos in quarto, quibus complexus est Synodorum Generalium & Provincialium Decreta & Canones cum doctissimis Notis, Scholiis ac Dissertationibus. Collegit etiam ac publicavit Epistolas & Vitam Sancti *Thomæ* Martyris, & Archiepiscopi Cantuariensis, necnon Epistolas *Alexandri III.* Pontificis Maximi, *Ludovici VII.* Galliarum Regis, *Henrici II.*

Angliæ Regis, & aliorum. Item publici juris fecit Epiſtolas variorum Patrum ad Concilium Epheſinum, & aliquas edidit Diſſertationes *de Sanctiſſimi Sacramenti publica expoſitione; & de Sacris Proceſſionibus: de Appellationibus ad Romanam Sedem: de Conſecratione Epiſcoporum: de ſenſu Sanctorum Patrum circa Contritionem & Attritionem: Notas in librum Tertulliani de Præſcriptionibus*, & alias, moriens, manuſcriptas reliquit Diſſertationes, quas poſt ejus obitum P. *Winantius*, ejuſdem Ordinis Eremitarum Sancti *Auguſtini* Profeſſor, Bruxellis anno MDCXC. Typis edi curavit. Geographiæ tàm Sacræ, quàm Prophanæ perfectam notitiam habuit *Auguſtinus Lubinus*, natione Gallus, patriâ Pariſinus, & præter aliqua, quæ ſcripſit Opera Geographica, Martyrologium Romanum Tabulâ Alphabeticâ Coſmographicâ illuſtravit, atque ad petitionem Cardinalis *Colloredo*, edidit, dùm Romæ degeret, & Præfecti Generalis ſui Auguſtiniani Ordinis Aſſiſtens eſſet, *brevem Abbatiarum Italiæ Notitiam*, quę indicat ſitus, proventus, jura, privilegia, & Viros illuſtres Abbatiarum Italiæ. *Petrus Lambertus le Drou*, Facultatis Lovanienſis Doctor, Sacrarii Apoſtolici Præfectus, & Epiſcopus Porphyrienſis, quatuor concinnavit Diſſertationes, Romæ anno MDCCVII. editas, *de Contritione & Attritione*, in quibus omni argumentorum genere evincit, Contritionem imperfectam conceptam ex initiali amore Dei ſuper omnia dilecti eſſe neceſſariam in Sa Sacramento Pœnitentiæ ad conſequendam remiſſionem peccatorum, eamdemque doctrinam ſolidè vindicavit in *Confutatione Diſcuſſionis Theologicæ* quam *Auguſtinus Michel*, Canonicus Regularis i

Ge

Germania, contra quatuor Dissertationes de Contritione & Attritione vulgavit. Postremò, *Fridericus Nicolaus Gavardus*, Romæ in Archigymnasio Sapientiæ publicus Theologiæ Professor, Philosophiam vindicavit ab erroribus Philosophorum Gentilium, juxta doctrinam Sancti *Augustini*, & B. *Ægidii Columnæ*. Typis etiam mandavit sex Tomos in folio, hunc præferentes titulum: *Theologia exantiquata, juxta Sancti Augustini doctrinam ab Ægidio Columna expositam* &c. Missos facio, brevitatis causâ, alios clarissimos Ordinis Eremitarum Sancti *Augustini* Theologos, qui Sæculo XVII. perdocta scripserunt Opera ad tuenda, sanciendaque Sancti *Augustini* de Gratiâ se ipsâ efficaci, & de Gratuita Prædestinatione inconcussa Dogmata, quæ utì Aquilinus Doctor discipulis suis, velut ex asse hæredibus reliquit, ita religiosissimus Eremitarum Sancti *Augustini* Ordo filiis suis hæreditaria esse voluit. Sic enim in Generalibus Comitiis anno MDCLXXIX. habitis, Definitione XIII. statutum legimus: *Pro feliciori Studiorum Ordinis nostri progressu ac splendore, definitum fuit, quòd quilibet ex nostris Religiosis tùm privatim, tùm publicè discens, vel docens, teneatur in omnibus sequi & tueri inconcussam doctrinam SS. Patris nostri Augustini, præsertim in materia de Gratia primi Hominis, & Angelorum, quòd à primo instanti fuerint à Deo creati recti, & proindè bonæ voluntatis: Item de nostra Gratuita Electione & Prædestinatione in Christo etiam ad gloriam, independenter à prævisione nostrorum meritorum; necnon de Gratia per se efficaci, qua Deus operatur in nobis velle & perficere.* Huic publico ac generali totius Ordinis Statuto sanciendo prælusit

pitulum Provinciale, quod anno MDCLXXVII. Francopoli in Gallia celebratum est, ubi pii ac religiosi Viri hoc Statutum promulgarunt: *Nos infrascripti Definitorii Patres statuimus, definimus, & ordinamus, ut quisque in Provincia nostra Theologiæ aut Philosophiæ Professor, immaculatam & inconcussam Sanctissimi Parentis Augustini doctrinam, juxtà interpretationem fundatissimi Doctoris nostri B. Ægidii Romani, sequatur, doceat, & defendat. Eisdemque Professoribus inhibemus ac prohibemus, ne sequantur opinionem Ludovici Molinæ, circà controversias de Scientia Media, & Concordia Libertatis cum Gratia, utpotè adversantem, sicut ipse Molina testatur, Divi Augustini doctrinæ atque sententiæ. Secùs facientes, privamus in perpetuum gradu Doctorum in Provincia nostra privilegiatorum. Datum Francopoli in Comitiis Provincialibus die* XIX. *Maii anni* MDCLXXVII. Hæc Sancti *Augustini* de Gratia se ipsâ efficaci, & de Prædestinatione Gratuitâ dogmata benè multi gravissimi Sæculi XVII. Theologi Ordinis Eremitarum Sancti *Augustini*, eruditis in lucem emissis lucubrationibus, magnis animis propugnarunt, quos tamen consultò, nè longior sim, silentio prætermitto.

D. Non solùm præclarissima Augustiniana Familia illustres dedit Ecclesiæ Sæculo XVII. doctrinæ S. *Augustini* de Gratia se ipsâ efficaci & de Prædestinatione gratuitâ assertores ac vindices; sed etiam, ut mihi nuperrimè narrabat Vir eruditus, & Scholæ Augustino-Thomisticæ addictissimus, quàm plurimi Theologi ex inclyto Ordine Carmelitarum, eorum præsertim, qui arctioris sunt instituti, & S. *Thomam*, tanquàm Magistrum,

se

se habere gloriantur, eamdem doctrinam de Gratia se ipsâ efficaci & de Prædestinatione gratuita, multis Sæculo XVII. editis lucubrationibus, magno animorum æstu propugnarunt; qui, & quales fuerint, breviter nunc indicare debes.

M. Innumeros sanè hìc proferre possem, egregios Philosophos ac Theologos, qui è religiosissimo Carmelitarum præsertim Discalceatorum, Ordine, in doctrina S. *Thomæ* illustranda ac vindicanda insudarunt, & quibus non habuit Angelicus Doctor fortiores pugiles, nec acriores vindices adversarii persenserunt. Norunt siquidem omnes, quantum in eo scribendi genere laudis consecuti sint Complutenses Philosophi, quibus non alii puriorem S. *Thomæ Aquinatis* doctrinam tradiderunt. Quid dicam de Salmanticensibus ejusdem Familiæ Theologis, qui tot erudita volumina ad germanam S. *Thomæ* explanandam doctrinam, magno Reipublicæ Litterariæ emolumento, ediderunt, quosque elegisse ipsemet S. *Thomas* ut Fidelissimos Interpretes, quorum ore & calamo genuinam mentem suam, & reconditos sensus patefaceret, videri potest. Sed quid de *Philippo à Sanctissima Trinitate* dicam, viro undecùmque doctissimo, in quo pietas & scientia de palma contendebant, quique, editis Philosophiâ, utrâque Theologiâ, Scholasticâ, & Mysticâ, Historiâ, aliisque cedro dignis Operibus, nomen suum seræ posteritati consecravit? Sed quid de *Dominico à Sanctissima Trinitate*, & de P. *Liberio*? quorum primus, septem, quos edidit, tomis in Folio, omni, quà latè patet, Theologicâ, Theticâ, Polemicâ, Mysticâ comprehesâ, nihil cæteris in re

Theo-

Theologica reliquum fecit: Alter verò, Romæ in Collegio de Propaganda Fide Theologię Professor, pietatis eximiæ, ingeniique felicissimi, complura de rebus Theologicis, & Polemicis volumina edidit, quæ ad debellandos Hæreticos, Schismaticos, aliosque Fidei Catholicæ hostes invicta arma subministrare possunt. Prætereo cæteros ejusdem Theresiani Ordinis Viros doctissimos, qui tanto studio in illustrando S. *Thoma* Doctore Angelico laborarunt, ut nihil cæteris ejusdem Doctoris Discipulis, Familiæ Dominicanæ alumnis, eruditione & in communem Magistrum observantiâ concedant, immò, illos in hoc præsertim vincant, quòd Dominicani *Mysticæ S. Thomæ Aquinatis Theologiæ* tractationem penè intactam reliquerunt, quam Carmelitæ Discalceati, præcipuè *Joannes à Cruce*, *Joannes à Jesu Maria*, & *Ludovicus à S. Theresia* perdoctis libris ita illustrarunt, ut tantorum Virorum ore nunc S. *Thomam*, Theologiam Mysticam edocentem, audiamus, nihilque, post tot luculentissima horumce illustrium Scriptorum Opera, de Theologia Mystica scribendum superesse videatur. Non defuerunt etiam Sæculo XVII. inter Carmelitas Discalceatos periti Critici, quorum unum superiùs laudavi, videlicèt *Honoratum à Sancta Maria*, qui nuperrimè eruditum librum Gallicè scripsit *de Regulis & Usu Critices Disciplinæ*: Alter verò, seu *Cherubin à Sancto Joseph*, immensum Opus aggressus est, cui hunc præfixit titulum: *Bibliotheca Criticæ Sacræ Theologiam Positivam undecim Voluminibus Scholastica ferè methodo complectens*. His Clarissimis Scriptoribus Carmelitis Discalceatis duos adjungam Carmelitas, quos

vul-

vulgò Calceatos appellant, ſcilicet *Henricum à Sancto Ignatio*, & *Ambroſium Gardeboſc*, quorum prior grande Opus de doctrina morali in tres Tomos in Folio diſtributum protulit in lucem, cui titulus eſt: *Ethica amoris, ſive Theologia Sanctorum, præſertim Auguſtini & Aquinatis, circa univerſam amoris & morum doctrinam adversùs novitias opiniones ſtrenuè propugnata*. Nonnulla etiam edidit Opuſcula, & paucis abhinc annis obiit in Belgio, unde oriundus erat. Quamvis benè multi inſignes Viri Hiſtoriam & Annales Eccleſiæ Sæculo XVII. litteris mandarint, nihiloſeciùs *Ambroſius Gardeboſc*, natione Gallus, aliorum, qui illuſtrandæ atque ornandæ huic ſpartæ induſtriam omnem ingenii atque eruditionis Vires, quibus pollebant maximis, contulerant, laboribus minimè deterritus; Hiſtoriam Eccleſiaſticam proprio marte, deſcribendam ſuſcepit, duoſque Tomos in Folio, quorum primus Hiſtoriam Eccleſiæ Seculi I. Alter Sæculi II. Hiſtoriam complectitur, publicavit; ſed inopinatâ morte Toloſæ è vivis ſublatus, ulteriùs progredi, & inchoatum Opus maturare, atque ad umbilicum perducere non potuit.

D. Etſi Religioſa Societas Jeſu modeſtè de ſuis Scriptoribus, & præclariùs de aliis ſentire noverit, audivi tamen nudiuſtertiùs, à Clariſſimo Viro, huic Societati addictiſſimo, innumeros prodiiſſe ex ea Sæculo XVII. Scriptores, qui in omni ſcientiarum genere excelluerunt. Quod quidem an verum ſit? à te nunc perdiſcere cupio, quem probè ſcio, nihil inter ſcribendum gratiæ aut odio tribuere, & ab omni humano affectu alienum nullo partium ſtudio laborare, ſicut Hiſtoricum decet,

cet, qui, abdicatis omnibus præjudiciis, singula diligentissimè excutere debet, eamque veri & æqui rerum scribendarum curam habere, ut ea expungere paratus sit, si vel minimùm subodoratus fuerit aliquid affectibus suis indulsisse. Age ergo, describe, obsecro te, seriem Scriptorum Societatis Jesu, quibus in hac undecima illustrium Sæculi XVII. Virorum classe locum dedisti.

M. Turpis adulator optimo jure audirem, si Scriptores Societatis Jesu Sæculi XVII. supra cæteros omnes, quos hactenùs laudavi, & supra omne quod doctum est ambitiosiùs attollere, eisque in omni scientiarum genere primas partes aut solas vindicare vellem. Verè tamen, & citra ullum assentationis periculum dicam, celebrem Societatem Jesu protulisse Sæculo XVII. Scriptores numero & doctrinâ non inferiores his, quos eruditione insignes cæteri Religiosi Ordines eodem Sæculo dederunt Ecclesiæ, videlicèt Scripturæ Sacræ Interpretes, Theologos, Polemicos, Criticos, Chronologos, Historicos, & aliis Disciplinis cùm divinis, tùm humanis exercitatissimos. A Sacræ Scripturæ Interpretibus, quos Sæculo decimo septimo peperit Societas Jesu exordium ducam, quos inter potissimum commendantur *Joannes Baptista Villalpandus*, *Benedictus Justinianus*, *Joannes Mariana*, *Joannes Lorinus*, *Jacobus Tirinus*, *Cornelius à Lapide*, *Joannes Pineda*, *Jacobus Bonfrerius*, *Joannes Stephanus Menochius*, *Jacobus Gourdon*, *Benedictus Pererius*, & *Joannes Phelippæus*, quorum Opera, quantùm permittere potest Colloquiorum nostrorum brevitas extremis, ut ajunt, digitis attingemus. In primis, *Joannes*

Ba-

Baptista Villalpandus, natione Hispanus, doctissimum edidit Commentarium in Prophetam *Ezechielem*, in quo elegantissimam Urbis & Templi Hierosolymitani descriptionem contexuit. *Benedictus Justinianus*, natione Italus, Commentarium adornavit in Epistolas S. *Pauli*, & in Epistolas Canonicas. *Joannes Mariana*, natione Hispanus, præter triginta *Annalium Hispaniæ* libros, seu præter Historiam de rebus Hispaniæ in libros triginta partitam, aliosque varios Tractatus, tum Historicos, tùm Theologicos, quos eruditè scripsit plures, ut exempli gratiâ *Tractatum de Beati Jacobi Apostoli in Hispaniam adventu*: & alterum *Tractatum pro editione vulgata SS. Bibliorum*; scripsit insuper *Scholia in universam Scripturam Sacram*, quæ ad Sacri Textus intelligentiam lectori haud modicam lucem affundere possunt. *Joannes Lorinus*, patriâ Avenionensis, scripsit Commentarios in *Leviticum*, in *Numeros*, in *Deuteronomium*, in *Psalmos*, in *Ecclesiastem*, in *librum Sapientiæ*, in *Acta Apostolorum*, & in *Epistolas Canonicas*, cùmque linguarum Hebraicæ, & Græcæ, necnon Critices esset peritus, multas difficultates, quæ ad Hebræorum, Græcorumve vocabulorum notitiam, vel ad Historiam, Dogmata, atque Disciplinam Ecclesiæ attinent, dilucidè exposuit. Inter celebres Scripturæ Sacræ Interpretes reponunt Viri eruditi *Jacobum Tirinum*, natione Belgam, qui edidit Commentarium in totam Scripturam Veteris ac Novi Testamenti tribus Tomis comprehensum, calculis Chronologiæ diligentissimè subductum, & variarum materiarum accuratis Indicibus illustratum. *Cornelius à Lapide*, natione

iti-

itidem Belga, linguas Hebraicam & Græcam ita didicit, ut Sacram Linguam Lovanii & Divinas Scripturas per viginti annos publicè docuerit, indèque Romam accersitus, easdem summâ cum laude fuerit interpretatus. Commentaria in omnes ferè Scripturæ Sacræ libros texuit, Commentarium tamen in libros *Job*, *&* *Psalmorum* non absolvit, sed imperfectum reliquit. *Joannes Pineda*, Natione Hispanus, vir excellenti ingenio, magno judicio, variâ eruditione, scripsit *Commentarium in Libros Job, & Ecclesiastes*: *Prælectionem Sacram in Cantica*, & alia erudita Opera, quorum Catalogum texit *Philippus Alegambe* in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu. *Jacobus Bonfrerius*, natione Belga, insigne lucubravit Opus, videlicèt *Pentateuchum Moysis Commentario illustratum, præmissis quæ ad totius Scripturæ intelligentiam manuducunt Præloquiis perutilibus*: *Commentaria in Libros Josue, Judicum, Ruth, Regum, & Paralipomenon*: *Onomasticon Urbium & locorum Scripturæ Sacræ*. Paratum etiam, teste *Philippo Alegambe*, in Sacra Biblia reliquit Tomum, in quo explicabat cæteros libros Sacros Historicos, *Esdram, Nehemiam, Tobiam, Judith, Estherem, Machabæos*: item *Commentarios in Evangelia, Actus Apostolorum, & Epistolas S. Pauli*, eumque, dum librum Psalmorum Commentario illustraret, & jam ad Psal. 34. pervenisset, Cœlo maturũ mors occupavit. *Joannes Stephanus Menochius*, natione Italus, *Hieropoliticon*, seu *Institutionis Politicæ*, è Sacris Scripturis depromptæ, tres contexuit libros, & *Institutionis Œconomicæ*, è Sacris Scripturis paritèr desumptę, edidit libros, & insuper *brevem sensus* lit-

litteralis totius Scripturæ Sacræ interpretationem. In exponēdis Scripturis Sac. totus ſimilitèr incubuit *Jacobus Gordonus*, natione Scotus, qui ſcripſit *Opus Chronologicum* duobus Tomis comprehenſum, Regnorum mutationes, & rerum toto Orbe geſtarum memorabilium ab exordio mundi ſeriem complectens. Edidit quoque Opuſcula tria, *Chronologicum, Hiſtoricum, Geographicum: Diatribam de Catholica veritate:* & *Biblia Sacra cum Commentariis ad ſenſum Litteræ, & Explicationem temporum, & locorum omnium, quæ in Sacris Litteris habent obſcuritatem.* Non minus Sacrorum Librorum accuratus interpres fuit *Benedictus Peyrera*, ſeu *Pererius*, natione Hiſpanus, qui elaboravit *Commentarios in Geneſim & Danielem: Tomos 4. Diſputationum in Geneſim: Tomum 1. Diſputationum in Exodum: Tomos duos Diſputationum in Epiſtolam ad Romanos: & tres Tomos in Apocalypſin.* Extant etiam quindecim ejus libri Phyſicorum. In hujus autem doctiſſimi Viri, teſte *Philippo Alegambe*, Scriptis tantum apparet ingenium, tanta doctrina atque eloquentia, tanta rerum omnium comprehenſio, ut ſupervacaneum ſit lucernam ſolis lumini inferre. *Joannes Phelippæus*, natione Gallus, patriâ Andegavenſis, Commentarios adornavit in duodecim Prophetas minores. Scripſit etiam *Tractatum Aſceticum oſtendentem veram hominis felicitatem in ſolo Deo reperiri.* His peritis Scripturæ Sacræ Interpretibus, duos alios ejuſdem Societatis Scriptores adjungam, videlicet *Nicolaum Serarium*, & *Martinum Antonium Delrium*, quorum primus, natione Lotharingus, ad Sacras Litteras explicandas & ornandas omne ſtudiū contulit, & egregiis commenta-

tariis illustravit Libros Sacros Historicos *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *Tobiæ*, *Estheris*, *Machabæorum*. Extant etiam ejus quinque libri *Rerum Moguntiacarum*, & tres libri *de Sectis Judæorum* contra *Scaligerum* & *Drusium*, aliaque ejus Opera, quæ simul collecta, typis edita sunt tribus Tomis in Folio Moguntiæ anno MDCXXVII. Alter, seu *Martinus Antonius Delrius*, patriâ Antuerpiensis, Vir multijugæ lectionis, & linguarum Latinæ, Græcæ, Hæbraicæ, Chaldaicæ, Belgicæ, Hispanicæ, Italicæ, Germanicæ peritus, reliquit *Adagia Sacra Veteris & Novi Testamenti*: *Notas in Genesin*, *in Canticum Canticorum*, *Threnos*, aliaque Opera cùm sacra, tum prophana, inter quæ maximè laudantur ejus *Disquisitiones Magicæ*. Sed hæc de doctissimis Scripturæ Sacræ Interpretibus, quos Sæculo XVII. protulit Societas Jesu, pauca observasse sufficiat, plura de his legesis apud sæpiùs citatum *Philippum Alegambe* in *Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu*. Venio nunc ad Theologos Societatis Jesu, quorum alii Commentarios, aut Disputationes de rebus Theologicis instituerunt, videlicèt Cardinalis *de Lugo*, *Franciscus Suares*, *Gabriel Vasques*, *Gregorius de Valentia*, *Fonseca*, *Herice*, *Granado*, & *Typhanius*. Alii verò ad suffulciendū recens excogitatum de Gratia versatili, & de scientia media Molinianum Systema libros procuderunt, nimirùm *Ferdinandus de Vastida*, *Petrus Arrubal*, *Christophorus Cobos*, *Leonardus Sherlogus*, *Gabriel Henao*, *Jacobus Platelius*, *Eugenius Philadelphus*, *Christophorus Ortega*, *Franciscus Perrinus &c.* Alii denique in doctrinam *Michaelis Baii* & *Cornelii Jansenii*, Episcopi Iprensis, calamum

acue

acuerunt, quos inter celebriores sunt *Franciscus Annatus*, *Joannes Martinus Ripalda*, *Joannes Martinonus*, seu per anagramma purum, *Joannes Moraines*, & *Stephanus Deschamps*, quorum Opera notiora sunt, quàm ut in eorum describendo catalogo diutiùs hìc immorari necesse sit. Breviter tantùm dicam, quod si olim *Propertio*, Poëtæ orto Mevaniâ, oppido Umbriæ tunc amplissimo, nunc mediocri, scriptis quatuor Elegiarum libris, hunc versum canere licuit ipso vento tumidiorē & inaniorem: *Et nostris tumefacta superbiat Umbria libris*; Longè potiori jure gloriari debet Clarissima Societas Jesu, quòd tot Sæculo XVII. pepererit Theologos, qui ingenti multitudine librorum Scholas impleverunt?

D. Eccur, quæso, huic Theologorum Societatis Jesu Catalogo non accensuisti illos ejusdem Societatis Scriptores, qui de Theologia Morali Sæculo XVII. scripserunt, *Tamburinum*, *Baunium*, *Escobarium*, *Filliutium*, *Sanchem*, *Azorium*, *Sanctium*, *Tannerum*, *Reginaldum*, *Mascarenham*, *Busembaum*, & alios benèmultos, quorum satis amplum Indicem mihi nuperrimè exhibuit Vir minimè malus, & qui in lectione illorum Scriptorum perdius ac pernox versatur?

M. Ab his referendis Scriptoribus, quos memorasti, consultò abstinui, quia, ut candidè fatear, in his, quæ spectant Disciplinam morum non mihi probantur multa ab eis asserta Placita; sed alios longè antiquiores & securiores Duces hactenùs secutus sum, quorum libri inoffenso pede legi possunt, ut potè immunes ab his morum corruptelis, & perniciosis laxitatibus, quas Sum-

mi Pontifices, *Alexander VII. Innocentius XI.* & *Alexander VIII.* proſcripſerunt. Non poſſum tamen, quin ſummis laudibus efferam *Tyrſum Gonzalem*, Præpoſitum Generalem Societatis Jeſu, qui Sæculo XVII. hoc eſt, anno MDCLXXXVII. librum Romæ typis edidit, in quo probabiliſmum datâ operâ impugnat, & invictè demonſtrat, in conflictu duarum opinionum, quarum una minus probabilis, altera probabilior eſt, eligendam eſſe probabiliorem, quæ ſtat pro lege, relictâ opinione minùs probabili, quæ favet cupiditati, ſuamque doctrinã confirmat teſtimoniis doctiſſimorũ Theologorum Societatis Jeſu, præſertim *Pauli Comitoli*, qui Probabiliſmi, aliarumque in doctrina morali laxitatum fuit acerrimus inſectator. Hanc *Tyrſi Gonzalis*, Societatis Jeſu Præpoſiti Generalis, contra Probabilitatem ſententiam mordicùs propugnarunt in Galliis duo ejuſdem Societatis Jeſu perdocti Theologi, *Franciſcus Malatra*, & P. *Giſbertus*, qui novum probabilitatis commentum, ex quo periculoſæ opiniones, & variæ morum corruptelæ eruperunt, publicis lucubrationibus exploſerunt, confutarunt, profligarunt, atque ſolidis momentis propulſarunt calumniam, quam jactant nonnulli, qui doctrinæ de vaga probabilitate inventionem Theologis Societatis Jeſu acceptam referunt, aut ejus defenſionem toti Societatis Jeſu Scholæ falsò imputare præſumunt.

D. Aliorum illuſtrium Scriptorum, illorum præſertim, qui in Theologia Polemica, Hiſtoria, & Critices, ac Chronologiæ excolendis Diſciplinis Principatum in Societate Jeſu Sæculo decimo ſeptimo obtinuerunt, perge, quæſo, deſcribere ſeriem.

M. Ex

M. Ex Theologis Polemicis Societatis Jesu tres dumtaxat proferam, Viris omnibus eruditis notissimos, *Robertum Bellarminum*, *Jacobum Gretserum*, & *Martinum Becanum*. Primus natione Italus, doctrina & pietate toto Orbe celebris, sacrâ purpurâ Cardinalitiâ à *Clemente VIII.* Pontifice Maximo donatus, & Ecclesiæ Capuanæ Archiepiscopus inauguratus, varia & erudita reliquit Scripta, inter quę sunt ista: *Tres Controversiarum Tomi* adversus sui temporis Hæreticos, in quibus de Verbo Dei, de Summo Pontifice, & Conciliis fusè differit: *Explanatio in Psalmos*: *Conciones Sacræ*: & liber unus *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, in quo de 400. circitèr Authoribus Ecclesiasticis suum eruditũ & sapiens profert judiciũ. *Supplementú* huic *Bellarmini* libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* addidit postea *Casimirus Oudinus*, Canonicus Regularis Ordinis Præmonstratensium. Opus Cardinalis *Bellarmini* ab Hæreticis *Witakero*, *Junio*, aliisq; Sectariis impetitum, egregiè defendit *Jacobus Gretserus*, natione Germanus, in Opere duobus Tomis in Folio comprehenso, quod publicavit Ingolstadii an. MDCVII. Edidit etiam *Gretserus* tres Tomos in quarto *de Cruce*, in quibus omnia, quę spectant Crucis Christi Domini figuram, apparitiones, instrumenta, miracula, cultum, dilucidè explanat, varia Patrum Græcorum tùm edita, tùm inedita Monumenta, Hymnos, Prosas, & Epigrammata in laudem Crucis Christi collecta inseruit. Aliorum Operum, quæ scripsit *Jacobus Gretserus*, linguæ Græcæ peritissimus, Catalogum legesis apud *Philippum Alegambe* in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu. *Becanus*, natione Brabantinus, præter

Scholasticam Theologiam, quam edidit, brevem, facilem, & expeditam; scripsit insuper varios Tractatus Polemicos, in quibus Cardinalis *Bellarmini* vestigiis insistendo, controversa Fidei Catholicæ dogmata solidè defendit. Inter Scriptores ejusde mSocietatis Jesu, qui in Antiquitate Ecclesiastica, Critices ac Chronologiæ Disciplinis versatissimi fuerunt, hi principem locum obtinere debent, *Dionysius Petavius*, *Jacobus Sirmondus*, *Philippus Labbæus*, *Gabriel Cossartius*, *Petrus Possinus*, *Antonius Possevinus*, *Fronto Ducæus*, *Andreas Schottus*, & *Petrus Franciscus Chiffletius*, quorum Opera hic indigitare sat superque sufficiet. In primis, *Dionysius Petavius*, natione Gallus, patriâ Aurelianensis, insignis Theologus, Historicus, Orator, Poëta, & linguarum exoticarum notitiâ excultus, varia doctissima conscripsit Opera, inter quæ sunt, *Synesii Ptolamaidis Episcopi Opera è GræcoLatinè reddita, cum Notis adjunctis*: *Breviarium Historicum Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, cum Notis Chronologicis*: *Opera S. Epiphanii Græcè & Latinè data, notisque illustrata*: *Opus Theologicum de Dogmatibus Theologicis*, in quinque Tomos distributum: *Opus de doctrina temporum*: *Rationarium temporum*: *Paraphrasis Psalmorum omnium, & Canticorum*: *Variæ Orationes*, aliaque Opuscula Critica Historica, Chronologica, Polemica, Poëtica, Latina, Græca, Hebraica, quæ apud Viros eruditos magno in pretio habentur. *Jacobus Sirmondus*, natione Gallus, complura suæ in Antiquitate Ecclesiastica & in doctrina SS. Patrum profundæ eruditionis in lucem dedit Opera, inter qu[æ] sunt: *Censura de Suburbicariis Regionibus*: *Anastas*

B

Bibliothecarii Collectanea: *De duobus Dionysiis Dissertatio* : *Sermones S. Augustini*: *Theodoreti Opera Græco-Latina*, Tomis quatuor comprehensa: *Hincmari Remensis Archiepiscopi Opera*: *Historia Prædestinatiana*: *Historia publicæ pœnitentiæ*: *Liber de Azymo*: *Caroli Calvi Capitula*: *Conciliorum Galliæ Collectio*, quæ tribus Tomis continetur. *Philippus Labbæus*, præter *Dissertationem*, quam edidit, *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, & *novam Bibliothecam MSS. Librorum*, duobus Tomis in Folio comprehensam, aggressus est Conciliorum compilationem omnium maximam atque locupletissimam, quam Parisiis anno MDCLXXII. publicare cæpit, sed cùm immensum illud Opus, è vivis sublatus, imperfectum reliquisset *Labbæus*, ei ultimam manum admovit, coronidemque imposuit eruditus *Gabriel Cossartius*, qui in Socii sui *Labbæi* Litterarios labores successit. Plura Scriptorum Græcorum Opera latinè reddidit *Petrus Possinus*, natione Gallus, scripsitque tres Epistolas Chronologicas ad *Papebrochium* Societatis Jesu, quæ præfixę sunt *Conatui Historico-Chronologico*, quem edidit Papebrochius *de Vitis Romanorum Pontificum*. Magnâ, variâque eruditione, multarumque rerum experientiâ instructus fuit *Antonius Possevinus*, natione Italus, patriâ Mantuanus, qui à *Gregorio XIII.* Pontifice Maximo gravissimis negotiis adhibitus, bis ad Moscorum Principem abiit, & inter Moscos & Polonos pacem feliciter composuit. Scripsit *Bibliothecam selectam*, & *Apparatum sacrum*, tribus Tomis constantem, & alia Opera. *Fronto Ducæus*, natione Gallus, inter Sæculi sui præstantissimos Viros claruit cùm ob ingenii elegantiam, tùm ob judi-

cii ſoliditatem, inſignemque ſapientiam & modeſtiam. Multa Sanctorum Patrum Opera recenſuit, Notiſque doctiſſimis illuſtravit, ut *Gregorii Nazianzeni, Niſſeni, Baſilii, Chryſoſtomi.* Scripſit præterea *Collectanea in Clementem Alexandrinum*: *Bibliothecam Græcorum Patrum* edi curavit, aliiſque Operibus Rempublicam Litterariam illuſtravit, in quibus eximiam Græcæ linguæ notitiam, amplamque in Antiquitate Eccleſiaſtica eruditionem prodit. *Frontoni Ducæo* ſocium addam *Andream Scottum*, natione Belgam, patriâ Antuerpienſem, qui eloquentiam, Hiſtoriam & Litteras Græcas magnâ cum laude pluribus in locis docuit. *Adagia Sacra Novi Teſtamenti* collegit: *Photii Bibliothecam* Latinè tranſtulit: *Obſervationum humanarum quinque libros* edidit, & multa alia Opera aut ſcripſit, aut tranſtulit, aut eruditis Notis illuſtravit. Denique, *Petrus Franciſcus Chiffletius* multa variorum Scriptorum Opera, adiectis doctiſſimis Notis publicavit. Aliquot Opuſcula Critica, & Hiſtorica conſcripſit, ſed præſertim eximium *Tractatum de Linteaminibus*, quibus involutum Corpus Chriſt[i] Domini ſepulturæ fuit mandatum. Prætermitter[e] non debeo alium Societatis Jeſu, qui penè mihi [e] memoria exciderat, Scriptorem, *Joannem Garne[rium]*, qui vulgavit *Liberati Breviarium*, & *Mari[i] Mercatoris Opera cum Notis & Diſſertationibus* Inter illos Viros illuſtres Societatis Jeſu, qui Antiquitatis Eccleſiaſticæ, Critices Diſciplinæ, & Chronologiæ ſtudioſiſſimi fuerunt, lubens enume[raſſem] *Joannem Harduinum*, natione Gallum, inſ[i]gnem Societatis Jeſu Scriptorem; ſed cùm prob[è] ſciam, multa in ejus Operibus inveniri paradoxa

& p

& peregrinas opiniones, quas ipſe, juſſu Societatis Jeſu, publico Inſtrumento retractare ac palinodiam canere cöactus eſt, ideò eum hìc ſilentio prætermittam, non ſecùs ac ejus Diſcipulum *Bartholomæum Germonium*, quem parùm æquum Veterum MSS. Codicum æſtimatorem eſſe, palàm oſtenderunt Cl. Abbas *Juſtus Fontaninus*, & doctiſſimus *Petrus Couſtant*, Congregationis S. *Mauri* Benedictinus, in his lucubrationibus, quas adversùs prædictũ *Germonium* ad vindicandam veterum MSS. Codicũ fidem concinnarunt. Conſultò etiam nullam prorsùs mentionem feci *Theophili Raynaudi*, Societatis Jeſu Scriptoris, qui, licèt librorum, quos edidit, numero, ſuperiorum temporum Polyhſtores provocarit, ac facilè vicerit, nihiloſeciùs nec laudandus, nec probandus eſt, quòd ergà Religioſos Ordines, & de Eccleſia benè meritos, ſeſe parùm modeſtum, verum, & æquum Cenſorem, ut mitiùs loquar, in libris, quos in publicam lucem edidit, exhibuerit.

D. Texuiſtine integrum Catalogum Soc. Jeſu Scriptorum, qui Sæculo XVII. magnâ nominis celebritate, & eruditionis famâ in Republica Litteraria claruerunt.

M. Infinitus profectò eſſem, ſi omnes Sæculi XVII. Scriptores Societatis Jeſu Grammaticos, Oratores, Poëtas, Philologos, Matheſeos, & cæterarum liberalium Artium ac Diſciplinarum cultores, qui penè innumeri ſunt, vellem impræſentiarum percenſere. Hos igitur miſſos faciam, ſicut eximios ejuſdem Societatis Concionatores & Scriptores Aſceticos, quorum Elogia, & Indices Operum legere poteris, ſi tibi per otium liceat, apud

ſæpè laudatum *Philippum Alegambe* in *Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu*, hìc tantummodò referam Scriptores Hiſtoricos, quorum Sæculo XVII. feraciſſima fuit Societas Jeſu. Et primò quidèm, præter *Maffæum*, *Orlandinum*, *Sachinum*, & *Joſephum Jouvancy*, qui Hiſtoriam Societatis Jeſu culto elegantique calamo ſcripſerunt; præter *Horatium Turſellinum*, qui *Epitomen Hiſtoriarum*, & *Domus Lauretanæ Hiſtoriam* puro itidèm, terſo ac caſtigato ſtylo litteris mandavit; alii Sæculo XVII. fuere Societatis Jeſu Hiſtorici Scriptores, quos inter, hi, quos indigitabo, illuſtriores eſſe videntur, *Jacobus Salianus* Annales Veteris Teſtamenti ab Orbe condito uſque ad Chriſti in Cœlum Aſcenſionem digeſſit, & in optimo lumine collocavit. Cardinalis *Palavicinus* ex ſinceris Actis ac Monumentis *Hiſtoriam Concilii Tridentini* concinnavit, adeò veritatis amans & in ſcribendo modeſtus, ut nihil per aſſentationem affinxerit, nec unquàm paſſus ſit aliquod verbum aſperum ſibi excidere, etiam contrà juratos Eccleſiæ hoſtes. *Famianus Strada*, patriâ Romanus, rerum Belgicarum Hiſtoriam ſtyli majeſtate complexus, turbatæ Europæ cauſas, initia, progreſſus accuratè expoſuit, & liberâ, plenâ, & eleganti narratione poſterorum memoriæ tradidit. Vir fuit ſublimi admodùm ingenio, judicio acri & perpolito, doctrinâ variâ & admirabili, eloquentiâ rarâ, immò ſingulari, quam fruſtrà carpere auſus eſt *Gaſpar Sciopius*, alter ſui Sæculi Ariſtarchus, in libro, quem contra ipſum ſcripturivit, & cui titulus eſt: *Infamia Famiani*. Gallorum Hiſtoriam deſcripſerunt duo Societatis Jeſu Scriptores, P. *Buſſieres* Latinè, nuperrimè verò idiomate Galli-

co

co P. *Daniel*, qui Litterariis Concertationibus, quas cum Dominicanis *Natali Alexandro*, & *Hyacintho Serry* habuit, notissimus est. *Annales* à creatione Mundi usque ad annum Æræ Christianæ MDCLXIII. contexuit *Philippus Brietius*, quos deindè alter Scriptor continuavit usque ad annum MDCXCIII. His Sæculi XVII. Societatis Jesu Scriptoribus Historicis addi jure merito debent illi ejusdem Societatis Jesu Scriptores, qui incredibili labore, nec mediocri doctrinæ apparatu, ingens Opus in plura Volumina tributum *de Vitis & Actis Sanctorum* Sæculo proximè elapso aggressi sunt, & in eo ad umbiliculum perducendo etiamnùm insudant. Hoc immensum Opus *Heribertus Rosweidus*, Societatis Jesu jam delineaverat, dùm viveret, & prima, ut ità loquar, illius fūdamenta jecerat; sed, eo inopinatâ morte sublato, Opus ab illo inchoatum continuandi provinciam susceperunt ejusdem Societatis Jesu Scriptores, *Joannes Bollandus*, *Godefridus Henschenius*, *Daniel Papebrochius*, *Cardonus*, *Conradus Janning*, *Franciscus Baert*, *Nicolaus Rayè*, & *Joannes Baptista Sollerius*. Hoc Opus, ut liberè dicam, in majorem, quàm par esset, molem excrevit, totque nunc ingentia comprehendit Volumina, ut iis legendis vix hominis vita sufficere possit; si quis tamen tædium istud devorare velit, offendet in hoc Opere Dissertationes, quæ Historiæ ac Disciplinæ Ecclesiasticæ, Critices, ac Chronologiæ Studiosis haud parùm inservire poterunt, & ad vindicanda contra Hæreticos Acta Sanctorum, præclara ac certa monumenta suppeditabunt. Quò fit, ut meritò improbari debeat præposterum judicium, quod *Guillelmus Cave*, Hæreticus Angius,

glus, profert in sua Præfatione partis alterius *Scriptorum Ecclesiasticorum Historiæ Litterariæ,* dùm infrunito ore ait, omnia hujusce stupendi Operis Volumina censeri ab emunctæ naris Viris *stultum laborem ineptiarum,* necnon *fabularum & nugarū plaustra*. Sed hactenùs de illustrioribus Sæculi XVII. Scriptoribus Societatis Jesu, de quibus plura dicere non patitur Colloquiorum nostrorum brevitas.

D. Superest, ut in hac duodecima, seu ultima Classe Virorum illustrium, qui Sæculo XVII. floruerunt, seriem texas, juxtà ordinem à te præscriptum, clarissimorum Congregationis *Oratorii Jesu* Scriptorum, à quibus tamen, ut te breviter expedias, ne longiùs nostrum protrahatur Colloquium, te etiam atq; etiam obsecro atque obtestor.

M. Clarissimorum Congregationis Oratorii Jesu Scriptorum seriem daturus, incipiam à *Petro Berullo*, natione Gallo, qui Gallicanam Congregationem Oratorii Jesu instituit die IV. mensis Novembris anni MDCXI. & ab *Vrbano VIII.* Pontifice Maximo Cardinalis creatus est die II. Octobris anni MDCXXVII. Testatur *Guillelmus Gibieuf*, Doctor Sorbonicus, & Gallicani Oratorii Jesu Presbyter, in sua ad *Vrbanum VIII.* Epistolâ nuncupatoriâ præfixâ erudito Operi *de libertate Dei & Creaturæ*, quod ipse ex mandato Cardinalis *Berulli* edidit, testatur, inquam, *Guillelmus Gibieuf*, Cardinalem *Berullum* Thomistarum doctrinæ de Gratia se ipsâ efficaci, & de Prædestinatione gratuita studiosum fuisse. Hæc sunt clarissimi illius Scriptoris verba. *Hujus sententiæ adeò studiosus fuit,* Cardinalis Berullus, *ut se à contraria alienissimum profiteretur. Et enim cultores quidem ejus admodùm probaret, quò tame*

tamen ea illos mente in hujusmodi sententiam descendisse animadverteret, ut rationi humanæ gratificarentur, & erga naturam liberaliores essent, nec originem illam, nec dogma inde derivatum probare unquam potuit. Quin magno animi ardore (ita enī ergà Gratiam & Veritatem affectus semper fuit) & repudiabat ipse, & alios quoscumque occasio tulerat, abducebat. Hunc singularem erga Scholam S. Thomæ affectum apertè prodit Cardinalis *Berullus* in Epistola quinquagesima septima, in qua profitetur, se scholam S. *Thomæ* sequi in his maximè quæ ad Gratiam attinent. Varios Tractatus Polemicos, & quædam Opera Ascetica composuit Cardinalis *Berullus*, quæ simul collecta Parisiis edi curavit R. P. *Bourgouin*, tertius Congregationis Oratorii Jesu Præfectus Generalis. Post obitum Cardinalis *Berulli*, Congregationis Oratorii Jesu Præfectus Generalis electus *Claudius Condren*, natione Gallus, & Doctor Sorbonicus, diversos Tractatus Asceticos, Polemicos & Morales, dum viveret, scripsit, qui tamen post ejus dumtaxat obitum Parisiis publicam lucem adspexerunt. Doctrinæ de Gratiâ se ipsâ efficaci, & de Prædestinatione gratuita, quam *Guillielmus Gibieuf*, Congregationis Oratorii Jesu mox à me laudatus Presbyter, egregiè defenderat, vindicias egit *Guillelmus Camerarius*, ejusdem Congregationis Oratorii Presbyter, qui Parisiis contra quosdam Moliniani Systematis Assertores librum luci dedit, cui titulus est: *Antiquitatis de novitate victoria, contra Pseudo-Eugenium Philadelphum.* Alia etiam cùm Philosophica, tùm Theologica lucubravit Opera; & aliquos selectos Sanctorum Patrum Tractatus, seu Opuscula publicavit.

vit. In Sacrarum Scripturarum & Linguarum peritia excelluerunt Sæculo XVII. quinque insignes Congregationis Oratorii Jesu Presbyteri, *Joannes Morinus*, *Bernardus Lamy*, *Richardus Simonius*, *Michael Mauduit*, & *Jacobus Le Long*. Horum primus, seu *Joannes Morinus*, patriâ Blesensis, in Orientalibus linguis versatissimus, Pentateuchi Samaritani editionem unà cum suâ Latinâ interpretatione in Bibliis Polyglottis Parisiensibus excudendam suppeditavit: Biblia Græca & Latina juxta duplicem Romanam editionem vulgavit, & variantes lectiones ex Pentateucho Samaritano collegit. Alia insuper *Joannes Morinus* doctissima edidit Opera, præsertim librum unum de *Ordinatione*, librum alterum *de Pœnitentia*, doctissimas Dissertationes *de Hebræi Græcique Textus sinceritate &c.* Prodiit etiam in lucem post ejus obitum *Tractatus de Sacramento Confirmationis* ab ipso elaboratus, in quo multis exemplis ex Historia ac Disciplina Ecclesiastica petitis probandum suscipit, Sacramentum Confirmationis administratum ab Episcopo Hæretico, vel Schismatico, excommunicato, aut degradato, non imprimere characterem, ac subindè iterari debere. Idem in suo libro *de Ordinatione* docet de Ordinationibus factis ab Episcopo hæretico, vel Schismatico &c. Quæ sententia â communi Theologorum opinione abhorret quidem, sed nunquàm ab Ecclesia fuit adhùc proscripta. *Bernardus Lamy* contexuit novam *Concordiam Evangelicam*, & *Apparatum Chronologicum*; sed occasione novi Systematis, quo pertendit, Christum Dominum anno, quo mortuus est, Agnum Paschalem non comedisse, eumque Sacro-Sanctam

Eu-

Eucharistiam instituisse Lunâ decimâ tertiâ in secundis Vesperis; multi viri eruditi ad novum istud confutandum Systema calamum in eum strinxerunt, quos inter censentur viri illustres *Piè Nud*, & *Tillemontius*, necnon doctissimi Religiosi *Harduinus*, Societatis Jesu, *Mauduit*, Congregationis Oratorii Sacerdos, *Pezron*, Abbas Cisterciensis, *Leo de Modena*, Franciscanus, *Bessinus*, Ordinis *S. Benedicti*, quibus accesserunt viri clarissimi D. *Witasse*, Doctor Sorbonicus, & D. *Anquetin* Parochus. Sententiam tamen non immutavit *Bernardus Lamy*, sed eam potiùs novis editis Opusculis, & Epistolis confirmare, & objecta sibi argumenta diluere nisus est. Extant adhùc quædam ejusdem *Bernardi Lamy* erudita Opuscula Physica, Mathematica, & Moralia, quæ apud viros, harumce Disciplinarum peritos, magnam cultissimæ eruditionis famam ei pepererunt. *Richardus Simonius*, linguarum Orientalium notitiâ apprimè instructus, præter *Historiam Criticam veteris ac novi Testamenti*, scripsit *Disquisitiones Criticas*: *Historiam Criticam præcipuorum commentariorum in Novum Testamentum*: *Bibliothecam Criticam*: *novorum Bibliorum Polyglottorum Synopsin* edidit, & *Gallicam Pentateuchi*, & *Novi Testamenti versionem*, aliaque id genus docta Opera. *Michael Mauduit* texuit *Gallicam Analysin Scripturæ Sacræ*, perdoctis, & utilissimis Dissertationibus illustratam. Scripsit quoque Gallicè contra Atheos, eruditum Opusculum. *Jacobus Le Long* adornavit *Bibliothecam Sacram*, quæ duobus Tomis in 8. comprehensa omnes fermè Scripturæ Sacræ versiones, & editiones, Bibliorum Concordantias, Concordias Evan-

Evangelicas, variantium lectionum collectiones; ſacros manuſcriptos Codices, omnium virorum illuſtrium in Scripturam Sacram aut Commentarios, Scholia, aut quaslibet alias Lucubrationes complectitur cum Notis Criticis & Hiſtoricis paſſim adiectis, non minùs eruditis, quàm curioſis. Hiſtoriæ & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ illuſtrandæ egregiam navarunt operam quatuor pietate & doctrinâ inſignes Congregationis Oratorii Jeſu Scriptores, videlicèt *Carolus Cointius*, *Gerardus Du Bois*, *Ludovicus Thomaſſinus*, & *Joannes Cabaſſutius*. Primus *Annales Eccleſiaſticos Francorum* ab anno Æræ Chriſtianæ 235. uſque ad annum 845. octo Tomis in folio complexus eſt. Alter, ſeu *Gerardus Du Bois*, duobus Tomis in folio deſcripſit *Hiſtoriam Eccleſiæ Pariſienſis*. Primus Tomus, qui Eccleſiæ Pariſienſis exhibet Hiſtoriam uſque ad finem Sæculi XI. jam in publicam lucem prodiit anno MDCXC. Tomum verò alterum, in quo ejuſdem Eccleſiæ Pariſienſis Hiſtoria uſque ad decimum quintum Sæculum producitur, morte ſublatus, ineditum reliquit *Gerardus Du Bois*, ſed ut quàm primùm publici juris fiat, vehementer optant omnes viri eruditi. *Ludovicus Thomaſſinus*, omnigenâ doctrinâ præditus, Diſciplinam Eccleſiaſticam, cujus ſemper ſtudioſiſſimus fuit, tribus Tomis in folio illuſtravit. Edidit etiam tria immenſa volumina *De Dogmatibus Theologicis*: *Gloſſarium Hebraicum*: Varios Tractatus *de Jejunio*: *De Feſtis*: *De Officiis Divinis*: *De Eleemoſyna*: *De methodo legendi cum fructu & pietate Chriſtiana libros Poetarum, Philoſophorum, & eorum, qui de Hiſtoria prophana ſcripſerunt*: *De methodo piè & Chriſtianè adiſcen-*

discendi Grammaticam & linguas ad rectum & utilem usum lectionis Sacrarum scripturarum : *De Veritate & Mendacio*, *de juramento & periuriis*, & alia luculentissima Opera. *Joannes Cabassutius* eruditam *Conciliorum Notitiam* edidit. Brevem insuper *de Usuris Tractatum*, ac tandem exactam *Juris Canonici Theoriam & praxim* ad utrumque forum, non non solùm ad Juris communis & Romani, sed etiam ad Juris Francici normam luci publicæ dedit. Hi, quos hactenùs laudavi, celebres Congregationis Oratorii Jesu Scriptores, natione Galli fuerunt, & Gallicanæ Congregationis Oratorii Jesu Sacerdotes, quibus alios quàm plures doctissimos Scriptores Asceticos, Polemicos, Theologos, & inter illos *Gasparem Jueninum*, nec non eximios Concionatores, quorum Gallicana Oratorii Jesu congregatio feracissima est, facilè hìc addere possem; quos tamen silentio prætermittere debeo, ut pauca dicam de viris illustribus, quos eodem Sæculo XVII. dedit Ecclesiæ Italica Oratorii Jesu Congregatio, cujus institutor ac conditor fuit S. *Philippus Nerius*. Vt autem brevitati consulam, tres tantùm Italicæ Congregationis Oratorii Jesu proferam Scriptores, videlicèt *Odoricum Raynaldum*, *Antonium Gallonium*, & *Jacobum Laderchium*. Primus, seu *Odoricus Raynaldus*, Annales Ecclesiasticos, quos Cardinalis *Baronius* à Christo nato ad annum usque MCXCVIII. perduxit, indefesso labore continuavit, & plura Historiæ Monumenta, atque Romanorum Pontificum Diplomata, quæ antehàc in Bibliotheca vaticanâ delitescebant, in apertam lucem protraxit. Alter, seu *Antonius Gallonius*, patriâ Romanus, librum pri-

primò Italicè, deindè latinè scripsit de suppliciis, & variis suppliciorum instrumentis, quibus torti, cruciati, ac dilaniati fuere Sancti Martyres. Edidit etiam idem *Gallonius* Historiam Virginum, Vitam *S. Philippi Nerii*, Acta aliquorum Martyrum, & *Tractatum de Monachismo S. Gregorii M. Pontificis*, in quo Cardinalis *Baronii* opinionem secutus, probat Sanctum illum Pontificem non fuisse Monachum Ordinis *S. Benedicti*, datâque operâ refellit *Constantinum Belot*, Monachum Cassinensem, qui adversùs Cardinalem *Baronium* librum scripserat, eique hunc titulum præfixerat: *Sanctus Gregorius M. Pontifex Ordini Benedictino restitutus*. Denique, *Jacobus Laderchius*, qui etiamnùm Romæ vivit, eruditam edidit Dissertationem Historicam de Basilicis, quæ *Marcellino* Presbytero, & *Petro* Exorcistæ, Martyrii palmam sub Pontificatu *Marcellini* Papæ adeptis, Romæ sunt consecratæ. Scripsit etiam idem *Laderchius* Vitam *S. Petri Damiani*, & Vitam *S. Crescii* Martyris, ejusque Sociorum, & aliquas Responsiones Apologeticas adversùs nonnullos, severioris Critices viros, qui in ejus stylum, & in quædam Facta Historica & Chronologica, quæ ipse in Vitis *S. Petri Damiani*, & *S. Crescii* Martyris inseruerat, virgam censoriam exercere, eaque liberiori calamo propalare, carpere ac perstringere ausi sunt. Alia Opera nunc lucubrat idem Scriptor, & Continuationem Historiæ Ecclesiasticæ, *ab Odorico Raynaldo* concinnatæ, ad hæc usque nostra tempora prosequitur.

D. Amplum satis pertexuisti catalogum illustrium Scriptorum Ecclesiasticorum, qui Sæculo XVII. doctrinâ & pietate floruerunt, atque u

can-

candidè fatear, singulari voluptate afficior, quòd è tam profundo & immenso mari, cui te commiseras, feliciter tandèm emerseris. Nunc, abiectâ omni cunctatione, domum me confero, crastinâ luce, benè fortunante Deo, rediturus, ut te de Doctrina, de Disciplina tàm Ecclesiasticâ, quàm Monasticâ, necnon de Morali Christianâ Sæculi XVII. differentem arrectis auribus auscultare possim.

M. Siste, quæso, supersunt quippè adhuc illustres Sæculi XVII. Scriptores, qui, licèt vitam Regularem professi sint, ad illas tamen, quas superiùs instituimus, Scriptorum Monachorum, & Regularium Mendicantium classes revocari haud possunt, adeòque necesse est ut eis distinctum locum hìc assignemus, eorumque saltèm nomina, & Opera, quæ lucubrarunt, indigitemus. In clarissimo Ordine *B. Mariæ de Mercede* unum præ cæteris aliis celebrem Scriptorem laudabo *Franciscum Zumel*, ejusdem Ordinis Præpositum Generalem, qui Doctrinæ Sanctorum *Augustini* & *Thomæ* de Gratia se ipsâ efficaci, & de Prædestinatione gratuita tam constanter adhæsit, ut à Molinianæ doctrinæ defensoribus lacessitus, triplicem doctrinæ suæ defensionem adornarit; contra Molinæ doctrinam Censuram scripserit, & Molinianorum Theses de Divina Gratiâ, censoriis Notis dispunctas, Romam miserit. Edidit etiam idem *Franciscus Zumel* Tractatum *De inconcussa Clementis VIII. Papæ electione, & certitudine infallibili ipsius Pontificatus*, quem cùm legisset Summus Pontifex, tanti fecit, ut ipsum Brevi Apostolico dato die x. mensis Martii anni MDCIII. dignatus sit, in quo,

postquàm summam ejus eruditionem, pietatem, & erga Sedem Apostolicam devotionem commendavit, hæc subdit Summus Pontifex: *Sed hæc omnia manifestiùs agnovimus, & perspeximus ex tuo Commentario, quem & tuo zelo incensus, & eiusdem Nuntii nostri cohortatione permotus nuper scripsisti, ut quorumdam hominum novitates amantium parùm consideratas, ne quid gravius dicamus, opiniones confutares, & veritatem in re pergravi assereres & roborares .... Scito igitur hunc laborem tuum, & eruditam lucubrationem pergratam nobis fuisse &c.* Hoc Breve Pontificium *Clementis VIII.* ad *Franciscum Zumel*, inter Clarissimi *Pegnæ*, & *Thomæ de Lemos* Adversaria invenit doctissimus noster *Hyacinthus Serry*, illudq; antehàc ineditum, publicavit, ac integrum dedit pag. 287. libri 2. *Historiæ Congregationum de Auxiliis*, Editionis, quam secundis curis adornavit Antuerpiæ anno MDCCIX. Ex Clarissimo Clericorum Regularium Ordine, qui vulgò *Barnabitæ* appellantur, unum insignem Sæculi XVII. seligam Scriptorem *Augustinum Torniellum*, qui Annales Ecclesiasticos à creatione Mundi usque ad Christum stylo claro, methodo facili, incredibili labore & diligentiâ primus digessit, nec solùm in suo erudito Opere Sacram Veteris Testamenti contexuit Historiam, sed etiam benè multas fuso calamo dilucidavit difficultates, quę ad Chronologiam, Geographiam, Topographiam, necnon Ritus Judęorum attinent. Quò fit, ut istud *Augustini Tornielli* Opus omnibus Scripturæ Sacræ studiosis amplissimi & locupletissimi Commentarii loco esse possit. Ordinem Clericorum Regularium, qui *Theatini* appellantur, Sæculo XVII. maximè illu-

stra

ſtravit *Joſephus Maria Thomaſius* Cardinalis à *Clemente XI.* Pontifice Maximo creatus, cujus jam mentionem fecimus in Colloquio Sexto in Hiſtoriam Sæculi XVI. Hic quippè Scriptor cùm generis nobilitate, tùm pietate & eruditione excellentiſſimus, præter brevem, quem edidit *Indiculum* quorundam Opuſculorum Sanctorum Patrum, ex quibus præcipua Sacræ Doctrinæ argumenta ſibi derivent Theologiæ Candidati, varios quoque Romæ vulgavit *Inſtitutionum Theologicarum Veterum Patrum* Tomos: *Codices Sacramentorum nongentis annis vetuſtiores*: *Miſſale Gothicum Francorum & Gallicanum Vetus*: *Antiquos libros Miſſarum Romanæ Eccleſiæ*, ideſt, *Antiphonarium S. Gregorii Papæ*: *Pſalterium juxta duplicem Editionem, Romanam & Gallicam, cum Canticis, Hymnario & Orationali*, aliaque doctiſſima Opera, quibus pius ille Cardinalis, Linguarum Hebraïcæ & Græcæ peritiſſimus, nomen ſuum reddidit immortale. Ex Clariſſimo Canonicorum Regularium Sancti *Auguſtini* Ordine prodierunt Sæculo XVII. tres perilluſtres Scriptores *Petrus L'allemant*, *Joannes Fronteau*, & *Jacobus Marſolier*, natione Galli. Primus fuit Canonicus Regularis S. *Genovefæ*, & Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, treſque Tractatus Aſceticos Gallicè ſcripſit, nimirùm *de Morte Juſtorum*: *de Teſtamento Spirituali*: & *de piis deſideriis Chriſtianè moriendi*, aliaque id genus Opuſcula Aſcetica. Alter, ſeu *Joannes Fronteau*, ejuſdem Congregationis S. *Genovefæ* Canonicus Regularis, & Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, Linguarum peritiſſimus, præter aliquot Opera Theologica, quæ *de Gratia & Prædeſtinatione*, juxtà Scholæ Thomi-

sticæ doctrinam, edidit; plures etiam scripsit Epistolas & Dissertationes, in quibus præclara suæ in Sacra Antiquitate, & in Historia cùm Ecclesiasticâ, tùm prophanâ, eruditionis prębuit argumenta. *Jacobus Marsolier*, præter *Historiam*, quam concinnavit, *Sacræ Inquisitionis, & ejus Originis*, descripsit insuper Gallicè eleganti stylo Vitas S. *Francisci Salesii*, Cardinalis *Ximenes*, *Armandi Joannis Butillierii Rancæi*, Abbatis Monasterii B. *Mariæ Domus Dei de Trappa*, Cistercienfis Ordinis Restitutoris; & Vitam Venerabilis Servæ Dei *Franciscæ Fremiot De Chantal*, Ordinis Monialium, à Visitatione Sanctæ Mariæ nuncupatarum, unà cum S. *Francisco Salesio* Fundatricis. Adornavit etiam idem *Jacobus Marsolier* luculentam pro *Desiderio Erasmo* Apologiam. In Sacro Canonicorum Regularium Præmonstratensium Ordine floruit Sæculo XVII. *Casimirus Oudinus*, qui edidit *Supplementum ad librum Cardinalis Bellarmini De Scriptoribus Ecclesiasticis*; in quo plures Scriptores, à *Possevino*, *Bellarmino* & aliis omissos, accuratè recenset, & de eorum ortu, patriâ, natione, professione, fortunâ, officiis, & Operibus diligenter disserit. In Congregatione *Doctrinæ Christianæ*, quæ sub Pontificatu Sancti *Pii V.* instituta est à Venerabili Servo Dei *Cæsare De Bus*, natione Gallo, celebris Scriptor fu[it] *Arnaldus Milhetus*, ejusdem Congregationis Gen[e]ralis Præpositus, qui post quatuor in lucem dat[os] Philosophiæ libros, brevem, sed distinctam tex[uit] *universæ Scripturæ Sacræ notitiam*. Deniquè, religi[o]sissimus Minimorum S. *Francisci de Paula* Ordo pr[o]tulit Sæculo XVII. plures insignes Scriptores Ph[i]losophos, *Emmanuelem Magnan*, *Marinum Mers[en]*

nu

ctum, *Joannem L'alemandet*, *Joannem Saguens*, & *Franciſcum Polanco*, qui etiam quædam Opera Theologica lucubrarunt. Prodiit etiam nuperrimè primus Tomus in folio *Theologiæ Patrum Dogmaticæ, Scholaſtico-Poſitivæ, Auctore R.P. Antonio Boucat*, doctiſſimo ejuſdem Ordinis Minimorum Profeſſore, natione Gallo. Nihil hìc impræſentiarùm dicam de Scriptoribus Aſceticis ejuſdem Ordinis S.*Franciſci de Paula*, qui penè innumeri ſunt, & inter quos eminet *Franciſcus Giry*, natione Gallus, qui Tomum in folio *de Vitis Sanctorum* Gallico idiomate ſcripſit. Plura, ſi velis, de Scriptoribus Sanctiſſimi Minimorum Ordinis legeſis apud *Petrum Jacobum Triſtan*, qui anno MDCXVIII. contexuit *Chronicon illuſtrium Scriptorum Ordinis Minimorum*. Totam igitur illuſtrium Sæculi XVII. Scriptorum claſſem claudet S.*Franciſcus Saleſius*, genere nobilis, & natalibus Allobrox, qui in tertium S.*Franciſci de Paula* Ordinē adſcriptus, poſteà Epiſcopus & Princeps Gebennenſis fuit, pluresque libros in lucem emiſit, ſingularem doctrinam, eximiamque pietatem ſpirantes; quos inter præcipui ſunt *Iſagoges ad Vitam Devotam*: *Philothea*, ſeu *de Amore Divino*: *Plurimi Tractatus Parænetici*: & *Epiſtolæ Familiares*. Circumfertur quædam S.*Franciſci Saleſii* Epiſtola ad *Leonardum Leſſium*, Societatis Jeſu, data die 27. Auguſti anni MDCXVIII. in qua ajunt, Sanctum illum Antiſtitem doctrinam *Leſſii* de Prędeſtinatione ad gloriam meritis præviſis nixâ, ſuo calculo approbaſſe. Verùm, ejuſmodi Epiſtolam tanquàm ſpuriam, Sancto huic Antiſtiti ſuppoſitam, & adulterinæ fœturæ partum, jure optimo exſufflant Viri eruditi eo potiſſimùm nomine, quòd

si hæc Epistola genuina certaque esset, suum omni procul dubio tot inter alias S. *Francisci Salesii* Epistolas, summo studio & diligentiâ conquisitas, locum haberet. Porrò, certum est hanc Epistolam, quæ prostat sub nomine S.*Francisci Salesii*, nullum inter ejus Epistolas locum habere, nec habuisse unquam; quod quidèm argumento est, eam Sancto huic Antistiti asseri ac vindicari non debere, maximè cùm hujusce Epistolæ nullam prorsùs mentionem fecerint diligentissimi S. *Francisci Salesii* Operum Editores, quos tamen constat cæteraquæque vel minutissima hujus Viri Dei sedulò collegisse Epistolarum fragmenta, eaque publicâ luce digna judicasse.

D. Quòd istud Colloquium solitò longiùs protraxeris, jure merito tibi succensere possem; abstineo tamen, veritus, ne idem in me intorqueas proverbium, quod nuperrimè legi apud S.*Hieronymum* in Præfatione Commentariorum, quos scripsit in Epistolam S.*Pauli* ad Ephesios, ubi hæc habet: *Parùm eloquens sum. Quid ad te? disertiorem lege. Non dignè Græca in latinum transfero, aut Græcos lege, si ejus linguæ habeas scientiam, aut si Latinus tantùm es, noli de gratuito munere judicare, & ut vulgare proverbium est, Equi dentes inspicere donati*. Domum itaque me recipio, ibique tacitus aliquas mente agitabo difficultates, quas circa doctrinam, Disciplinam Ecclesiæ & Moralem Sæculi XVII. ventilari solitas, tibi in proximo nostro Colloquio proponere possim.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Disciplina tàm Ecclesiastica, quàm Monastica, necnon de Morali Christiana Sæculi Decimi septimi.

M. CAtholica Fides, quæ, ut sæpè diximus, nulli temporum vicissitudini obnoxia est, illibata omni ævo mansit, manebitque perpetuò in Ecclesia Romana, quæ est sacra doctrinæ Evangelicæ Anchora, ad quam in tanta rerum humanarum caligine, qui salvi fieri volunt, confugere debent, ne errorum undis involvantur, vel, ut hi, qui erroribus impliciti à vera salutis via aberrant, recto cursui restituantur. Nunquàm profectò movebitur hæc firma veritatis columna, quâ innixi, adversùs hujus Mundi vim, semper in deterius & prolabentis & rapientis obsistemus; æternùmque manebit solidum illud, nullis opinionum flatibus, nullis persecutionum procellis cessurum fundamentum, cui Christus Dominus superstruxit doctrinam suam, quæ de omnibus errorum, Hæresumve Monstris ad finem usque Mundi gloriosum reportabit triumphum. Hanc inconcussam fidem, quæ inviolabili temporum serie ad nostram usque ætatem pura & integra in Ecclesia Romana fuit propagata, ut illibatam conservare possis, charissime Discipule, necesse est, ut secteris consilium Apostoli *Pauli*, quo discipulum suum *Timotheum* à fabulis, interminatis Genealogiis, & futilibus quæstionibus, ex quibus nihil oritur præter invidias,

contentiones, convitia, ſuſpiciones malas, & perpetuas conflictationes, deterret. Quem Apoſtoli locum interpretans S.*Chryſoſtomus*, hæc habet: *Vides*, inquit, *quemadmodùm*, Apoſtolus Paulus, *hujuſmodi quæſtiones damnat ac reſecare conatur? Nam, ubi fides eſt, nulla eſt quæſtionis neceſſitas. Ubi nihil oportet curiosè perquirere, quid opus eſt quæſtione? ſiquidèm quæſtio fidem tollit. Etenim, qui quærit, nondùm invenit; qui quærit, difficilè credere poteſt, & ideò monet, ne vacemus ejuſmodi quæſtionibus. Nam ſi quærimus, jam non credimus. Fides enim animum, cogitationemque facit conquieſcere*. Non hæc tamen eò impreſentiarum dico, quòd improbare velim Scholaſticas conflictationes, ex quibus ſæpenumerò non alitèr elicitur veritas, quàm ex colliſione ſilicum ignis excutitur: Sed modum in his ac delectum requiro, tibique author ſum, ut puram Chriſti doctrinam haurias ex Sacris Litteris, ex definitionibus Eccleſiæ, & ex his Scriptoribus, qui proximè de iſtis Sacris fontibus biberunt.

D. Etſi à vanis & inutilibus quæſtionibus, quæ nec ad Fidem illuſtrandam, nec ad fovendam alendamve pietatem quidquam juvare poſſunt, ſemper ipſe abhorruerim, mihi tamen ſummoperè ſemper arriſerunt quæſtiones illæ, quas ad uberiorem Fidei, Doctrinæ, & Diſciplinæ Eccleſiæ explicationem Theologi excitare ſolent. Quapropter, ſi quæ celebris quæſtio circa Doctrinam ac Diſciplinam Eccleſiæ inter Theologos Sæculi XVII. fuit ventilata, rem longè gratiſſimam mihi facies, ſi ejus originem, ſtatum, progreſſum atque exitum, hìc dilucidâ expoſitione aperire non graveris.

M. In-

M. Inter Theologos decimi ſeptimi Sæculi celebris circà doctrinam Eccleſiæ de obſervatione Jejunii Quadrageſimalis emerſit in Galliis controverſia, cui obſidio Urbis Pariſienſis anno MDCXLIX. occaſionem dedit. At enim, cùm, durante illâ obſidione, ob extremam Quadrageſimalium eduliorum penuriam, quæ in Civitatem Pariſienſem importari omninò non poterant, hujus Urbis Archipræſul carnium eſum tempore Quadrageſimæ per Dominicos, Lunæ, Martis, & Jovis dies, tàm gravi urgente neceſſitate, indulſiſſet; quæſitum eſt à quibuſdam Theologis, an Archiepiſcopus in Jejunio Quadageſimali, cujus abſtinentia à carnibus pars quædam eſt, præſumeretur diſpenſaſſe, non minùs, quàm in abſtinentia carnis diſpenſaverat. Variè in utramlibet partem pro vario cujuſque guſtu ac genio, vel ingenio & ratiocinio diſceptatum eſt. Fuerunt quidam Theologi, qui in molliorem ſententiam abeuntes, putarunt, eos, cum quibus Archiepiſcopus ab abſtinentia à carnibus diſpenſaverat, à lege Jejunii Quadrageſimalis eſſe pariter diſpenſatos; quaſi alterutrius par cauſa videretur. Alii verò Theologi in contrariam opinionem deſcenderunt, ſicque Archiepiſcopi Pariſienſis conceſſam à carnibus abſtinentiæ diſpenſationem intelligendam eſſe cenſuerunt, ut cibos tantùm in unica ac legitimâ Quadrageſimæ refectione, ſeu in prandio, ſuppleret, nec ideò reliquam legis Jejunii partem ſolveret, quæ ſeorſim proprio jure ſuo ad Jejunii Quadrageſimalis obſervationem obſtringebat, cùm nihil tale Archiepiſcopi Pariſienſis diſpenſatio expreſſiſſet. Præter has duas diverſas Theologorum ſententias, tertiam tùm temporis

opi-

opinionem procudit *Joannes Launojus*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, ediditque librum, cui titulus est: *De veteri Ciborum delectu in Jejuniis Christianorum*, in quo, licèt doceat, à lege Jejunii non dispensari eos, quibus ab Episcopis conceditur facultas tempore Quadragesimali comedendi carnes, pertendit attamen, carnes qualescumque, etiam extra urgentem necessitatem comestas, non officere Jejunio Quadragesimali, fuisseque liberè olim à Christianis jejunantibus & in Quadragesima ipsâ pro suo nutu & arbitrio usurpatas.

D. Theologorum decimi septimi Sæculi circa Jejunii Quadragesimalis observantiam discrepantes opiniones certè video, sed cui sententiæ, ceù probabiliori & legibus Ecclesiæ magis consentaneæ, adhærere debeam, dubius ac pendulus adhùc hæreo.

M. Ut mentem meam clariori, quâ fieri poterit, methodo aperiam, necesse est, ut primò ostendam contra *Joannem Launojum*, nunquàm Christianis jejunantibus, & præsertim tempore Quadragesimæ, licitum fuisse carnes pro suo nutu & arbitrio usurpare, eisque liberè vesci. Deindè, evincam contra quosdam recentiores Theologos, eos, qui tempore Quadragesimæ petunt & obtinent ab Episcopis facultatem comedendi carnes, eo solo moti argumento, quòd timeant, ne cibi Quadragesimales eorum sanitati officiant, non dispensari, vi illius obtentæ facultatis, ab observatione legis Quadragesimalis Jejunii. Et primò quidèm, quàm antiqua, quàm sancta, quàm solemnis, quàm unanimi Patrum & Græcorum, & Latinorum sensu comprobata, & quàm ex universali Ecclesiæ usu & in-

instituto necessaria sit in Jejunio Quadragesimali abstinentia quarumcumque carnium ex perpetua, sibique semper constanti traditione ab Apostolis profectâ, & ad hanc usque ætatem in Ecclesia Romana fideliter conservatâ facili negotio demonstrare possem. Sed, ne in referendis penè innumeris Sanctorum Patrum, cùm Græcorum, tùm Latinorum testimoniis, atque Historiæ Ecclesiasticæ Monumentis prolixior sim, pauca dumtaxàt seligam, quæ ad exsufflandam, novam, falsam ac periculosam, ne quid gravius dicam, *Joannis Launoii* sententiam sat superque sufficient. S.*Basilius* Homil. 1. de Jejunio ait: *Carnes non edis, à Vino abstines; Vesperam expectas, ut cibum sumas*. S. Augustinus Sermone 1. de Dominica primâ Quadragesimæ: *Illa est*, inquit, *in Quadragesimæ diebus grandis utilitas, quòd dùm etiam à licitis abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare: Qui enim abstinemus nos à carnibus, quibus, aliis diebus uti licet; qui nos abstinemus à vino, quo moderatè uti licet; qui vitamus quæ aliquandò licent; in primis fugiamus peccata, quæ omninò nunquàm licent*. Non minùs disertè loquitur *Theophilus* Alexandrinus in Epistola 3. Paschali ad universos Ægypti Episcopos, ubi hæc habet: *Nequaquàm in diebus Quadragesimæ vini poculum suspiremus; neque in procinctu prælii, ubi labor & sudor est necessarius, carnium edulio delectemur: Qui autem legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in jejuniis, carnium esum repudiant*. His Sanctis Patribus succinunt *Cyrillus Hierosolymitanus*, S.*Chrysostomus*, quorum prior in Catechesi quarta sic scribit: *Abstinemus per jejunium à carnibus, non quòd eas abominemur, sed quòd mercedem expectemus*. Alter ve-

verò, seu S.*Chrysostomus*, Homil. 1. super Genesim de Jejunio Quadragesimæ loquens, ait: *Jam coquorum discursus, & pecudum mactationes è medio tollantur*. Quin, tanto disciplinæ rigore abstinentia â carnibus in Jejunio Quadragesimali à fidelibus observari debebat, ut Patres Concilii Toletani octavi statuerint, ut ille, qui diebus Quadragesimæ carnes edere attentasset, Communione Paschali privaretur, & per illius anni curriculum ab omni esu carnium abstineret: *Si quis*, definit Concilium Toletanum, *carnium esum diebus Quadragesimæ præsumpserit attentare, non solùm reus Resurrectionis Dominicæ, sed alienus erit ab ejusdem diei Communione, ac per ipsius anni reliquum tempus ab omni esu carnium abstinebit*. His omnibus adde rem singulari sanè observatione dignam, quam *Nicephorus* libro XVII. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 52. narrat, videlicet quòd, imperante *Justiniano*, cùm gravis fames Urbem Constantinopolim urgeret, ideòque secundâ Quadragesimæ Hebdomadâ carnes in foro vendi *Justinianus* imperasset, populus tamen, qui præceptum de abstinentia à carnibus in Jejunio Quadragesimali observare statuerat, neque illas emebat nec edebat, *mortem* (quam ex fame passurus erat) *sibi potiùs tolerandam ac subeundam existimans, quàm ut quidpiam de patriis moribus ac traditionibus immutaret*. Ex his, & aliis id genus momentis liquidò patet, semper & ubique apud omnes Christianos carnium esum in Jejunio Quadragesimæ prohibitum fuisse, eisque piaculum visum esse, si in prædicto Jejunio carnibus vescerentur. Plura in hanc rem contra *Joannem Launojum* legesis apud nostrum *Joannem Nicolai* tùm in secundo Tomo

Pan-

Pantheologiæ nostri *Raynerii*, titulo *de Jejunio*, Editionis accuratioris, quam ipse, multis undecunque adjectis auctam ac illustratam, Lugduni in Galliis anno MDCLXX. adornavit; tùm etiam in ea, quam idem doctissimus *Joannes Nicolai* contra *Joannem Launojum* edidit Dissertatione *De Jejunii Christiani, & Christianæ Abstinentiæ vero ac legitimo ritu, juxta veterem Ecclesiæ universalis usum*, ubi doctissimus P. *Joannes Nicolai* luculenter ostendit, illusorias, ac ineptas esse objectiones, quas famosus *Joannes Launojus* Anticriticus proponit ad prædictum de abstinentia à carnibus in Jejunio Quadragesimali universalem antiquitatis usum, unanimem consensum Patrum, & Ecclesiæ sensum, vel etiam Historicorum testimonium eludendum.

D. Insidet adhùc animo circà sententiam *Joannis Launoii* scrupulus, quem mihi evellas velim. Enimverò Sancti Patres, quorum testimonia laudasti, fidem faciunt, Christianos in jejunio Quadragesimali abstinuisse non solùm à carnibus, sed etiam à vino. Porrò verosimile non est, Ecclesiam universalem antiquitùs imposuisse omnibus Christianis præceptum de abstinentia à vino in Jejunio Quadragesimali, ergò nec quoque præcepto eos obstringere voluisse ad abstinentiam à carnibus in Jejunio Quadragesimali. Utraque igitur abstinentia, videlicet à carnibus & à vino, in antiqua Ecclesia non erat in præcepto, sed dumtaxàt in consilio, ità ut Fideles, si vellent, possent pro suo nutu & arbitrio in Jejunio Quadragesimali comedere quascumque carnes, & bibere vinum, licèt vi præcepti Ecclesiastici obstringerentur ad servandam Jejunii Quadragesimalis legem, quæ in unica in die refe-

refectione consistit, sicut pertendit *Joannes Launojus*.

M. Ad eliquandam propositam difficultatem tria in jejunio Quadragesimali accuratè discerni debent, quæ perperàm nonnulli promiscuè confundere solent. Primò in jejunio Quadragesimali attendi debet hora, seu tempus, quod pro jejunii termino institutum ac præfixum est. Secundò, notandus est modus aut rigidior, aut magis temperatus, quo observari potest jejunium Quadragesimale. Postremò, præcipua ratio in jejunio Quadragesimali haberi debet tum abstinentiæ à carnibus, tum unicæ refectionis, quæ in jejunio sumenda est. Quod spectat horam, seu tempus, quod pro jejunii Quadragesimalis termino institutum ac taxatum est, res est puræ Disciplinæ, quæ vicissitudini temporum fuit obnoxia. Antiquitùs enim pro solvendo jejunio Quadragesimali juxtà strictiorem regulam expectari debebat hora Vespertina, ita ut refectio non nisi sub noctem, hoc est, post occasum Solis, sumi posset. Deindè tamen, prolabente paulatim, vel sopito primitivorum Ecclesiæ Sæculorum fervore, jejunium Quadragesimale ad horam nonam (quæ nostræ horæ tertiæ post meridiem correspondet) revocatum est, juxta illa quæ Secundæ Secundæ qu. 147. art. 7. notat S. *Thomas*, Doctor Angelicus, & quæ hunc morem adhuc ejus tempore usitatum ac observatum indicant. Nunc verò tandem ad horam sextam seu meridianam jejunium Quadragesimale, ne qua nimiæ debilitatis excusatio prætexi possit, reduxit pia mater Ecclesia, hòc interim servato usus antiqui monumento, ut quemadmodùm in

aliis

aliis jejunii diebus Ecclesia Officium horæ Canonicæ, quę *Nona* dicitur, præmittit ante refectionem, sic in jejunio Quadragesimali horam Vesperarum cantet ante refectionem; quamvis nec id ad essentiam jejunii Quadragesimalis requiratur, & aliter fieri, saltem privatim, possit, sicut Casuum Conscientiæ Scriptores passim notant. Posset tamen etiamnùm, si quis vellet, jejunium Quadragesimale protrahere usque ad horam nonam, juxta veterem usum, modò id faceret absque scrupulo & superstitione, vel affectatione singularitatis, vel alitèr facientium contemptu & condemnatione, ut docent periti Casuistæ. Quod attinet ad modum rigidiorem, vel magis temperatum, quo jejunium Quadragesimale observari potest, certum est, longè rigidiorem olim jejunii Quadragesimalis observantiam extitisse, quàm nunc sit, aut ab aliquot Ecclesiæ Sæculis extiterit, non tantùm quoad horã Vespertinam, quâ, ut mox diximus, jejunium Quadragesimale solvebatur, aut refectio sumebatur; verùm etiam quoad ciborum usum, quo Christiani non tantùm à carnibus, ovis, & lacticiniis abstinere solebant, & ex lege debebant, sed etiam à quibusdam fructibus, & vino. De fructuum quippè abstinentia sic S. *Augustinus* expressis verbis dicit: *Christiani* (*non hæretici*) *sed Catholici, edomandi corporis causa propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non solùm à carnibus, verùm etiam à quibusdam terræ fructibus, vel semper, sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes, quantò magis quisque vel minùs seu voluerit, seu potuerit*. Vini verò abstinentiam in jejunio Quadrageli-

gesimali antiquitùs fuisse communitèr observatam, patet ex testimoniis Sanctorum Patrum, quæ supra adduximus. Cæterùm, ad illum rigidiorem modum servandi jejunium Quadragesimale non omnes & ubique Christiani ex præcepto universalis Ecclesiæ tenebantur, sed tantùm multi ex devotione, & non ex præcepto, vinum in jejunio Quadragesimæ non bibebant, vel à quibusdam terræ fructibus abstinebant, ut magis corpus macerarent, & perfectiùs jejunarent, cùm dubium non sit, abstinentiam à vino ad perfectionem jejunii pertinere, etsi vini potus moderatè sumpti essentiali jejunii conditioni non adversetur. Hinc Sanctus *Hieronymus* in Epistola 2. *de Vita Clericorum* scribens ad *Heliodorum* ait: *Si absque vino ardeo adolescentià, & inflammor calore sanguinis, & succulento validoque sum corpore, libenter carebo poculo, in quo suspicio est veneni*, quòd videlicet animam perimit per peccatum, non secus ac venenum propriè dictum corpori mortem infert. Vides itaque ad hunc strictiorem modum Quadragesimale jejunium observandi per abstinentiam à fructibus & à vino, quem ad perfectionem jejunii commendant Sancti Patres suprà à me laudati, non omnes fideles ex præcepto universalis Ecclesię obstrictos fuisse, sed prædictam abstinentiam ex devotione, & majori quorumdam Christianorum fervore originem habuisse. Quod quidem confirmari etiam potest ex his, quæ S. *Epiphanius* ad calcem sui Operis *contra Hæreses* refert de Christianorum rigidiori modo jejunandi in ultima Quadragesimæ hebdomada, his verbis: *Prætereà, sex illos* (Dominico excluso) *Paschatis dies* (hoc est

Pascha-

Paſchati proximos, & Paſſioni Chriſti, veri Paſchatis noſtri, commemorandæ conſecratos) *tranſigere xerophagiis, ideſt, arido victu, populus omnis conſuevit; ſive panem dumtaxat ſub Veſperam cum aquæ potu ad corporis refectionem adhibere*. Quin, addit quoque, quod & *nonnulli ad biduum, vel triduum vel quatriduum, jejunia prorogant; & alii etiam hebdomadam integram uſque ad ſequentis Dominicæ gallicinium ſine cibo tranſmittunt*. Hic autem rigidior in ultima Quadrageſimæ hebdomada jejunandi modus, peculiaris tantùm devotionis fuit, ex nullo univerſalis Eccleſiæ præcepto, ſed ſolùm ex uſu, ſeu piâ quâdam conſuetudine, quæ præſertim in Eccleſia Orientali inoleverat, obſervari ſolitus. Cùm igitur ad illum rigidiorem tempore Quadrageſimæ jejunandi modum Chriſtianos non obligaret univerſalis Eccleſia, nunc breviter oſtendere debemus, Eccleſiam univerſalem Chriſtianis omnibus duo tantùm præcepta olim impoſuiſſe, & etiamnùm imponere in jejunio Quadrageſimali obſervanda. Primum Eccleſiaſticum præceptum imperat abſtinentiam à carnibus, ovis & lacticiniis. Alterū præceptū indicit, unicā videlicèt refectionē in die. Hæc autem duo præcepta omninò inter ſe diſtincta ad obſervationem jejunii Quadrageſimalis ab Eccleſia univerſali fuerunt quidem ſtatuta, cum eo tamen diſcrimine, quòd ſi quis præceptum Eccleſiaſticum de unica refectione in die tempore Quadrageſimæ non obſervaret, ſed bis in die reficeretur, jejunium frangeret; at ſi quis, vel ob extremam urgentem neceſſitatem, vel quia timet, ne cibi Quadrageſimales notabile damnum ejus ſanitati inferant, à Superioribus Eccleſiaſticis ob-

tineat facultatē comedendi carnes, vel ova tempore Quadragesimæ,& semel tantùm in die reficiatur, atque in unica illa refectione moderatè carnes, vel ova comedat, jejunium non solvere, sed observare censetur, quia jejunium, ut docent Theologi, & periti Casuum Conscientiæ Scriptores, principaliter in unica refectione consistit, quippè quæ à principio jejunii instituta est in Veteri Testamento, in quo Judæis jejunantibus unicam tantùm refectionem ad Vesperam sumere licitum erat, nullus tamen cibus in illa Vespertina refectione eis prohibitus erat. Hinc S. *Thomas* principalem Ecclesiæ in institutione jejunii Quadragesimalis finem, seu primariam intentionem, constituit in unica refectione, quæ in jejunio Quadragesimali fieri debet, ita docet S. *Thomas* Secundæ Secundæ quæst. 147. art. 6. ubi hæc habet: *Dicendum quòd jejunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrænandam, ita tamen quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest & naturæ satisfacere, & tamen aliquid concupiscentiæ detrahit, diminuendo comestionum Vices. Et ideò Ecclesiæ moderatione Statutum est, ut semel à jejunantibus comedatur.*

D. Cùm perpetuum in Ecclesia viguerit præceptum, sicut luculentèr mox demonstrasti, de abstinentia à carnibus, ovis & lacticiniis in jejunio Quadragesimali ab omnibus Christianis jugitèr obvatum, facilè percipio, errasse *Joannem Launojum*, dùm pertendit, Christianis olim in jejunio Quadragesimali quascumque carnes pro suo nutu & arbitrio usurpare integrum fuisse. Sed nunc scire velim, an itidèm erraverit idem *Joannes Launojus*,

dùm

dùm asserit, eos, quibuscum Superiores Ecclesiastici dispensant à præcepto de abstinentia à carnibus, ovis & lacticiniis tempore Quadragesimæ, teneri tamen ad observationem alterius præcepti de unica refectione in die sumendâ, illosque non eximi à lege jejunii? Hæc siquidem *Joannis Launoii* sententia paulò mihi durior videtur, præsertim cùm plures moderni Casuistæ (sicut nuperrimè audivi) intrepidè doceant, eos, qui, ob periculum ne cibi Quadragesimales eorum valetudini detrimentum afferant, petunt & obtinent à Superioribus Ecclesiasticis licentiam edendi carnes tempore Quadragesimæ, non ampliùs obstringi ad legem jejunii, sed bis in die, citrà ullum vel minimum scrupulum, posse carnibus se se reficere.

M. Non solùm *Joannes Launojus*, sed plures gravissimi, juxtà ac doctissimi Theologi & Casuistæ, quorum hìc Catalogum texere longum esset, palàm docent ac tuentur, eos, qui nullâ ægritudine laborantes, & ob periculum dumtaxat, ne cibi Quadragesimales eorum saluti noceant, petunt & obtinent à Superioribus Ecclesiasticis licentiam comedendi carnes tempore Quadragesimæ, nullo pacto dispensari, vi obtentæ illius facultatis, à lege jejunii, sed semèl in die se reficere debere, & in illa unica refectione carnes salutares moderatè sumere. Huic doctissimorum Theologorum sententiæ utroq; pollice subscribo, ductus variis momentis, quibus tu ipse, cùm sis veritatis amans, & animæ potiùs quàm corporis salutis percupidus, assensum, ut spero, præbere non detrectabis. Et primò quidem, si ex præscripto prudentiæ præcepto tenemur meliores commodioresque emere ve-

stes, salubrius sumere medicamentum, tutiorem viam eligere; multò potiori ratione prudentia suadere debet, in materia morum & salutis animæ, eas à nobis eligendas esse opiniones, quæ magis legi Dei & Ecclesiæ favent, relictis ac penitùs repudiatis illis opinionibus, quæ ad nutriendam & fovendam cupiditatem conducere possunt. Porrò, sententia eorum, qui à lege jejunii illos eximunt, quibus tempore Quadragesimæ conceditur facultas comedendi carnes, ne cibi Quadragesimales eorum saluti noceant; hæc, inquam, sententia favet cupiditati, cùm semel exempti à lege jejunii possint non solùm bis, sed ter, quaterve carnibus refici in die. Non stat etiam hæc sententia pro lege Ecclesiæ, quia Ecclesia, præter illud præceptum, quod Christianis tempore Quadragesimæ imponit de abstinentia à carnibus, ovis & lacticinio, alio præcepto illos adstringit ad jejunium, quod quidem Ecclesiasticum præceptum convellit, ac penitùs è medio tollit prædicta sententia. Est quoque minùs probabilis hæc opinio tùm probabilitate extrinsecâ, ut potè quæ paucos habet patronos ac defensores, præ numero doctissimorum Theologorum & Casuistarum, qui alteri oppositæ sententiæ patrocinantur; tùm probabilitate intrinsecâ, quia nullis solidis innititur rationibus, sed puris putisq; argutiis, excogitatis ad excusandas excusationes in peccatis. Præterea, hi, qui à præcepto de abstinentia à carnibus à Superioribus Ecclesiasticis dispensantur, eò quòd cibi Quadragesimales eorum valetudini officere possent, nihilosecius alterum præceptum Ecclesiasticum tempore Quadragesimæ Christianis impositum de unica refectione sumen-
d

da in die possunt absque ullo suæ salutis detrimento observare, ergò, stante etiam dispensatione à præcepto de abstinentia à carnibus, tenentur alterum adimplere Ecclesiæ præceptum de unica tempore Quadragesimæ sumenda refectione in die, hoc est, semel tantùm in die carnibus se reficere, sicque saltèm facere quod possunt, sicut in simili morum materia definivit *Innocentius XI.* Pontifex Maximus in suo Decreto die 4. mensis Martii anni MDCLXXIX. dato, in quo inter varias Propositiones, morum doctrinam spectantes, hanc, ordine quinquagesimam quartam, his verbis conceptam proscripsit: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest tamen aliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Denique, eos, quos Superiores Ecclesiastici à præcepto de abstinentia à carnibus dispensant, ne cibi Quadragesimales eorum saluti noceant, ab obligatione tamen alterius præcepti de sumenda unica refectione in die, in qua consistit ratio formalis jejunii, non esse exemptos, manifestò patet ex Bullis, & Constitutionibus editis à Summis Pontificibus, qui disertè declararunt, eos, cum quibus dispensarunt à præcepto de abstinentia à carnibus, quòd cibi Quadragesimales eorum saluti noxii esse possent, non excipi à lege jejunii, sed teneri tempore Quadragesimæ unicam in die sumere refectionem. *Gregorius XIII.* in Bulla *Cruciatæ* pro Regno Lusitaniæ sic statuit: *Prætereà indulgemus, ut dicto triennio durante, carnibus de consilio utriusque Medici, temporibus jejuniorum tàm Quadragesimalium, quàm quarumcumque dierum totius anni vesci possint, ac pro eorum libito ovis, & lacticiniis, ità quod, qui carnes comederint, servata*

in cæteris jejunii Ecclesiastici forma, dicto jejunio satisfecisse censeantur. *Alexander VII.* Pontifex Maximus anno MDCLVII. Romæ promulgavit Edictum, quo, propter pestem, quæ anno præcedenti in hac Urbe sævierat, dispensavit tempore Quadragesimæ cum Civibus Romanis à præcepto de abstinentia carnis in diebus Dominicæ, Lunæ, Martis, & Jovis, expressè tamen declarans, eos jejunium servare debere, exceptâ die Dominicâ, in aliis diebus, in quibus liberè possent carnibus vesci. Similem dispensationem à præcepto de abstinentia carnis tempore Quadragesimæ anno MDCLVIII. totius Ducatus Mediolanensis Fidelibus indulsit idem Pontifex, eâ appositâ Clausulâ: *Citra tamen exemptionem à jejunio*. Denique, in Edicto, quod Romæ pro observatione Quadragesimæ sub Pontificatu *Clementis* XI. anno MDCCIII. publicatum est, hæc Clausula inserta fuit: *Ed osservare il digiuno, alle di cui leggi sono tenuti anche quelli, che per giusta Causa si cibano di carni salubri*. Quæ verba sic latinè redduntur: *Et debent observare jejunii legem, ad quam obstringuntur illi, quibus justa de causa permittitur, ut tempore Quadragesimæ carne salubri vescantur*. Sed, cùm hæc inserta Clausula quibusdam displicuisset, diligentius hujusce rei examen selectis Viris eruditis commisit *Clemens XI* Pontifex Maximus, atque post perlecta & ad Sanctuarii pondus librata hinc inde illorum Censori suffragia, tandem ad marginem Edicti, quod Romæ pro Quadragesimę observatione anno MDCCIV typis edendum ac vulgandum erat, sicut singuli annis fieri solenne est, hanc Clausulam, propri manu scriptam, Edictoque inserendam, ipseme

Poi

Pontifex *Clemens XI.* appoſuit: *Et oſſervare il digiuno, alle dicui leggi ſiano tenuti anche quelli che ſi cibano di carni ſalubri col motivo di eſſere loro nocivo il vitto Quareſimale*. Quæ verba ſic latinè redduntur: *Et tenentur obſervare jejunium à cujus lege non diſpenſantur illi, qui ſalubri carne veſcuntur, eo ſolo ducti motivo, quòd eorum ſaluti noceant Quadrageſimales cibi*. Cum prædicta Pontificis Clauſula Edictum pro obſervatione Quadrageſimæ Romæ anno MDCCIV. fuit publicatum. Extat etiam Edictum *Pauli Manfredi*, Urbis Romæ, totiuſque Status Eccleſiaſtici Protomedici Generalis, datum Romæ pro obſervatione Quadrageſimę an. MDCCIII. in quo expreſsè aſſerit, eos, quibus ex ſpeciali Eccleſiæ indulgentia licet tempore Quadrageſimali veſci carnibus, quòd cibi Quadrageſimales eorum ſanitati haud modicum damnum afferre poſſent, non diſpenſari, juxta mentem Summi Pontificis *Clementis XI.* & declarationem *Gaſparis Carpegna*, Cardinalis Vicarii ejuſdem Summi Pontificis, ab obſervatione jejunii: *Ne per tanto, li diſpenſono dall'aſtinenza, e digiuno, in tutte le ſere obligate, non dovendoli, ne potendoli li Medici ſciogliere da queſta obligazione, che per altro è ſalutare, e giovevole, benche per le loro ſanità ſe gli conceda il mangiare carni, conforme eſpreſſamente, coll' Oracolo di Noſtro Signore, dichiara nel ſuo Editto Sua Eminenza*, ſeu Cardinalis *Gaſpar Carpegna* Summi Pontificis *Clementis XI.* Vicarius, in ſuo Edicto, quod juſſu ejuſdem Summi Pontificis pro obſervatione Quadrageſimæ Romæ anno MDCCIII. publicavit.

Ex his itaque Bullis & Edictis Romanorum Pontificum aliiſque Documentis ad jejunii Qua-

dragesimalis observationem spectantibus, quæ Clarissimus Canonicus *Nicolaus Antonius Cuggiò*, Cardinali Vicario Summi Pontificis à Secretis, Vir doctrinâ & pietate conspicuus, & adhuc Romæ vivens, mecum summâ humanitate communicavit, facilè colligere potes, primò, non posse cum usu & consuetudine Ecclesiæ, atque Edictis Summorum Pontificum, pro observatione jejunii Quadragesimalis Romę promulgatis, conciliari opinionem illorum, qui dictitant, non posse stare obligationem servandi legẽ jejunii, quandò à Superioribus Ecclesiasticis conceditur dispensatio à præcepto abstinentiæ à carnibus; cùm tamen, sicut mox, ostendimus, Summi Pontifices, avitam secuti Ecclesiæ consuetudinem, conceptis verbis asserant, his, quibus ex indulgentia Ecclesiæ fas ac licitum est tempore Quadragesimæ comedere carnes, necessitatem incumbere jejunandi singulis diebus Quadragesimæ, exceptis tamen diebus Dominicis, nisi aliquâ ægritudine laborent, quæ eos eximat à lege jejunii. Secundò, colligere debes, rationem formalem jejunii sitam esse in unica refectione, quæ in die sumi debet, & non in abstinentia à carnibus, cùm certum sit, juxta doctrinam Ecclesiæ expressam in Bullis, & Edictis Romanorum Pontificum, quæ superiùs laudavi, solvi jejunium, si bina in die fiat refectio; & versâ vice, non solvi jejunium, si quis, post legitimam à Superioribus Ecclesiasticis obtentam dispensationẽ, semèl in die tempore Quadragesimæ carnibus vescatur. Quandò autẽ dico, rationem formalem jejunii sitam esse in unica refectione in die, non id eo in sensu intelligas velim, quasi unica illa refectio ita necessariò in die su-

sumenda sit, ut ille, qui ab ea abstineret, non jejunaret, cùm potiùs perfectiùs jejunium servaret, si, ad exemplum Christi Domini, nullam in die sumeret refectionem; sed hoc in sensu à te intelligendum velim, quòd unica refectio ita constituat jejunium, ut si quis in die bis reficiatur, jejunium solvere censeatur. Ut autem compertum habeas, quàm diligentissimè providerint Summi Pontifices, ne hæc lex jejunii in unica refectione posita, impunè frangeretur, consultò hic inseram quinque propositiones, quas, cum cæteris aliis, numero quadraginta quinque, *Alexander VII.* Pontifex Maximus proscripsit duobus Decretis, quorum primum datum est die XXIV. mensis Septemb. an. MDCLXV. Alterum verò fuit publicatum die XVIII. Martii anni MDCLXVI. Prima Propositio, quæ inter alias ab hoc Summo Pontifice jure optimo confixas est ordine vigesima tertia, sic habet: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat.* Altera Propositio, quæ est ordine vigesima nona, hæc est: *In die jejunii, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Tertia Propositio, quæ est ordine trigesima, his verbis concepta est: *Omnes Officiales, qui in Republica corporalitèr laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.* Quarta Propositio, quæ est ordine trigesima prima, ista est: *Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt, equitando, utcùmque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.* Quinta Propositio est hujus tenoris:

ris: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget*. Has quinque Propositiones ab *Alexandro VII.* damnatas detestari debes, iisque adhærere Sanctionibus, quas Summi Pontifices & Concilia circa jejunii Ecclesiastici observantiam præscripserunt.

D. Cùm, occasione celebris istius Controversiæ, quę circà obsęrvationem jejunii, potissimùm Quadragesimalis, à Theologis Sæculi XVII. ventilari cæpit, essentiam, conditionem, necessitatem & obligationem jejunii Ecclesiastici hactenùs enucleatè exposueris, optarem tandem, ut hìc, juxta doctrinam S. *Thomæ*, præcipuas assignares causas, seu legitima impedimenta, quæ aliquos ab Ecclesiastico jejunio, sive per Ecclesiam instituto, dispensare, vel eximere possunt?

M. Duæ potissimùm causæ, juxtà Doctorem Angelicum, ab obligatione jejunii Ecclesiastici aliquos eximere possunt, *ætas* videlicet & *necessitas*. Et primò quidem pueri ob ætatem à lege jejunii Ecclesiastici dispensantur, tum quia propter naturæ debilitatem frequenti cibo, & non multo simùl utuntur; tùm quia etiam usque ad finem tertii Septennii, hoc est, usque ad annum completum vigesimum primum, semper sunt in statu augmenti, propter quod multo, seu frequenti indigent alimento. Secundò, senes, non quidem omnes, sed qui ad annum septuagesimum, vel octogesimum pervenerunt, à jejunio Ecclesiastico immunes & excusati supponuntur, quia ætas effæta & ad ultimam vitæ periodum jam declinans, gravem debilitatem secum trahit. Hinc appositè S. *Hieronymus* in Epistola 22. Veteris editionis, ad *Eustochium*,

Cæ-

Cænobitarum Instituta referens, ait: *Vivitur pane, leguminibus & oleribus, quæ sale solo condiuntur; Vinum tantùm senes accipiunt, quibus, & parvulis fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens*. Quod si tamen in senibus, etiam provectioris ætatis, tanta debilitas non sit, ut eorum sanitati notabiliter non noceat, expedit, ut jejunium Ecclesiasticum, quantùm pro viribus possunt, observare conentur, sicut & olim, nullâ ætatis habitâ ratione, fuisse ab illis observatum, testantur Sancti Patres, *Basilius* Homilia 2. *de jejunio*, ubi ait: *Senibus ab antiquo assuetudo levem facit jejunii laborem*; & Sanctus *Ambrosius* in Sermone trigesimo quinto, ubi inquit: *Pudet dicere: senes & Aniculæ Quadragesimam faciunt, juvenes & juvenculæ non faciunt*. Altera causa, quæ à lege jejunii Ecclesiastici aliquos eximere potest, est necessitas; quæ nascitur aliquandò ex infirmitate, paupertate, mendicitate, peregrinatione, operatione, prægnatione, & lactatione. Hinc primò, hi, qui infirmi sunt, liberantur à lege jejunii, propter impotentiam jejunandi. Secundò à lege jejunii immunes sunt pauperes, qui ostiatim victum quærunt, quòd nempè ipsis cibi ad unam, quæ honesta sit, refectionem non sufficiant: *Pauperes*, ait S. Thomas, *qui possunt sufficienter habere, quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem à jejuniis Ecclesiæ, à quibus tamen excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat*. Tertiò, Peregrinantes, & Operarii eximuntur à lege jejunii, cùm tantus est eorum labor, ac vehemens motus cor-

corporis, ut ſine valetudinis detrimento jejunium obſervari non poſſit. Si tamen labor ſine detrimento differri queat, aut ſine gravi motu, vel agitatione corporis, aut brachiorum contentione vehementi peragi poſſit: Si etiam peregrinantes ſolius voluptatis causâ iter ſuſcipiant, aut illud pedibus non conficiant, ſed curru vehantur, vel navigio deportentur, vel in equis incedant, vel alio quolibet modo in itinere ſubleventur, ne illius difficultatem experiantur aut ſentiant, tunc nec peperegrini, nec artifices à lege jejunii excuſantur. Hinc violatæ legis jejunii rei ſunt Pictores, Tonſores, Sutores, & alii hujus generis artifices, quandò non jejunant, quia Opera quibus vacant, non ſunt gravia, ac ſubindè nulla legitima ſubeſt cauſa, quæ jejunium pati ſecum non poſſit, vel quæ jejunium impoſſibile reddat, ſive notabiliter difficile, ac ſanitati periculoſum & nocivum, ſicut contingit in aliis Artibus mechanicis, quas exercent Fabri ferrarii, Monetarii, Lignarii, & Murarii, aliique ſimiles Opifices operantes vehementi corporis & brachiorum contentione, quæ ſecum pati non poteſt jejunium, vel illud ſaltem reddit valdè ſanitati periculoſum, adeòque illos excuſat à lege jejunii, non tamen à carnium, vel aliorum, quæ tempore jejunii prohibentur, alimentorum abſtinentia immunes reddit. Quartò, Mulieres prægnantes, aut Nutrices lege jejunii eximuntur, ne ſcilicet jejunium fætui, quem vel in utero geſtant, vel lactentem ad ubera portant, noceat. At legem jejunii violant mulieres illæ, quæ non jejunant, quod videlicèt capite, ut ajunt, nonnunquàm laborent, quòd non dormiant, ſi incænatæ

de-

decumbant, & quòd è ſuâ formâ exteriori, ſeu è venuſtâ corporis ſui ſpecie, quam depereunt, per jejunium excidant. Ejuſmodi, inquam, mulieres, nec molliores Confeſſarii, nec Medici, qui illis lenocinantur, à lege jejunii excuſare, aut in foro conſcientiæ tutas reddere poſſunt, nec debent. Præter has duas, mox à me, poſt S. *Thomam*, & celebres Theologos, aſſignatas præcipuas cauſas, quæ ex ætate, vel neceſſitate petitæ aliquos à communi jejunandi lege eximere poſſunt, aliam cauſam non jejunandi adducunt non ignobiles Theologi, eamque deſumunt ex utilitate ſpirituali, quæ utilitati jejunii ejuſque obſervantiæ præponi debet, videlicet propter laborem ad aliqua pia exercitia, & ſacras functiones pro ſalute proximi exercendas ex publico munere ordinatum. Unde inferunt, Concionatores, Confeſſarios, Lectores, & alios ſimiles, qui magna mentis attentione & applicatione opus habent ut miniſteria ſua exerceant, ac propterea magnam ſpirituum cùm vitalium, tùm animalium, in munere ſuo dignè, ut par eſt, obeundo, jacturam & exhauſtionem patiuntur, à lege jejunii eſſe exemptos. Horum Theologorum opinioni non ęgrè quidem ipſe ſubſcripſerim, tùm quia, ſi labor propter conſervationem Vitæ corporalis aſſumptus, quandò propter difficultatem operandi non compatitur jejunium, ſufficiens cauſa eſt, cur aliquis à jejunio excuſetur, quidni etiam labor, propter aliquid ad æternã ſalutem neceſſarium, vel ad vitam ſpiritualem ordinatum, ſuſceptus, poterit à jejunio excuſare, quandò ſimul cum illo jejunium obſervari haud poterit? tùm quia etiam jejunium inter corporales dumtaxat

xat exercitationes annumerari ſolet, opera autem pietatis corporalibus exercitationibus anteponi debent, ſicut teſtatur Apoſtolus Paulus Primę ad *Timotheum* cap. 4. verſ. 7. dicens: *Exerce te ipſum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum valet, Pietas autem ad omnia utilis eſt.* Cæterùm, quamvis hæc mihi probetur Theologorum opinio, optarem tamen ut Concionatores, præſertim tempore Quadrageſimæ, dùm ad populum conciones habent de pœnitentia, de jejunio, de legum cùm Divinarum, tùm Eccleſiaſticarum obſervantia, aliis ſuo præirent exemplo, imitantes Chriſtum Dominum, qui *cæpit facere & docere*. Exempla ſiquidem magnam habent vim & ad perſuadendum, & ad inflammandos animos æmulatione virtutis. Quòd ſi Concionatores difficultatem laboris, ac virium debilitatem cauſati jejunare non poſſint, debent ſaltem abſtinere à carnibus. Alioquì periculum erit, ne multi ipſis exprobrent id quod olim Apoſtolus *Paulus* Judaicæ legis Doctoribus vitio vertit cap. 2. Epiſtolæ ad Romanos, dicens: *Confidis te ipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt; eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege: Qui ergò alium doces, te ipſum non doces . . . . . Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras &c.* Poſtremò, ut cætera alia ſilentio prætermittam, quæ ad Eccleſiaſtici jejunii obſervationem ſpectant, quæque commodiùs legere poteris apud Theologos, præcipuè *Ludovicum Thomaſſinum* in libro accuratiſſimo ac doctiſſimo, quem *de jejuniis* conſcripſit; brevem dumtaxat hìc addam obſervationem ad explicandum

dum fructum, qui ex jejunio Ecclesiastico percipi debet, omninò necessariam. Jejunant quippè multi, sed pauci fructum jejunii consequuntur. Jejunat æger, quia comedere non potest. Jejunat pauper, quia non habet quod comedat. Jejunat avarus, quia opes suas, quibus velùt draco incubat, non vult expendere. Jejunat Vir ventri & gulæ deditus, ne cibis suffocetur, & ut avidiùs posteà comedere possit. Jejunat hypocrita, ut vanam vulgi gloriam aucupetur, & hominibus jejunus appareat. Jejunat peccator, sed interim indulget vitiis ac cupiditatibus suis, nec jejunat à mendaciis, maledictis, aliisque pravis affectibus. Ejus venter rugit ob inediam, lingua temulenta est. Abstinet ab esu carnium, jactat ventrem leguminibus & piscibus alitum, continet dentes à morsu pecudum; sed linguam habet carnivoram, & dentem viperinum infigit fratri suo, pro quo mortuus est Christus. Solus Christianus verè pius, qui jejunat ut Deo placeat, ut ei pro peccatis satisfaciat, ut passionibus suis frænum injiciat, fructum ac meritum jejunii adipiscitur, quia, ut inquit S. *Basilius* Homiliâ 2. de jejunio, *ut laudem promereatur jejunium, temperare à cibis non satis est; sed jejunium jejunemus acceptabile, Deo gratum: Verum jejunium est vitiorum abstinentia & immunitas, continentia linguæ, cohibitio iræ; concupiscentiarum amputatio, detractionis, mendacii, & perjurii resecatio, &c.* Ut igitur fructum jejunii percipere possis, diligenter expendas velim, quò jejunium tuum referas? Si jejunes ut parcas penui, aut religiosior habearis. Nequam est oculus tuus. Si jejunes ne in morbum incurras. Quorsùm morbum metuis?

Ne

Ne te privet usu voluptatum. Vitiosus est oculus tuus. Si jejunes, ut Deo sit gratum jejunium tuum, ut perduellem concupiscentiam reprimas, & à vitiis ac mundi illecebris abstineas. Benè curris, & scopum ac meritum jejunii attigisti.

D. Impensè profectò gaudeo, quòd multas de jejunio explicandi difficultates opportunam nobis occasionem suppeditarit celebris illa, quæ in Galliis Sæculo XVII. circà observationem jejunii Quadragesimalis inter Theologos oborta est Controversia. Modò gestit animus scire ea, quæ spectant Disciplinam Ecclesiæ Sæculi XVII. & an aliquæ Controversiæ circà Disciplinam Ecclesiasticam ejusdem Sæculi fuerint inter Theologos agitatæ?

M. Disciplinam, quam Sæculo XVI. Æcumenica Synodus Tridentina circà Metropolitanos, Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos & Clericos sanxit, retinuit ac observavit Sæculo XVII. Catholica Ecclesia, eamque egregiè vindicavit adversùs quosdam ejusdem Sæculi laxiores Theologos, qui, mollioribus adhibitis interpretationibus, vim Sacrorum Canonum emollire, atque solutiorem Disciplinam invehere moliebantur, sicut apertè liquet tùm ex propositionibus proscriptis à Romanis Pontificibus *Alexandro VII. Innocentio XI.* & *Alexandro VIII.* tùm etiam ex Conciliis, quæ Sæculo XVII. habita sunt, in quibus, sicut in quarto Colloquio ostendimus, vigilantissimi Præsules nihil tàm curæ ac cordi habuerunt quàm ut sartam tectam conservarent, aut collapsam restaurarent Ecclesiæ Disciplinam, quam, Sanctissimis editi legibus, Patres Generalis Concilii Tridentini pi

in

inviolatèque ſervandam præſcripſerunt. Cùm igitur eadem Sæculo XVII. obtinuerit Eccleſiaſtica Diſciplina, quæ ſancita ac ſtatuta fuerat in Generali Concilio Tridentino, & cujus nos præcipua Capita in Colloquio VI. in Hiſtoriam Seculi XVI. ſat ſuperque expoſuimus, ſupervacaneum omninò eſſet in eodem argumento diutiùs verſari, ſeu, ut vulgò ajunt, idem volvere ſaxum, eamdemque redordiri telam. Præterire tamen nec poſſum, nec debeo gravem contentionem, quæ Sæculo decimo ſeptimo circà Diſciplinam adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ inter Theologos vehementer exarſit. Nonnulli ſiquidem rigidiores Theologi, ad praxim revocare volentes veterem Eccleſiæ Diſciplinam, juxtà quam iis dumtaxat pœnitentibus impertiebatur Sacramentalis Abſolutionis beneficium, qui priùs impoſitam ſibi ſatisfactionem peregerant, damnarunt, tamquàm abuſum, eam, quæ mox in Eccleſia viget, diſciplinam, ſeu conſuetudinem abſolvendi pœnitentem, antequàm impoſitam ſibi ſatisfactionem adimpleverit. Alii verò Theologi in alteram, huic è diametro oppoſitam, ſententiam impegerunt, aſſerentes, mox & abſque ullâ procraſtinatione concedendam eſſe abſolutionem pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat. Utramque ſententiam, ſive rigidiorum, ſive laxiorum Theologorum, opinionem falſam & erroneam eſſe, non abs re erit breviter hìc commonſtrare. Ad profligandam priorem ſententiam rigidiorum Theologorum, qui pertendunt, abſolutè, & ex ipsâ Chriſti lege & præſcriptione ne-

cessarium esse, ut Minister pœnitentem cogat ad peragendam satisfactionem antequàm ei conferat beneficium absolutionis, multa suppetunt momenta, quorum præcipua hìc subnectere non pigebit. Primò, licèt primis Sæculis Ecclesia non conferret lege ordinariâ absolutionem Sacramentalem, nisi his, qui priùs pœnitentiam, seu satisfactionem peregissent; id tamen tanquàm absolutè necessarium, & ex ipsâ Christi lege præscriptum esse non censebat, sed ut rem puræ disciplinæ spectabat, à qua certis in casibus, teste Sancto *Cypriano*, cum pœnitentibus dispensabat, eis, ante impletam satisfactionem, concedendo absolutionem Sacramentalem, sive cùm urgeret mortis periculum, aut in discrimine versaretur Pænitentis salus; sivè cùm immineret persecutio, sive quandò Martyrum libellis commendabantur lapsi, vel quandò lapsi, post scelus commissum, arduum aliquid & eximium edebant, sivè denique, dùm ex reditu lapsorum ingens aliquod bonum in Ecclesiam redundabat, ut Schismatis extinctio, aut multorum ad Ecclesiam reductio. In his, inquam, casibus Ecclesia concedebat antiquitùs absolutionem Sacramentalem Pœnitentibus, antequàm functi essent pœnitentiæ laboribus, & satisfactionem Canonicam implevissent. Quod quidem argumento est, nunquàm Ecclesiam existimasse, hunc ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni esse ex ipsâ lege Christi ac præscriptione absolutè necessarium, alioquì in nullo casu hunc ordinem intervertere, & ab hac lege cum nemine dispensare potuisset. Meritò igitur *Alexander VIII.* Pontifex Maximus die xx. mensis Decembris anni

MDCXC

MDCXC. tres ſequentes damnavit Propoſitiones, quarum prima hæc eſt: *Ordinem præmittendi ſatisfactionem Abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex & præſcriptio, natura rei quodammodò dictante.* Altera Propoſitio ſic habet: *Per illam praxim mox abſolvendi, ordo Pœnitentiæ eſt inverſus.* Tertia Propoſitio his verbis concepta eſt: *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet: nihilominùs ab Eccleſia non habetur pro Uſu, ſed pro abuſu.* Tres illæ quorumdam modernorum ac rigidiorum Caſuiſtarum propoſitiones ſimillimæ & maximè geminæ ſunt errori *Petri de Oſma*, quem *Sixtus V.* Pontifex Maximus, Concilium Complutenſe confirmans, proſcripſit an. milleſimo quadringēteſimo ſeptuageſimo octavo: *Non ſunt abſolvendi Pœnitentes, niſi peracta priùs Pœnitentià eis injunctà.* Quam damnationis ſententiam ab hoc Summo Pontifice in *Petrum de Oſma* latam innovavit & retorſit die XXIII. menſis Junii anni MDCXLIV. Sacra Facultas Pariſienſis in quoſdam Theologos, aſſerentes, *Executionem Pœnitentiæ, ſeu ſatisfactionis impoſitæ, neceſſariò & ex inſtitutione Chriſti, ac invariabili Sacramenti natura, ita prærequiri abſolutioni, ut alioquì abſolutio non ſit valida, niſi ejuſmodi ſatisfactio priùs completa fuerit.* Præterea, quamvis ſatisfactio ſit pars ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ requiſita, non ideò tamen neceſſe eſt ut ante Abſolutionem adimpleatur. Nam & capilli & ungues partes hominis ſunt, nec tamen cum hominibus naſcuntur. Sufficit ergò, ut Pœnitens, dùm ſe ſubjicit clavibus Eccle-

ſiæ, propoſitum habeat peragendi ſatisfactionem ſibi impoſitam per ſpiritualis Judicis Sententiam; quia, ut inquit S. *Thomas* 3. Par. Quæſt.90. Art.2. ad 2. *Satisfactio confert gratiam prout eſt in Propoſito, & auget eam prout eſt in executione*. Denique, ſummæ temeritatis eſt velle improbare hodiernam Eccleſiæ Diſciplinam, juxta quam verè Pœnitentibus impenditur Abſolutio antequàm ſatisfactionem impleverint, quamvis diverſa olim in Eccleſia obtineret Diſciplina, quæ ſatisfactionem Abſolutioni præmitteret. Hanc priorem & Veterem Eccleſiæ Diſciplinam laudabilem fuiſſe lubentiſſimè fateor, ſed ſic prior illa Diſciplina laudanda eſt, ut hodierna non vituperetur. Eſt enim utraque unius ejuſdemque Eccleſiæ & Sponſæ Chriſti conſuetudo diverſa, per quam, licèt pro conditione temporum, pro languore Chriſtianorum, vel aliâ juſtâ ratione, mutatio quædam in hac ſatisfactoriæ Diſciplinæ obſervatione acciderit, doctrina tamen & fides, ratioque ſatisfaciendi una eademque perſeverat. Suas habuit vetus Diſciplina rationes ſuas habet etiam rationes nova Diſciplina. Neutra improbari debet, ſed potiùs omnes Fideles profiteri debent, quòd quemadmodùm Eccleſia juſtis de cauſis immutavit veterem Diſciplinam Baptiſmum conferendi in trinâ, vel unicâ immerſione; Communionem Euchariſticam ſub utraque ſpecie percipiendi; Unicam in jejunio Quadragemali ad Veſperam, vel ad horam Nonam ſumendi refectionem; & gravia peccata expiandi per pœnitentiam publicam, in quatuor Claſſes, *Flentium*, *Audientium*, *Subſtratorum*, *& Conſiſtentium*, diſtinctam; omnes, inquam, Fideles profiteri de-

be-

bent, quòd quemadmodùm Ecclesia hæc omnia, licet olim usitata, justis de causis immutavit, quia hæc pertinebant dumtaxat ad Disciplinam, quæ & antiquitùs varia fuit, & vicissitudini temporum obnoxia est; ita pari jure Ecclesia veterem Disciplinam præmittendi satisfactionem Absolutioni Sacramentali immutavit in hodiernam, quæ viget, Disciplinam concedendi Absolutionem Sacramentalem ante peractam satisfactionem, quia minimè necesse est ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, vel etiam ad ejus integritatem & fructum, aut ad Absolutionis Sacramentalis Valorem, ut satisfactio ante Sacramentalem Satisfactionem impleatur. Totum id Disciplinæ negotium est, quæ, *lege Fidei manente*, ut ait *Tertullianus*, pro conditione temporum patitur mutationes.

D. Fuitne itidèm damnata à Summis Pontificibus altera, quam mox circà Disciplinam administrandi Sacramentum Pœnitentiæ referebas, quorumdam Sæculi XVII. Theologorum Sententia, asserentium, concedendam esse absque ulla cunctatione Absolutionem Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat?

M. Hanc laxiorum Sæculi XVII. Casuistarum sententiam, quæ Disciplinam Ecclesiasticam labefactat, veræ peccatorum conversionis spem extinguit, & omnibus vitiis aditum ac impunitatem aperit, damnavit *Innocentius XI.* Pontifex Maximus Decreto die 2. mensis Martii anni MDCLXXVII. dato, cujus jam mentionem fecimus in Colloquio tertio. Noverat ille quippè optimus, juxta ac Sanctissimus Pontifex, non veras & sinceras, sed fi-

ctas ac fucatas esse illorum conversiones, qui eadem in singulis Confessionibus lethalia peccata accusant semper ac recinunt, sed vitam nunquàm emendant, sicque perpetuâ inanis Pœnitentiæ, & infructuosarum Confessionum vicissitudine labuntur, exurgunt, relabuntur rursùm, & divinæ hac inconstantiæ levitate misericordiæ illudunt. Vera autem peccatoris conversio non ex verborum foliis, non ex lacrymis doctis mentiri, non ex imperfectis mollis voluntatis desideriis, quæ totiès infructuosa fuisse deprehenduntur, & quibus, teste S. *Bernardo*, infernus scatet, sed ex robusto & efficaci, cujus saltem vestigium in vitæ emendatione verè apparet, proposito non ampliùs peccandi dignoscitur. Noverat *Innocentius XI.* quòd licèt Peccatores, etiam scelestissimi, possint momento temporis ab improbitate ad pietatem per specialem gratiam Dei, quæ tarda molimina nescit, traduci; non tamen, juxta consuetum justificationis cursum, tam facilè, tamque brevi temporis intervallo dirumpi possunt vincula peccatorum frequentatis actibus obfirmata, cor lapideum in carneum commutari, & veram ac stabilem obtineri conversionem, quæ non nisi petendo, quærendo, pulsando impetratur. Noverat etiam *Innocentius XI.* ac diuturnâ experientiâ, rerum magistrâ, compertum ac exploratum habebat, nimiam absolvendi facilitatem recidivos ac Consuetudinarios peccatores in vitiorum luto fixos detinere, quia, ut ait S. *Ambrosius* Sermone VIII. in Psalmum 118. *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi*, vel, ut dicit S. *Augustinus* Sermone 34. de Diversis: *Si citò rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset pec-*

peccando cadere in mortem; idemque eleganter exprimit, his Patribus à me laudatis antiquior S. *Cyprianus* in Tractatu *De Lapsis*, ubi hæc habet: *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec comprimit delicta, sed nutrit. At, qui consiliis fortioribus redarguit simul, atque instruit fratrem, promovet ad salutem. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum mortale virus inclusum, dùm servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putredinibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licèt & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodùm cùm senserit sanitatem.* Noverat deniq; *Innocentius XI.* Pontifex Maximus, quòd Clerus Romanus in Epistola, quam scripsit ad S. *Cyprianum*, & quæ inter Epistolas S. *Cypriani* est ordine trigesima prima, perstringit quosdam Sacerdotes, qui pro salutaribus dilationum remediis, exitiosa præproperæ Absolutionis venena lapsis porrigere audebant: *Hoc non est curare*, inquit Clerus Romanus, *sed, si verum dicere volumus, occidere*. Et paulò post in eadem Epistola subdit idem doctissimus Clerus: *Oremus, ut qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam, neque præproperam desiderare medicinam . . . . . Multùm illis proficiet petitio modesta, humilitas necessaria, patientia non otiosa. Mittant legatos pro suis doloribus lacrymas: advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis & pudorem &c.* Fragmentum hujus Epistolæ Cleri Romani ad S. *Cyprianum* refert Cardinalis *Baronius* in Annali-

bus Ecclesiasticis ad annum CCLIII. Numero 79. ibidèmq; suam eâ de re mentem aperit his verbis: *Quàm ergò parùm tuta, quàmque dubia sit illa festinantèr exhibita reconciliatio etiàm petentibus eam cum lachrymis, dicta nuper sententia declaravit.* Duo igitùr munia, circà Disciplinam administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, & rectè dispensandi Mysteria Christi, Sacerdoti, cui creditum est regimen animarum, obeunda incumbunt. Primò, oportet ut iis, qui iteratis lapsibus firmum sibi propositum vitæ in meliùs commutandæ non adesse fidem faciunt, absolutionem differat, donec illorum sinceram vitæ emendandæ voluntatem probaverit, & congrua in eis exploraverit veræ conversionis indicia. Secundò, Sacerdos in administratione Sacramenti Pœnitentiæ sectari debet hodiernam Ecclesiæ disciplinam, juxtà quam beneficium Absolutionis Pœnitentibus conceditur antè peractam satisfactionem. Si enim Sacerdos Disciplinam, quæ olim viguit, & nunc antiquata est, vel in desuetudinem abiit, quæque satisfactionem Absolutioni præmittebat, in usum privato arbitrio revocare voluerit, perturbabit omnia, laqueum Animabus injiciet, nimis emungendo eliciet sanguinem, eritque omninò alienus ab ingenio piæ Matris Ecclesiæ, quæ, ad Fidelium salutem promovendam, vulnus Disciplinæ suæ inferri multotiès passa est, illam sæpè immutavit, & nonnullarum Sanctionum observantiam in desuetudinem interdùm abire permisit. Standum itaque est hodiernæ disciplinæ Ecclesiæ in Sacramentorum administratione, & ab eâ ne latum quidem unguem recedendum: quamvis & antiqua Ecclesiæ Disciplina plurimi

rimi

rimi facienda ſit, ſuſcipienda, colenda, ejuſque instauratio in pluribus optanda, nunquàm tamen privato arbitrio & auctoritate tentanda. Quo enim ſpiritu gubernante veterem Diſciplinam ſervavit, eodem regente mutavit Eccleſia, quæ pro varietate temporum, locorum circumſtantiis, & Fidelium ſalute omnia conſultè, providè, & ſapienter diſponit, ſuamque attemperat Diſciplinam, quam ſi quis elato ſupercilio improbare, & veterem Diſciplinam ſeveriorem propriâ ſuâ authoritate poſtliminiò revocare velit, tanquàm Eccleſiaſticæ pacis perturbator apud omnes audire debet, juxtà præclaram illam S. *Auguſtini* Sententiam, quæ menti tuæ penitiùs infixa jugitèr inſidere debet: *Contra rationem nemo ſobrius, contra Scripturas nemo Chriſtianus, contra Eccleſiam nemo pacificus ſenſerit.*

D. Circà Diſciplinam cùm Monaſticam, tùm Regularem Sæculi XVII. duo dumtaxàt argumenta, quæ mihi peculiari aliquâ obſervatione digna videntur, proponam. Primum eſt, an Sæculo XVII. fuerint inſtituti novi Regulares Ordines, & quis eorum conditor ſit? Alterum eſt, utrùm Diſciplina tàm Monaſtica, quàm Regularis eodem Sæculo viguerit, ac novum ſuſceperit incrementum?

M. Sæculo XVII. præter celebrem Gallicanam Oratorii Jeſu Congregationem, quæ, ſicut diximus ſub finem Colloquii VI. in Hiſtoriam Sæculi XVI. à *Petro de Berulle* Presbytero Pariſino, doctrinâ & pietate eximio, & poſteà S.R.E. Cardinali, inſtituta, & ad petitionem *Mariæ Mediceæ*, Galliarum Reginæ, & *Petri Gondii*, Archiepiſcopi Pa-

Parisiensis, à *Paulo V.* Pontifice Maximo anno MDCXIII. approbata, per omnes Galliæ Provincias magno cum populi fructu propagata est; præter hanc, inquam, Illustrissimam Oratorii Jesu Gallicanam Congregationem, quæ hactenùs innumeros penè Viros eruditione & vitæ probitate insignes Ecclesiæ dedit, alia non minùs Ecclesiæ utilis prodiit Sæculo XVII. *Congregatio Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum*, dicta vulgò *Paulina*, quòd sub *Paulo V.* Pontifice Maximo erecta sit anno MDCXVII. quam vis sub Pontificatu tantùm *Gregorii XV.* Successoris *Pauli V.* inter Congregationes Clericorum Regularium locum habere meruerit. Huic Scholarum Piarum Congregationi initium dedit *Josephus Calasantius*, Aragonensis, ex clarissima Calasantiorum Familiâ, in Regno Aragoniæ adhùc florenti, oriundus, & in Academia Complutensi Doctoralibus infulis inauguratus, qui, post rejectas pertinaci modestiâ oblatas sibi sæpiùs Ecclesiasticas Dignitates, sicut testantur ejus vitæ Scriptores, Romam se contulit, ubi attentè considerans, benè multos esse juvenes, qui, ob paupertatem parentum, litteris operam dare, & ad pietatem informari haud possunt, indèque Ecclesiæ & Reipublicæ planè inutiles evadunt, quodque gravius est, naturâ plerùmque feroces, ad vitia proclives, & ad detrimentum parentum nati, cum nefariorum hominum gregibus vitam perditissimè abjiciunt, & in omnia flagitiorum genera præcipites feruntur; hoc, inquam, grande malum, quod in Ecclesiæ ac Reipublicæ dedecus cedit, secùm tacitus reputans *Josephus Calasantius*, eique præsentissimum remedium adhibere volens, de Scholis piis

piis erigendis actutùm cogitare cœpit, ut Juvenes tàm Clerici, quàm Laici pauperes, ad pietatem, ad liberales artes, bonasque Disciplinas gratis instituti, litteras excolerent, & honestam vitę rationem tenerent. Arduum istud opus Venerabilis Servus Dei *Josephus Calasantius* Romæ suscepit, illudque ad optatum exitum feliciter perduxit, Clericorum Regularium Scholarum Piarum excitando Congregationem, quæ confestim non solùm per totam Italiam, verùm etiam per Hispaniam, Siciliam, Sardiniam, Germaniam, Poloniam longè latèque diffusa, & ex ea uberrimos fructus, sive in institutione Juvenum, sive in Concionibus habendis ad populum, sive in aliis piis, cùm domesticis, tùm publicis dignè obeundis exercitiis, hactenùs universa percepit Respublica Christiana. Habet hæc Clericorum Regularium Scholarum Piarum Congregatio Collegia, seu Scholas, in quibus Professores, præter Grammaticam, Rhetoricam, Artem Poëticam, Arithmeticam, cæterasque Matheseos Disciplinas, quarum notitiâ, citrà ullam, vel minimam mercedem, Juvenum Laïcorum animos summâ curâ ac diligentiâ imbuunt, docent insuper Clericos ac Sacerdotes Philosophiam, ac Theologiam Dogmaticam, Scholasticam, Asceticam, & Moralem, juxtà germanam mentem S. *Thomæ*, Doctoris Angelici, cujus doctrinâ nihil secundùm Deum prius & antiquius habent, atque in ejus verba jurare solent. Hinc illa, quę inter hanc Clericorũ Regulariũ Scholarum Piarum Congregationem, & Sacrum Ordinem Fratrum Prædicatorum ab initio semper intercessit summa necessitudo, quæ tandiù stabit, quandiù do-

doctrinæ S. *Thomæ Aquinatis*, Theologorum Principis, ſuus in Eccleſia conſtabit honos. Hujus arctiſſimi inter Clericorum Regularium Scholarum Piarum Congregationem & Familiam Dominicanam initi fœderis locupletiſſimum teſtimonium, prębuit nuperrimè ejuſdem Congregationis clariſſimus Alumnus, & Romæ in Scholis Piis S. *Pantaleonis* Sacræ Theologiæ Profeſſor *Nicolaus Maria à Sancto Dominico*, qui in eleganti Oratione, habitâ anno MDCCXX. in Funere Reverendiſſimi Patris *Antonini Cloche*, totìus Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, ſic de ſua illuſtri Clericorum Regularium Scholarum Piarum Congregatione effatur: *Rem non extraneam loquar, ſed quam pium Inſtitutum meum, univerſæ Terrarum Juventuti bonis artibus, moribuſque informandæ peculiari Apoſtolicæ Sedis imperio deſtinatum, inter domeſticos ipſos parietes majorem ſibi atque ampliorem in dies viderit obtigiſſe. Sanè quidquid in Philoſophicis, Diviniſque Diſciplinis & ſapimus, & juventutem publicè, ex Inſtituto, docemus, id totum à ſapientiſſima, litteratiſſimaque Dominici Familia, cujus beatiſſimo patrocinio perfruimur, & ſapere, & doctos eſſe gloriamur. Grata ſemper in Lycea noſtra redibit aureæ illius diei recordatio, qua ad Angelici Præceptoris Thomæ Cathedram provoluti, invictam ejuſdem Doctrinam ſequi, & ne hilum quidèm ab ea deflectere, perpetuò juſſi ſumus. Hinc Horatianum illud præceptum, ſolidioribus longè ſtudiis accommodatum, Auditoribus ſuis noſtrates jure meritò repetunt atque inculcant:*

..... Vos Exemplaria Thomæ
Nocturnà verſate manu, verſate diurnà.

Hoc publicum ſingularis ergà Ordinem Prædica-

to-

torum, cujus ipse Alumnus sum, observantiæ ac benevolentiæ testimonium, quod in obitu Reverendissimi Patris *Antonini Cloche*, ejusdem Ordinis Generalis Magistri, exhibuit Romæ Clericorum Regularium Scholarum Piarum Congregatio, si non agnoscerem, cæcus; si non amplecterer, ferreus; si non prædicarem, ingratus omninò essem. Agnosco, amplector, etiam atque etiam prædicabo. Nunquàm intermorietur, nunquàm intercidet fidelis memoria tanti beneficii, quod in omnium Familiæ Dominicanæ Alumnorum cordibus clavo trabali fixum perpetuò hærebit. Præter hanc clarissimam Clericorum Regularium Scholarum Piarum Congregationem, originem habuerunt Sęculo XVII. *Ordo Monialium Visit. B. Mariæ Virginis*: *Ordo Monialium Vrsulinarum*: & *Congregatio Monialium B. Mariæ de Calvario, & S. Scholasticæ*, de quibus pauca hìc dicemus. *Ordo Monialium Visitationis Beatæ Mariæ*, sic dictus à munere infirmos & egenos visitandi, quo, ob reverentiam Mysterii B. Virginis *Mariæ*, visitantis *Elizabetham*, initio fungebantur piæ quædam fœminę; Authorem habet S. *Franciscum Salesium*, Episcopum Genevensem, qui Monialibus hujus Ordinis Anessiaci in Sabaudia circà annum MDCX. Regularis Vitæ normam præscripsit, eisque prępfecit *Joannam Franciscam Fremiot de Chantal*, in Galliis natam Divione, Urbe Ducatus Burgundiæ, Diœcesis Lingonensis, quæ nascentem hunc Ordinem instar Matris ac Fundatricis lactavit, aluit, fovit, instituit, propagavit, atque post plura excitata Monasteria, post graves pro Dei gloria & salute tùm suâ, tùm proximi ardenti zelo promovendâ exhaustos heroicâ constantiâ labo-

bo-

bores, animam Deo, quem in vita unicè quæsierat, ac dilexerat, reddidit die XIII. mensis Decembris anni MDCXLI. Eâ Sanctitatis famâ in vita & post mortem adeò claruit Venerabilis hæc Dei Serva, ut nunc Acta de ejus Vita, Virtutibus, & Miraculis in Sacra Rituum Congregatione examinentur, omnesque Viri pii eam in spem erigantur, fore ut Cœlitum albo propediè̀m solemni ritu adscribatur. Alterum Ordinem Monialium *Ursulinarum*, seu Virginum ac Viduarum, sub nuncupatione S.*Ursulæ*, & Regulâ S.*Augustini*, ad erudiendas litteris & bonis moribus puellas, Parisiis an. MDCXI. condidit nobilis Vidua *Maria L'huillier*, Domina S.*Bobæ*, quæ novæ à se institutæ Sodalitatis approbationem à *Paulo V*. Pontifice Maximo die XXIII. mensis Septembris ejusdem anni obtinuit. Huic Monialium Ursulinarum Ordini similem Monialium Congregationem sub nuncupatione B. *Mariæ Virginis*, ad puellas litteris & pietate imbuendas, instituit Venerabilis Servus Dei *Petrus Forerius*, Parochus Matencurii in Lotharingia, & Canonicorum Regularium S. *Augustini* Congregationis Sancti Salvatoris Reformator, vitę sanctitate clarissimus. Denique Monialium Benedictinarum primæ Regulę, sub nomine Congregationis B.*Mariæ de Calvario*, & *S.Scholasticæ*, Institutrix fuit *Antonieta Aureliana*, *Ludovici* Ducis Longavillani filia, quę hanc Congregationem inchoavit in Monasterio Pictaviensi in Galliis, ubi & sexto post mense piè decessit die XXV. Aprilis anni MDCXVIII. Prætermittere non debeo Congregationem *Piorum Missionariorum*, cujus Sæculo XVII. Auctor ac Institutor fuit *Carolus Carafa*, Neapoli è nobilissima Familia oriũdus.

dus. Hic, ſpretis Mundi illecebris, & inter Sacerdotes adſcriptus, in Specum ſe recepit, ut vitam ſolitariam ageret, anteactæ vitæ ſuæ peccata amarè fleret, & auſterâ pœnitentiâ expiaret. Zelo tamen promovendæ ſalutis animarum vehementer accenſus, & potens opere ac ſermone, agros, Caſtellaque circuiens, multos ejuſdem vitæ ſocios ſibi adſcivit, atque fundamenta jecit *Piorum Operariorum* Congregationis, quæ à *Gregorio XV.* approbata fuit Conſtitutione, quæ incipit: *Ex qua Divina Majeſtas* &c. & iterùm confirmata eſt ab *Urbano VIII.* Regitur hæc Congregatio à Præpoſito triennali, ejuſque Alumni, nullo Religionis Voto obſtricti, Miſſiones exercent, cæterisque laboribus perfunguntur, quos Viri Apoſtolici ad excolendam Vineam Domini obire ſolent. Eorum Veſtis eſt lanea, laneum etiam geſtant induſium, laneis operimentis utuntur in lecto ex paleis dumtaxàt ſtrato, aliiſque piis exercitiis, jejuniis, vigiliis, orationibus vacant. Quæ omnia accuratè recenſet in Vita *Caroli Carafæ*, hujus Congregationis Inſtitutoris, *Petrus Giſophus*, ejuſdem Congregationis Alumnus. Confundi non debet hęc Piorũ Operariorum Congregatio cum altera Presbyterorum Miſſionariorũ Congregatione, quæ Sæculo XVII. à Venerabili Servo Dei *Vincentio A' Paulo* in Galliis circà annum MDCXXVI. inſtituta, & per univerſum Orbem dilatata, innumeros protulit Viros illuſtres, qui, parentis ſui veſtigiis inſiſtentes, procurandæ ſaluti animarum, quà exemplis, quà Miſſionibus, quà editis Aſceticis libris, unctione Spiritus Sancti perfuſis, indefeſſo ſtudio allaborarunt, & plurimos in in Chriſto filios multo ſudore genuerunt. Obiit Pari-

risis Venerabilis Servus Dei *Vincentius à Paulo*, meritis plenus, & vitæ sanctimoniâ conspicuus, die, XXVII. mensis Septembris anni MDCLX. & sepultus est in Ecclesia S. Lazari, ejusque Sepulchro istud inscriptum est Epitaphium: *Hìc jacet Vir Venerabilis Vincentius à Paulo, Fundator, seu Institutor, & primus Superior Generalis Congregationis Missionis, necnon Puellarum Charitatis. Obiit die 27. Septembris anni 1660. ætatis verò suæ 85.* Ejus in Deum pietatis, & ardentissimæ in proximum charitatis merito factum est, ut à multis Principibus, à Clero Gallicano, & à Generalibus Ordinum Regularium Præfectis petita sit à Sede Apostolica solemnis illius Canonizatio, quæ universam Ecclesiam summâ lætitiâ cumulabit.

D. Viguitne Sæculo XVII. Monastica, seu Regularis Disciplina, ac novum suscepitne incrementum?

M. Sæculo XVII. in multis Monasteriis primitiva Disciplinæ cùm Monasticæ, tùm Regularis observantia collapsa est, obscuratum aurum, mutatus color optimus, dispersique lapides Sanctuarii: *Deploranda est* (inquit doctissimus noster *Vincentius Contensonus* in primo Tomo suæ Theologiæ *Mentis & Cordis*, Editionis Lugdunensis in folio, pag. mihi 441.) *quorumdam laxatissimæ disciplinæ Regularium conditio, apud quos nunquàm proponitur Regula, sub cujus nomine militant in Ecclesia Dei. Vidi quosdam Canonicos Regulares contestantes, se nunquàm audivisse Regulam Divi Augustini, ad eamque observandam minimè se teneri effutientes: & cùm quæsivissem ab eis, quid toto probationis anno profecissent, ingenuè responderunt, se simplicibus modis Gregoriani*

can-

cantus artem didicisse, & sæpiùs dissonantes flagris à Magistro severissimè exceptos fuisse; Regulam verò Divi Augustini non magis audivisse, quàm si non extaret in Orbe Terrarum. Vah indignitatem! Ubi pudor mentis? ubi rubor frontis? Siccinè irridetur Deus, & illuditur Ecclesia? Væ Abbatibus & Prioribus oscitantibus & dissimulantibus: Væ Magistris sic Novitios educantibus; Væ sic Professis judicandis non secundùm adeò rationi adversam consuetudinem, sed secundùm Vota, quæ distinxerunt labia sua, quæve reddiderunt coràm omni populo Dei. Et alio in loco, seu pag. 191. ejusdem primi Tomi Theologiæ *Mentis & Cordis* exclamat hic pius, doctus & elegans Scriptor: *Sed quid de Religiosis dicam ego statu Religiosus, charactere Sacerdos, licèt immeritus? Cùm videamus tam multa Monasteria à primitiva Observantia collapsa multiplicatis quidèm Regularis vitæ Professoribus, sed non multiplicata lætitia. Libenter & verè cum Bernardo in Apolog. ad Guillelmum Abbatem scripserim: Quis in principio, cùm Ordo cœpit Monasticus, ad tantam crederet Monachos inertiam devenire? O quantùm distamus ab iis, qui in diebus Antonii extiterunt Monachi! Sic Macharius vixit? sic Basilius docuit? sic Antonius instituit? sic Patres in Ægypto conversati sunt?* Hactenùs noster *Contensonus*, Monasticæ, seu Regularis Disciplinæ Sæculi XVII. testis ocularius. Cùm igitur eo Sæculo in multis Monasteriis collapsa esset Monastica, seu Regularis Disciplina, excitavit Deus Optimus Maximus eodem Sæculo Sanctissimos Pontifices, & Viros Disciplinæ Regularis zelo flagrantes, qui ad restaurandam Monasticam & Regularem Disciplinam, quæ in multis Cœnobiis erat collapsa, omnem curam, industriam

ſtriam ac diligentiam contulerunt. Inter Summos Pontifices, unum præ cæteris laudabo *Innocentium XII.* cujus intentionem conſulendi inſtaurationi Diſciplinę Regularis, Sacra Cardinalium Congregatio ab eodem Summo Pontifice ſuper Diſciplina Regulari ſpecialiter deputata, expreſsè declarat in eo Edicto, quod die XVIII. menſis Julii anni MDCXCV. publicavit, cujus præcipua Capita hìc exſcribere, tuisque ſubiicere oculis neceſſarium eſſe duxi.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D.N. Innocentius Divina Providentia Papa XII. pro Paterna charitate, quà Religioſos Ordines multis, magniſque in Eccleſiam Dei meritis refulgentes, & peculiaris erga Sedem Apoſtolicam devotionis nomine commendatos complectitur, volens eorum conſervationi & propagationi conſulere, ſimùlque ex injuncto ſibi cœlitùs Paſtoralis officii debito providere, ut Regularis in iis Diſciplina ad Religioſorum ſalutem, & totìus Chriſtiani Populi ædificationem, utilitatemque ſarta tecta cuſtodiatur, ac vigeat, & ſicubi collapſa eſt, adjuvante Domino, reparetur, conſtituit & declaravit, ſe licentiam recipiendi Novitios in ſingulis approbatis Ordinibus benignè conceſſurum, ut volentibus è periculoſis Sæculi fluctibus ad Religionis portum confugere, facilis, tutusque aditus aperiatur; dummodò tamen obſerventur ea, quæ pro Regulari vita rectè inſtituenda tam à Sacroſancta Synodo, quàm à Prædeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, præcipuè verò felicis recordationis Clemente VIII. in Decretis Generalibus pro Regularium reformatione, necnon Innocentio X. & Alexandro VII. Novitiorum receptione, & Profeſſorum educatione ſalubriter conſtituta ſunt, quibus om

n

nibus firmiter inhæret Sanctitas Sua, eaque, quatenùs opus sit, confirmat & renovat .... Quocircà Sacra Congregatio, ab eodem Sanctissimo Domino Nostro super Disciplina Regulari specialiter deputata, quæ plura hactenùs pro recta nonnullorum Monasteriorum gubernatione Decreta edidit, aliaque in dies editura est, ut omnibus præfata ejusdem Sanctissimi Domini Nostri mens pateat, & celeriùs innotescat, de mandato Sanctitatis Suæ præsentis Decreti tenore denuntiat omnium & singulorum Ordinum Regularium Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus, cæterisque, ad quos spectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam & Insulas adjacentes quamprimùm deputent aliquos Conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum saltem, ibique authoritate Apostolica statuant omnimodam observantiam Regulæ, Constitutionum uniuscujusque Ordinis, & Decretorum Apostolicorum, præcipuè verò exactæ vitæ communis ad formam eorumdem Decretorum ab omnibus Religiosis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii & Professi educandi sunt, morabuntur, omninò servandæ. Postquàm verò Regularem observantiam, & signanter quoad exactam vitam communem cum effectu stabilitam fuisse, eidem Sacræ Congregationi sufficienter constiterit, tunc Sanctitas Sua antedictam licentiam, quam hactenùs distulit, Novitios ibi recipiendi benignè concedet, & locum ad Professos pietate & litteris instituendos usque ad Sacerdotium, vel aliàs, juxtà antiquas & laudabiles cujusque Ordinis consuetudines, in iisdemque Conventibus, non autem in aliis, nisi fuerint ejusdem Observantiæ, destinabit. Quæ quidèm omnia, quò faciliùs, efficaciùs & durabiliùs ad praxim deduci valeant, eadem Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ au-

thoritate committit , & in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit præfatis Superioribus , ad quos pertinet , ut in supradictis Conventibus non collocent , nisi Religiosos graves , devotos, exemplares, Regularis Observantiæ & puritatis Regulæ studiosos , orationi præsertim ac mortificationi , sine quibus non potest Religiosa vita consistere , addictos , quique consentiant exactè servare vitam communem , atque inde amoveant eos omnes , qui tam Sanctæ Ordinationi contradicere , seu verbis , aut factis, quoquo modo se se opponere audeant .... Præcipit etiam eadem Sacra Congregatio Superioribus , *ut memoratis Conventibus præfici omninò curent Viros non solùm disciplinæ zelo , sed etiam charitate & morum suavitate præditos, compatientes, fraternitatis amatores , misericordes , quorum regimini libenter alii se submittant . Studeant verò præcipuè , ut ea omnia , quæ tam ad victum & vestitum, quàm ad reliquas vitæ necessitates pertinent , singuli Religiosis promptè subministrentur , ac præsertim ægritudinis tempore nihil alicui desit , quod ad sanitatem recuperandam pertineat*. Postremò , nè Regular Disciplina , dùm in Conventibus jam erectis st tuitur , relaxetur in erigendis , eadem Sacra Con gregatio, Sanctissimo Pontifice *Innocentio XII.* ap probante , statuit atque decernit , *nulla in posterù Monasteria , Collegia , Domos , Conventus , aut ali Religiosorum loca fundari , erigi , aut quovis modo i stitui debere , nisi sub expressa obligatione exactæ vi communis ab omnibus Religiosis ibi commorantib perpetuò & inviolatè servandæ , ac propterea null deinceps admittendas hujusmodi fundationes , nisi, pr ter alia ad id requisita , priùs legitimè constiteri adesse annuos redditus , vel certam eleemosynaru spem*

ſpem, quibus duodecim ſaltèm Religioſi in exacta vita communi commodè valeant ſuſtentari. Hoc Sacræ Congregationis, à Sanctiſſimo Pontifice *Innocentio XII.* ſuper Diſciplina Regulari ſpecialiter deputatæ, ſaluberrimum Decretum extat integrum in *Collectione Bullarum, Conſtitutionum, Brevium, & Ordinationum Innocentii XII.* quæ Romæ Typis Cameræ Apoſtolicæ edita eſt anno MDCXCVII. O' utinam! omnes Diſciplinæ Monaſticæ, ſeu Regularis, cultores ad hanc vivendi normam mores ſuos exigere ſatagerent, primævæ ſuorum Ordinum Regulæ obſervantiam reſtaurarent, ſeque ad vincendas omnes difficultates, quæ ab hac cœleſti ineunda via timidos deterrere poſſunt, viciſſim adhortarentur eâ præclarâ Sententiâ, quam *Lactantius* libri VI. *Inſtitutionum Divinarum* cap. IV. tradit, hiſce elegantiſſimis verbis expreſſam: *Via illa cœleſtis*, inquit, *difficilis & clivoſa propoſita eſt, vel ſpinis horrentibus aſpera, vel ſaxis extantibus impedita, ut cum ſummo labore ac pedum tritu, cumque magna cadendi ſollicitudine ſit cuique gradiendum. In hac*(ſeu via) *poſuit*, Deus, *juſtitiam, temperantiam, patientiam, fidem, caſtitatem, abſtinentiam, concordiam, ſcientiam, veritatem, ſapientiam, cæteraſque virtutes, ſed ſimùl cum his paupertatem, ignominiam, laborem, dolorem, amaritudines omnes .... juſtus ergò, quoniam durum aſperumque iter ingreſſus eſt, contemptui, deriſui odio ſit, neceſſe eſt. Omnes enim, quos cupiditas aut voluptas præcipites trahit, invident ei, qui virtutem capere potuit, & iniquè ferunt id habere aliquem, quod ipſi non habent. Erit itaque pauper, humilis, ignobilis, ſubjectus injuriæ, & tamen omnia, quæ amara ſunt, perferens: Et ſi patientiam ju-*

gem ad summum illum gradum finemque perduxerit, dabitur ei corona virtutis, & à Deo pro laboribus, quos in vita propter justitiam pertulit, immortalitate donabitur.

D. Quod olim Apostolo *Paulo* (sicut nuperrimè cap. XXVII. vers. 28. Actuum Apostolorum legebam) causam suam contra Judæos, acerrimos ejus insectatores, peroranti, respondit Rex *Agrippa*: *In modico*, Paule, *suades me Christianum fieri*, idem tibi, de perfectione & sanctitate Monasticæ Vitæ, seu Regularis Disciplinæ differenti, lubenti animo dicam: *Parùm abest, quin mihi suadeas, ut nuncium Mundo remittam, & arctiorem Disciplinam Regularem amplectar*. Verùm, ut istud, quod mox animum meum incessit, desiderium suscipiendæ cucullæ, majus possit suscipere incrementum, percense, quæso, Viros illos illustres, qui Sæculo XVII. ardentissimo zelo incensi, primævum Monasticæ Vitæ, seu Regularis Disciplinæ nitorem revocarunt.

M. *Opto* sanè, charissime Discipule (ut verbis utar ejusdem Apostoli *Pauli*, Regi *Agrippæ* respondentis) *Opto*, inquam, *apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis ego sum* &c. Nec dubito, quin sanctum illud propositum, quod, divinâ afflante gratiâ, animum tuum subiit Regularem vitam profitendi, magis inardescat, & altiores radices agat in corde tuo, postquàm in medium produxero celebres Viros, & immortali memoriâ dignos, qui Patrum suorum zelum incredibili fervore æmulantes, & nulli labori, nullis vigiliis, nullis respectibus humanis parcentes, Mona

nasticam, seu Regularem Disciplinam, multis in Cœnobiis Sæculo XVII. restituerunt, eamque sanctissimis legibus munierunt. In primis, inter Observantiæ Regularis Sæculi XVII. Restitutores jure optimo recenseri debent duo Familiæ Dominicanæ Alumni, natione Galli, *P. Sebastianus Michaelis*, & P. *Antonius Cuveus*, quorum primus eximiâ pietate præditus, plures in Galliis Ordinis Prædicatorum Conventus reformavit; Alter verò novam in Gallo-Provinciâ, annuente Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, instituit Congregationem sub nomine *Sanctissimi Sacramenti*, in qua Religiosi Dominicani Constitutiones Ordinis ad strictos juris apices observant, summæ paupertati addicti, annuis redditibus etiam in communi carent, in Missionibus jugitèr insistunt, Oppida pedibus peragrant, verbo Dei reficiunt, exemplis permovent, Confessiones excipiunt, parvulos Doctrinâ Christianâ imbuunt, & post exantlatos Apostolicæ vitæ labores, sæpè sunt pane & aquâ crudâ contenti, ad novos labores semper vegeti, semper alacres, nunquàm fessi, vultu hilares, in oratione continui, in austera vivendi ratione sibi perpetuò constantes. Ad restaurandam itidèm Ordinis *Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum* primævæ Regulę observantiam plurimùm in Gallia laboravit Venerabilis Pater ejusdem Ordinis *Hieronymus à Sanctissimo Sacramento*, qui Romam missus, Diploma obtinuit à *Clemente VIII.* ut in Gallia reformatam Congregationem erigeret, eique facultatem concessit *Paulus V.* ut duas ejusdem Ordinis Provincias Franciæ jurisdictioni unius Vicarii Generalis subiiceret. Tandèm à *Gregorio XV.* Litteras Apo-

stolicas, & ab *Urbano VIII.* anno MDCXXIX. Breve accepit erectionis & confirmationis Gallicanę Cōgregationis Discalceatæ *Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum*, eamque primùm Romæ instituit in Conventu S. *Dionysii*, cujus ipse in Monte Exquilino fundamenta jecit, & in quo piè obiit die XXX. mensis Januarii anni MDCXXXVII. Hęc Gallicana Ordinis *Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum* Discalceata Congregatio per hoc præsertim distinguitur ab altera ejusdem Ordinis Discalceata Congregatione, quæ viget in Hispania, quòd Religiosi Gallicanæ Congregationis Discalceatæ Vestes deferant omninò albas, sicut in prima hujus Ordinis Redemptionis Captivorum erectione statutum fuerat; quem antiquum habitus Ordinis colorem immutarunt Hispanæ Congregationis Discalceatæ prædicti Ordinis *Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum* Religiosi. Verùm, inter Congregationes, in quibus Sæculo XVII. refloruit Monastica, seu Regularis Disciplina, principem locum tenere debet Benedictina Sancti *Mauri* Congregatio, quæ ad petitionem Christianissimi Regis *Ludovici XIII.* in Galliis sub Pontificatu *Gregorii XV.* anno MDCXXI. erecta fuit, & confirmata ab *Urbano VIII.* anno MDCXXVII. Hæc, inquam, Congregatio præ cæteris aliis, quæ Sæculo XVII. originem habuerunt, commendari debet, quia pietate, eruditione & laboribus, Reipublicæ Christianæ utilissimis, eo Sæculo maximè floruit, & universam etiamnum Ecclesiam illustrat. Hujus celeberrimæ Congregationis pietatem non longa dies, inimica rebus optime constitutis, imminuit, non ipsa rerum humanarum fatalis conditio, ut non sint

sint admodùm diuturnæ, labefactavit; non varietas temporum ejus disciplinæ rigorem laxavit, sed potiùs in avita Ordinis S. *Benedicti* severitate Disciplinæ, & in iisdem Institutis adhùc inhæret acriter, ab iis ne latum quidèm unguem discedit, in iisdem diurnis ac nocturnis precibus jugiter insistit, easque non sine suavissimo sensu pietatis, ac sanctissimarum Cæremoniarum apparatu ac veneratione celebrat laudatissima illa Congregatio, in cujus Monasteriis, veræ pietatis Sanctuariis, mirantur omnes Templorum nitorem, Divinæ rei faciendæ curam, Monachorum mores, cultum, numerum, modestiam, gravitatem, sanctimoniam, eorumque Conventus ad sartam tectam conservandam Monasticam Disciplinam frequentes. De eruditione verò, & Litterariis Operibus, quibus clarissimæ hujus Benedictinæ S. *Mauri* Congregationis Monachi indefesso studio incumbunt, hoc unum dumtaxat dicam, videlicet ex Illustrissima illa Congregatione, quæ est instar *Civitatis illius in Monte positæ*, innumeros prodiisse, & nunc etiam prodire eruditos Monachos, quorum Operibus antiquitas, cùm Sacra, tùm Ecclesiastica & prophana fuit illustrata, Ecclesia adversùs Hæreticorum insultus strenuè propugnata, & invictis propugnaculis munita, Sanctorum Patrum doctrina egregiè vindicata, asserta, ac explanata, pristinus bonis artibus & disciplinis restitutus splendor, totique Reipublicæ Litterariæ, ex qua modò in omnes terrarum tractus, quasi plenis portis, Christianorum Heroum agmina funduntur, conciliatum immortale decus & ornamentum.

D. Per-

D. Percensuistine omnes Congregationes, quæ ad Monasticam, seu Regularem restaurandam Disciplinam Sæculo decimò septimo fuerunt institutæ?

M. Novæ, & strictioris Monasticæ Disciplinæ Ordinis Cisterciensis, Congregationi initium in Galliis Sæculo XVII. dedit *Armandus Jo: Butillierius Rancæus*, Abbas Monasterii B. *Mariæ Domus Dei de Trappa*, Ord. Cisterciensis. Ex nobilissima Prosapiâ Parisiis die IX. mensis Januarii an. MDCXXVII. natus *Butillierius Rancæus*, ac politioribus litteris, linguæ Græcæ notitiâ, necnon Philosophicis & Theologicis excultus Disciplinis, in Ordinem Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis fuit cooptatus. Sacerdotio inauguratus, & pingui Beneficiorum Ecclesiasticorum proventu locupletatus, à rectâ salutis viâ deflexit, licentioris vitæ quæsivit oblectamenta, & Mundi procellis se commisit, ex quibus tamen, singulari Dei gratiâ, quæ ut inquit Augustinus, *inclinandorum cordium omnipotentissimam habet potestatem*, ad pœnitentiam à Deo vocatus, feliciter emersit, viamque salutis ingressus, rebus fluxis ac propediè perituris nuncium remittere, totumque sese Deo consecrare statuit. Hoc Propositum, quod altè animo hærebat, quò faciliùs ad optatum exitum perducere posset, duabus Abbatiis, totidèmque Prioratibus, quibus jure *Commendæ* præerat, se ultrò abdicavit, & unam tantùm Abbatiam Monasterii B. *Mariæ Domus Dei de Trappa*, Ordinis Cisterciensis, quam, ut Abbas Commendatarius, possidebat, sibi servavit, suumque amplissimum trecentarum milliès librarum Patrimonium Parisiensi Zenodochio Pauperum dono de-

dedit. Sic ab omni curatione & administratione proventuum cùm Ecclesiasticorum, tùm Sæcularium liber *Butillierius Rancæus*, abjectâ omni cunctatione, Religiosæ vitæ tirocinium posuit in Monasterio B. *Mariæ de Persenia*, strictioris Observantiæ Monasticæ Disciplinæ, Ordinis Cisterciensis, atque in eo probationis suæ stadium iniit die XIII. mensis Junii anni MDCLXIII. Eo emenso probationis anno cum summo spiritus fervore, & incredibili severioris Disciplinæ Monasticæ studio, ad reformandum Monasterium B. *Mariæ Domus Dei de Trappa*, cujus ex Abbate Commendatario evasit Abbas Regularis, sese accinxit. Longum esset hìc recensere molestias, quas in hoc perficiendo Reformationis negotio devorare cöactus fuit religiosissimus Abbas, qui tandèm, placidè toleratis animorũ Monachorũ æstibus, querulis vocibus ac diris, quas, ferendæ rigidioris disciplinæ impatientes, ei sæpius imprecabantur, eos coërcuit, & ad rigidissimum vivendi genus, juxta primævos Ordinis Cisterciensium Usus, Verbo & exemplo induxit. A' novis & peregrinis doctrinis semper abhorruit, præsertim ab infestis laxiorum Casuistarum opinionibus confixis à Summis Pontificibus, in quas jure optimo invehitur in Epistola, quam scripsit, quamque integram in ejus vita, Gallicè scriptâ, refert *Jacobus Marsollier*. Ad instituendos Monachos circa Monasticæ vitæ officia, librum Gallicè edidit *de Sanctis Monasticæ Vitæ Officiis*, eleganti, nitido, & nobili stylo conscriptum, atq; reconditam Monasticæ Disciplinæ notitiam continentem. Sed cùm solam Sacrorum, vel Asceticorum librorum lectionem Monachis permitti debere,

re, eisque ad cæteras Artes, Scientias, & Disciplinas perdiscendas, vel ad lectitandas cæterorum Scriptorum lucubrationes aditum præcludendum esse, sanxisset clarissimus ille Abbas; Litterariam Concertationem *de Studiis Monasticis* habuit cum *Joanne Mabillonio*, doctissimo Monacho Benedictino Congregationis S. *Mauri*, in qua tamen raram, his præsertim temporibus, in scribendo moderationem ambo tenuerunt, & ne qua vel levissima tecti in corde odii suspicio in eorum animis oboriri posset, *Mabillonius* ultrò adiit religiosissimum Abbatem, habiturus ei honorem, suaque obsequia exhibiturus. Quod sanè Abbati tam gratum fuit, quàm quod maxime, palamque ambo, ultrò citròque datis sinceræ observantiæ ac venerationis significationibus, demonstrarunt, veterem amicicitiam, hac litterariâ disceptatione ne vel minimùm quidem refrixisse. Monasterio Trappensi per plures annos præfuit Abbas *Butillierius Rancæus*, omniaque boni & omnibus numeris absoluti Pastoris munia ardenti zelo cum eximia pietate conjuncto obivit. Tempus, vigilias, prudentiam, aliaque præclara ornamenta, quæ à Deo acceperat, ad salutem Fratrum impertiens, omnibus omnia fiebat, ut omnes Christo lucrifaceret. Corripiebat inquietos, consolabatur pusillanimes, suscipiebat infirmos, patiens erat ad omnes, totusque in id incumbebat, ut Monachi, quorum curam ei Deus crediderat, aureos Patrum suorum *Benedicti* & *Bernardi* mores & vitam exprimerent. Hinc volitante ubique famâ & omnium gentium commendatione floruit, magnoque in pretio habitus est à Regibus ac Principibus, præsertim

Chri-

Christianissimo Rege *Ludovico XIV. Jacobo II.* Magnæ Britanniæ Rege, & *Cosmo III.* Magno Etruriæ Duce, apud quos jure optimo audiebat primigenii spiritus Ordinis Cisterciensis restitutor, & pristinorum Usuum perpetuus ac indefessus cultor. Tot virtutibus clarus,& non minùs doctrinâ,quàm pietate toto orbe celebris Abbas *Butillierius Rancæus*, piè, ut vixerat, obiit, & ad Deum migravit die XXVI. mensis Octobris anni MDCC. Si plura præstantissimi illius Abbatis, cujus memoria in benedictione est, doctrinâ, vitâ & moribus scire desideres, legesis ejus vitam Gallicè eleganti stylo descriptam à *Jacobo Marsollier*, & librum quē nuperrimè,seu an.MDCCXVIII.in lucem edidit R.P.F. *Malachias D'Inguimbert*, insignis Monasterii Sanctorum *Joannis & Pauli* Casæmarii Strictioris Observantiæ Monachus Cisterciensis, cuique hunc præfixit titulum: *Genuinus Character Reverendi admodùm in Christo Patris D. Armandi Joannis Butillierii Rancæi, Abbatis Monasterii B.Mariæ Domus Dei de Trappa.*

D. Quinam sunt Veteres illi Ordinis Cisterciensis Usus, quorum penè antiquatam Observantiam in Monasterio B. *Mariæ Domus Dei de Trappa* revocavit ac restauravit vigilantissimus ille Abbas *Armandus Butillierius Rancæus*, cujus nomen ac laudes celebrat fama longè latèque diffusa?

M. Veteres Cisterciensis Ordinis Usus, sunt illi, quos S. *Benedictus* in sua Regula præscripsit, & quos S. *Bernardus* Monachis Cisterciensibus adamussim observandos proposuit. Hos itaque Veteres Cisterciensis Ordinis Usus Abbas *Butillierius Rancæus* in integrum restituit in Monasterio Trappen-

pensi, quod in Galliis positum est in ima Diœcesis Sagiensis Valle solitaria, quam densus & vastus saltus tegit, & varias in partes plurima immania stagna dividunt. Eosdem veteres Cisterciensis Ordinis Usus, quos in Monasterio Trappensi revocavit jam laudatus Abbas, Monachi strictioris Observantiæ Ordinis Cisterciensis, qui rigidissimum illius Abbatis vivendi genus amplexi, ejus vestigia sectantur, tanto cum fervore etiamnùm ad minimos usque apices retinent ac observant, ut de hoc religiosissimo Abbate *Butillierio Rancæo*, jam è vivis sublato, sed in filiis suis redivivo, verè id dici possit quod S. *Ambrosius* ait de *Theodosio Magno* Imperatore in Oratione de illius obitu, ubi hæc habet: *Ergò tantus Imperator recessit à nobis, sed non totus recessit; reliquit enim nobis liberos, in quibus eum debemus agnoscere, & in quibus eum & cernimus & tenemus*. Et sanè, si quis Monachorum Cisterciensium strictioris Observantiæ Disciplinę, qui Abbatem *Butillierium Rancæum* Patrem, ac Ducem Monasticæ Disciplinæ tàm in Gallia, quàm in Italia se habere gloriantur, vitam, moresque inspiciat, si subodoretur suavissimum odorem virtutum omnium, quibus inculta horridaque eremus, quam incolunt, suffunditur; ultrò fatebitur, in his Monachis, velùt in suis genuinis filiis, reviviscere *Butillierium Rancæum*, vivamque illius Abbatis, omni laude superioris, imaginem in eorum vultu, ore, habitu, totiusque vitæ ratione adhuc expressam mirum in modum relucere. At enim, ut pauca, ne longior sim, de illius Sanctissimi Instituti Legibus & Usibus attingam; abstinent illi Monachi, severioris Disciplinæ Ordinis Cister-

cien-

ciensis, vulgò à primo illorum in Galliis Monasterio dicti *della Trappa*, abstinent, inquam, semper à carnibus, ovis, & piscibus, præterquàm dùm morbo laborant. Oleo & butyro in Refectorio non utuntur, solis herbis, leguminibus, & radicibus, lacte aliquandò condîtis, contenti. Juge silentium observant, nec ullam vocem emittunt, nisi ad Dei noctu diuque celebrandas laudes, vel ad pia exempla aliis præbenda, aut ad mutuas culpas summâ charitate in Capitulo coràm Abbate emendandas. Calceati incedunt, & Cucullâ utuntur albâ, circà lumbos coriaceo cingulo præcinctâ, etiam nocte. Suprà paleas induti dormiunt, deposito tantùm amplo Capucio, huic ferè simili, quod Monachi Fulienses ferunt. Cucullam albam dumtaxat exuunt, dùm singulis diebus per aliquot horarum spatium culturæ horti dant operam, nisi dies Festus impediat, vel in Culinæ operibus, aliove quovis labore, ad eorum vitam sustentandam necessario, occupentur. Cupiditati mortui, perpetuâ maceratione carnem affligunt jejuniis, quæ præsertim à Festo Exaltationis S. Crucis, hoc est, à die XIV. mensis Septembris usquè ad Pascha, exceptis diebus Dominicis, & die Natali Christi Domini, perquàm accuratè observant. Eorum Templa superfluis planè spoliantur ornamentis, nec auro, nec argento fulgent, sed priscam redolent paupertatem, & Ministrorum pietate, modestiâ, ardentique in Deum charitate potissimùm ornantur. Exoculatam obedientiam Abbati sine mora exhibent, totique ab illius nutu & imperio pendentes, quocùmque ducuntur, sine contradictione eunt, & quodcumque eis imponitur onus abs-

absque ulla reluctatione ferunt. Nusquàm apud eos audiuntur lites, nusquàm contentio; sed altissima regnat pax, ac continuò vigent immensa charitas, jucunda mentis tranquillitas, unitas, concordia, atque à Mundi tumultuum strepitu mira libertas. Propedièm morituri in terram in cilicio & cinere deponuntur, ibique Sacro Extremæ Unctionis oleo delibuti, instar victimæ holocausti super Altare positæ, consummato sacrificio, placidè in Domino moriuntur. Hi sunt Veteres Ordinis Cisterciensium Usus, quos à Religiosissimo Abbate *Joanne Armando Butillierio* in Monasterio B. *Mariæ Domus Dei de Trappa* restitutos observant strictioris Disciplinæ Monachi Cistercienses, qui sub egregii illius Reformatoris Vexillo militare gloriantur. Quò fit, ut de illis Monachis Cisterciensibus, vulgò dictis *della Trappa*, id jure optimo dicere possim, quod olim Venerabilis *Petrus*, Abbas Cluniacensis, in Epistola XVI. in laudem antiquorum Monachorum Cisterciensium scripsit: *Sicut Esdras legem, & Machabæi ruinas templi, sic illi* (seu Monachi Cistercienses) *Monastici Ordinis detrimenta, ac Monasteriorum, morumque ruinas repararunt; ac delicatis magis, quàm necessariis, condescensionibus explosis, ad antiqui & primi fervoris morem, suorum temporum teporem revocarunt*. Plura, circà horumce Monachorum strictioris Observantiæ, Ordinis Cisterciensis, Leges, Usus, ac Constitutiones, videsis in libro, quem Reverendissimus Abbas Monasterii *Boni Solatii*, vir doctrinâ & pietate conspicuus, & quē ipse patris loco colo ac veneror, anno MDCCXVIII. Florentiæ in lucem edidit, cuique hunc inscripsit titulum: *Breve Rag-*

gua

guaglio delle Costituzioni delle Badie della Trappa, di Buonsollazo, è di Casamari della stretta Osservanza dell'Ordine Cisterciense. Qui titulus sic latinè redditur: *Compendiosa Relatio Constitutionum, quæ observantur in Abbatiis B. Mariæ Domus Dei de Trappa, Boni Solatii, & Casæmarii, strictioris Observantiæ Ordinis Cisterciensis*. Author etiam tibi sum, ut interdùm legas Vitas Monachorum, qui in Monasterio B. *Mariæ Domus Dei de Trappa*, post expiatam diuturnâ & laboriosâ pœnitentiâ flagitiosam vitam, quam duxerant in Sæculo, sanctè objerunt. Horumce Monachorum Vitas Gallicè descriptas, paucis abhinc annis Italico Idiomate donavit pius juxta ac doctus Abbatię *Boni Solatii* Monachus, easque Florentiæ anno MDCCXV. vulgavit eo præfixo titulo: *I Prodigj della Grazia espressi nella Conversione di alcuni grandi Peccatori, morti da veri Penitenti nel Monastero della Trappa, della stretta Osservanza Cisterciense*: idest: *Prodigia Divinæ Gratiæ, quæ sese produnt in conversione aliquot projectæ conscientiæ peccatorum, qui, ut veri Pœnitentes, in Monasterio B. Mariæ Domus Dei de Trappa strictioris Observantiæ Ordinis Cisterciensis mortui sunt*. Verè ejusmodi Peccatorũ sinceræ ac constantes Conversiones, in perferendo laboriosæ pœnitentiæ rigore perseverantia, ac tandem pretiosa mors appellari debent *Prodigia Gratiæ*, quæ suapte vi & efficaciâ facit, ut inquit S. *Augustinus*, ex nolentibus volentes, ex dissentientibus consentientes, ex injustis justos, ex peccatoribus pœnitentes, atque in accepta justitia perseverantes reddit, insertâ cordi suavitate ac delectatione.

D. Magno errore, in quo versabar, me pro-

fectò levasti. Existimabam quippè, vanis quorumdam sermonibus delusus, antiquos Monachos Cistercienses nunquàm professos fuisse illos Usus, seu austerum istud strictioris Observantiæ Disciplinæ genus, quod nunc Cistercienses Monachi, dicti *de la Trappa*, amplexi sunt; indèque eorum Instititutum, quasi novitatem redoleret, ac inusitatum planè induceret breviandæ vitæ modum, improbare haud verebar. At ab eo errore modò penitùs liber, scire velim, an verum sit id, quod dictitant nonnulli, videlicèt istud Monachorum, qui vulgò *de la Trappa* nuncupantur, Institutũ nec à Sede Apostolicâ confirmatum, nec ab Abbatibus Generalibus Ordinis Cisterciensis fuisse unquàm approbatum?

M. Institutum Monachorum, qui *de la Trappa* communiter appellantur, à Sede Apostolica confirmatum, & ab Abbatibus Generalibus Ordinis Cisterciensis approbatum fuisse multis momentis demonstratur. Primò, quia, Religiosissimus Abbas *Buttillierius Rancæus*, dum flexam & exoletam Monasticam Disciplinam in Monasterio Trappensi in rectum revocavit, non novos condidit Usus, sed sicut jam observavimus, primævum Ordinis Cisterciensis nitorem, veteres Usus, ac potissima antiquorum Cisterciensium Monasticæ Disciplinæ Exercitia induxit in suum Monasterium, in quo conditione rerum humanarum semper in præcep ruentium, hæc jam pridem obsoleverant, pravi que inoleverant Usus, quibus primariam S. *Benedicti* Regulam, & veteres Cisterciensium Monachorum Usus præponi debere jure optimo sanxit vig lantissimus ille Abbas. Cùm igitur veteres Mona ch

chorum, cùm Benedictinorum, tum Cisterciensium Usus à Summis Pontificibus fuisse confirmatos nemo inficias ire possit, palam est, Institutum quoque Monachorum Cisterciensium, qui vulgò *Trappenses* appellantur, quique à veteribus Monachorum Cisterciensium Usibus ne transversum quidem unguem discedunt, à Sede Apostolica confirmatum censeri debere. Præthereà, hanc Reformationem Ordinis Cisterciensis, ab Abbate *Buttilliero Rancæo* in Monasterium Trappense inductam & stabilitam impensè laudavit *Innocentius XI.* Pontifex Maximus in Brevi Apostolico, quod ad eumdem Abbatem misit, quodque datum est die XI. mensis Augusti anni MDCLXXVIII. Quin & *Clemens Undecimus* Summus Pontifex, precibus Magni Etruriæ Ducis *Cosmi III.* annuere volens, aliquot è Gallia Monachos strictioris Observantiæ Ordinis Cisterciensis, degentes in Monasterio Trappensi, in Etruriam adscivit, eisque Monasterium *Boni Solatii*, Ordinis Cisterciensis, quod est propè & extra muros Civitatis Florentiæ, concessit Litteris Apostolicis, datis die 19. mensis Sept. an. MDCCV. Denique, idem Pontifex ad petitionē sui ex fratre germano Nepotis Card. *Albani*, à Monasterio Casæmarii, Verulanensis Diœcesis, Ordinis Cisterciensis, amovit Abbatem & Monachos Provinciæ Romanæ Congregationis Italicæ, Ordinis Cisterciensis, & in idem Monasterium, cujus Abbas, seu perpetuus Commendatarius est laudatus Cardinalis *Albanus*, introduxit Monachos strictioris Observantiæ Ordinis Cisterciensis *della Trappa* nuncupatos, ut liquet ex Litteris Apostolicis hujus Summi Pontificis *Clementis XI.* datis die VII. mensis Aprilis anni

MDCCXVIII. Ex his Pontificiis Diplomatibus, quæ integra leguntur in libro, quem nuperrimè à Reverendissimo Abbate Monasterii *Boni Solatii* editum, paulò ante indicavi, apertè constat, hanc Monachorũ Abbatię B. *Mariæ Domus Dei de Trappa*, Ordinis Cisterciensis, Reformationem, seu strictiorem Monasticæ Disciplinæ Observantiam, Summis Pontificibus acceptam, multùmque probatam fuisse, cùm eam non sòlùm sartam tectam conservare, sed etiam propagare maximè in votis habuerint. Nec minùs ad eam fovendam ac protegendam strictioris Monasticæ Disciplinæ Observantiam propensa fuit voluntas Generalium Abbatum Ordinis Cisterciensis, qui, ad obstruenda quorumdam obtrectatorum ora loquentium iniqua, palàm testati sunt, se nihil tam curæ ac cordi habere, quàm ut strictiorem hanc Cisterciensis Ordinis Observantiam non modò protegerent, ac zelo charitatis complecterentur, verùm etiam pro viribus diffunderent, ac latiùs propagarent. Reverendissimus P. *Nicolaus Larcher*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, Abbas Cistercii, & Universi Ordinis Cisterciensis Caput, ac Superior Generalis, publicum testimonium eâ de re die IX. mensis Julii anni MDCCXI. dedit his verbis conceptum: *Strictiorem Ordinis nostri Observantiam, cœlesti irrigante Agricola, juxta primitivas Patrum nostrorum Institutiones, è Monasterio de Trappa, non sine ingenti gaudio, in Bono Solatio, & aliis pluribus Monasteriis transplantatam comperimus magnum accepisse incrementum, ac peruberes virtutum omnium fructus mirum ubique sparsisse suavitatis odorem*. Ac paucis interjectis, subdit: *Cunctis notum faci-*

faeimus, re maturè perpensa, ex relatione proborum virorum nobis factà illud Disciplinæ Regularis genus, in prædictis de Trappa, Bono Solatio, & aliis ejusmodi Monasteriis practicatum, nihil aliud esse, quàm Sanctiores Exercitationes Regulæ D.Benedicti, & Ordinis nostri Cisterciensis antiquis Usibus, ac Institutis omninò conformes esse declaramus: Cumque fuerint hæ ab initio usque nunc à SS. Pontificibus semper confirmatæ, ita & illam Observantiam immeritò novitatis, aut immoderationis esse suspectam profitemur; eò vel maximè, quo feliciter regnans SS. Dominus Noster Clemens Papa XI. illius Alumnos singularibus in dies cumulare conatur favoribus, & gratiis, necnon aliis eam amplectendi licentiam benignè impertiri dignatur, in invidorum confusionem, debilium stimulum, fortium ædificationem, & omnium æmulationem &c.

Hocce publicum testimonium confirmavit, novumque ei robur addidit Reverendissimus P. *Edmundus Perrot*, Universi Cisterciensis Ordinis nunc Generalis Abbas. Ille quippè Prædecessorum suorum Edictis inhærendo, Litteras die XVIII. Januarii anni MDCCXVI. dedit, in quibus decernit primò, Monachos, apud quos in Monasteriis *de Trappa* & *Bono Solatio* viget strictioris Monasticæ Disciplinæ Observantia, veros esse Religiosos Ordinis Cisterciensis Professos, eosque ad restaurandam tuendamque Disciplinam regularem fuisse à Deo suscitatos. Secundò, declarat, assiduas preces, asperitatem victus, arctam pauperiem, aliaque pœnitentiæ opera, quibus in prædictis *de Trappa* & *Bono Solatio* Monasteriis Deus in spiritu & veritate colitur, nihil aliud esse, quàm accuratas D. *Benedicti*, & antiquorum Ordinis Cisterciensium Usuum

exercitationes à Summis Pontificibus confirmatas, ac ſubindè prædictam Monaſticæ Diſciplinæ ſtrictiorem Obſervantiam, novitatis, inſolentiæ, aut inconſiderationis ſuſpicionem non mereri, ſed potiùs dignam eſſe, quæ majoribus in dies Cœli cumulata benedictionibus ab omnibus Ciſtercienſis Ordinis Superioribus gratiis & favoribus excipiatur. Hæc paulò fuſiùs referre neceſſarium eſſe duxi, ut intelligeres, quantùm Summis Pontificibus, & Abbatibus Generalibus Ordinis Ciſtercienſis, omnibuſque Viris piis probata ſit hæc ſtrictior Regularis Diſciplinæ Obſervantia, in quibuſdam Monaſteriis ejuſdem Ordinis inſtaurata; & quàm graviter hallucinentur nonnulli, qui, ultrà naſum ſuos non defigentes oculos, ſibi perperàm perſuadent, Monachos, hujuſce ſtrictioris Diſciplinæ Obſervantiæ cultores, & Eremi incolas, miſeram in continuis pœnitentiæ laboribus vitam trahere; cùm tamen certò certius ſit, illos, mirâ charitatis dulcedine perfuſos, innumeris tàm internis, quàm externis abundare delitiis, quia vera & unica voluptas, gaudium eſt puræ conſcientiæ: lautiſſimæ epulæ ſunt, ſtudium Sanctarum Scripturarum: jucundiſſimæ cantilenæ, nocturna ac diurna Pſalmorum recitatio: ſummæ delitiæ, fruitio veri. Hæc ubi ſemel deguſtarunt pii illi Solitarii, nihil tam pretioſum, nihil tam voluptarium mundus hic poſſidet, quicum velint permutare. Illis dulciores ſunt ſuæ lacrymæ, quàm impiis riſus, cachinni, jocique ſui. Illis jucundiora ſunt jejunia, & lautiores menſę, herbis & leguminibus inſtructæ, quàm divitibus, qui cupiditati indulgent, delicatiores cibi, & ſumptuoſa convivia. *Da amantem*

& ſen-

& sentit quod dico: da desiderantem, da ferventem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem: da talem, & scit quid dicam. Verba sunt Sancti *Augustini* Tract. 26. in *Joannem*. Viden, Charissime Discipule, quâ libertate, quâ tranquillitate, quâ voluptate, quâ spe in horrenti solitudine fruantur pii Monachi immodicâ licèt confecti inediâ, vigiliis propè perpetuis macerati, & tantis pœnitentiæ laboribus attriti, quorum cruces, ut loquar cum *Bernardo*, mundus videt, unctiones non videt. *O quoties*, inquit Sanctus Hieronymus, *in Eremo constitutus, in vasta illa solitudine, quæ exusta Solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum, putavi me Romanis interesse delitiis. Et, ut mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post Cælo oculos hærentes, nonnunquàm mihi videbar interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudensque cantabam: Post te in odorem unguentorum tuorum curremus*. O fortunatam igitur Incolarum Eremi sortem, quorum pauperie nihil locupletius, servitute nihil liberius, labore nihil quietius, inedia satura, angustiæ spatiosissimæ, mæror jucundissimus, amaritudo perquàm suavis, vigiliæ somno quovis gratiores, vita felix, mors felicior, quam vita consequitur felicissima.

D. Certè nunc intelligo, non in Urbium, hominumque frequentia, non in negotioso fori strepitu, non in aulæ tumultu fastidioso, veram illam, cujus amore teneor, inveniri posse felicitatem, quæ potiùs celebritates odit, mundanos homines fugit, avias solitudines persequitur, locos inaccessos incolit, & urbanis negotiis procul, suam potissimùm in Eremo inter saxorum asperitates &

impendentium montium altitudines ſedem fixiſſe videtur. Horum igitur feliciſſimæ Monachorum ſorti invideo, ac deinceps fugiam conſortia illorum hominum, qui omnem felicitatem ventris voluptate metientes, ægrè adduci poſſunt, ut credant, labores, in quibus Monachorum vita verſatur, non modo moleſtos ac triſtes non eſſe, ſed hilares etiam ac jucundos. Verùm, de Monaſticâ & Regulari Diſciplinâ Sæculi decimi ſeptimi ſatis hactenùs diſſeruimus. Nunc vehementiſſimè optarem, ut ſub finem noſtri Colloquii aliquas Leges, ſeu Regulas præſcriberes, quibus in delectu opinionum, quæ mores attinent, certò ac tutò adhærere poſſem. Probè quippè novi, complures Propoſitiones, ad morum doctrinam ſpectantes, Sæculo XVII. à Summis Pontificibus fuiſſe proſcriptas, & benè multas etiamnùm circumferri in Diſciplina morum opiniones, in quibus deligendis ut citra offenſionem procedatur perbellè, cùm alia multa cavenda ſunt diligenter, tum vel in primis vitandi occurrunt ſcopuli quidam duo, ad quos appelli ſolere fermè, tu ipſe in ſuperioribus noſtris Colloquiis jam ſedulò obſervaſti: nimiam laxitatem dico, & intempeſtivam ſeveritatem; inter quæ duo tam facilis eſt lapſus, tam proclivis offenſio, ut plerùmque incidant in Scyllam, qui volũt vitare Charybdim. Hinc primùm in ſeligendis opinionibus, quæ ad morum Diſciplinam attinent, præcavenda eſt nimia laxitas, ſeu vaga & effrænis opinandi licentia, quæ innumeras, ſicut in Colloquio tertio oſtendiſti, peperit morum corruptelas, cunctiſque hominis Chriſtiani officiis inflectendis & corrumpendis latiſſimam januam

nuam reseravit. Hinc etiam pari studio declinanda est imperiosa severitas, quæ nimio adhibito rigore, peccatores à tribunali pœnitentiæ arcet, eosque tantùm non adigit in desperationem suæ salutis. Ne igitur in duo illa extrema vitia, quæ opiniones in doctrina morum inficere solent, impingere valeam, optarem, ut in præsentia quasdam mihi præstitueres Regulas, quæ viam securam quasi digito præmonstrent, in qua deinceps ambulem, ad sinistram, vel dexteram nunquàm declinando.

M. Antequàm Regulas, ad præcavendas in Doctrina Morali laxiores opiniones, præscribam, necesse omninò est, ut præcipuas radices detegam, ex quibus pullularunt illæ corruptelæ morum, ac laxitates, quæ Sæculo XVII. Ecclesiam infestarunt, & à Summis Pontificibus fuerunt proscriptæ. Harum autem laxitatum radices, quæ benè multæ sunt, ad duas præcipuas, brevitatis ergò, revocabo. Quarum prima petitur ex novo quodam & insolito docendi modo quorumdam illius Sæculi molliorum Casuistarum, qui, neglecto Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Patrum doctrinæ studio, plùs rationi, in proponendis, vel dirimendis quæstionibus ad mores spectantibus, detulerunt, quàm ei deferendum ac tribuendum esset. Hinc laxiores illi Casuistæ, ut passim videre est in eorum Operibus, novellas suas opiniones non fundabant in Sacra Scriptura, Traditione, Decretis Summorum Pontificum, Sacris Canonibus, & Sanctis Patribus, sed eas plumâ & araneâ telâ levioribus rationibus ac conjecturis suffulciebant. Scripturæ Sacræ Oracula, Decreta Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum doctrinam, Sacrorum Canonum

num rigorem inflectebant pro arbitrio suo, emolliebant, ad præscriptum rationis suæ accomodabant, mille adhibitis distinctiunculis & exceptionibus limitabant, atque tanquàm cereum nasum in omnem partem ducebant, trahebant, detorquebant. Quid igitur mirum, si illi moderni Casuistæ, relictis publicis Doctrinæ Moralis fontibus, præeuntem dumtaxât sequentes humanam rationem, quæ sibi permissa, ut plurimùm cæcutit, hallucinatur, & in turpissimos errores atque absurdissimas superstitiones prorumpit, sicut patet inspicienti antiquorum Philosophorum libros, & varias gentiū pro suo nutu Religiones sibi confingentium opiniones, seù potiùs deliramenta; quid, inquam, mirum, si moderni illi Casuistæ, arundineo innixi baculo, in tot laxitates, seu corruptelas morum prolapsi sint? Altera Doctrinæ Moralis laxitatum radix non aliundè peti debet, quàm ex nimia indulgentia quorumdam Sæculi XVII. Casuistarum, qui Regulâ Lesbiâ utentes, Divinam Legem moribus applicarunt, cùm, versâ vice, mores ad Legem Dei componere ac exigere debuissent. Videntes siquidèm recentes illi Casuistæ, vires hominis lapsi fractas, sauciatas, ac debiles esse, aliundè verò non admittentes gratiam se ipsâ efficacem, quæ rumpit moras, difficultates suaviter vincit, præbetque, ut sæpiùs ait S. *Augustinus*, vires efficacissimas ad operandum in actu secundo, coacti sunt legem, non gratiæ virtuti, sed virium hominis lapsi infirmitati attemperare, & officiorum nostrorum rationes non arctis Evangelii Sanctionibus, non potentissimæ & suavissimæ Dei gratiæ efficaciâ, quę facit ut faciamus, sed naturæ corruptæ languore

ac

ac debilitate, tanquàm Regulâ Lesbiâ & obliquâ, metiri. Hinc quotiescumque Casus conscientiæ resolvunt, non aliam resolutionum suarum rationem adhibent, quàm infirmitatem humanam, dictitantes, vel Sacros Canones *de Vita & Moribus Clericorum* non ampliùs obligare, sed, ob nimium rigorem, cui ferendo par non erat infirmitas humana, esse jam penitùs abrogatos; vel præcepta Dei non obligare cum tanto onere, aliàs grave nimis jugum imponeretur filiis Adam. Hinc collapsis per primigeniam Protoparentis labem naturæ humanæ viribus plùs æquò indulgentes moderni illi Casuistæ, legem Dei emollierunt, spinas Pœnitentiæ sustulerunt, angustam Cœli viam benignìs & laxioribus opinionibus dilatarunt, multaque, sed à Sæculis inaudita, ad vitam commodiùs agendam, lenocinia adinvenerunt. E' contrà verò Sanctorum *Augustini*, & *Thomæ* Discipuli, suarum virium infirmitatis conscii, & omnipotentis Divinæ Gratiæ tùm per se efficacis, tùm sufficientis firmitati subnixi, tenent se ad legem, non legem ad se detorquent, non eam emolliunt, nec sacrum pœnitentiæ rigorem enervant, sed incessanter petunt à Deo, à quo bona cuncta procedunt, ut infirmæ naturæ vires adaugeat, difficultates superet, & omnipotentis gratiæ suæ virtute, quâ attingit omnia fortitèr, & disponit omnia suaviter, legem, quantùmvis carni, seu naturæ corruptæ, duram, spiritui reddat amabilem. Ubi enim aliquid *amatur, non laboratur, & si laboratur, labor ipse amatur*, inquit S. *Augustinus*. Detectis semèl his laxitatum Moralis Doctrinæ radicibus, præstat nunc securim ad radicem adhibere, & aliquas præfigere Re-

Regulas, quarum ope ejusmodi laxitates ac corruptelas morum facili negotio declinare possis. Inprimis, satagere debes, ut Doctrinam Moralem haurias ex puris illius fontibus, seù ex firmis ac tutis Theologiæ fundamentis, præsertim ex Sacra Scriptura, doctrinâ Sanctorum Patrum, ex Decretis Summorum Pontificum, & Sacris Canonibus Conciliorum. Omnia, inquam, quæ Sacri Scriptores, Summi Pontifices, Concilia, & Sancti Patres de moribus scripserunt, tenuerunt, ac docuerunt, debes absque ulla dubitatione firmitèr credere ac tenêre, subindèque repudiare novellas istas, & toti retrò antiquitati ignotas opiniones Casuistarum, in quorum Operibus rarissimè Scriptura, Decreta Summorum Pontificum, & Conciliorum Canones citantur, ac vix, aut nunquàm, veneranda *Augustini*, *Chrysostomi*, *Gregorii*, & aliorum Patrum nomina comparent, quasi nihil unquàm de moribus scripserint, cùm aliundè singuli penè versus nominibus recentiorum Casuistarum, locisque perstrepant, & in illorum authoritate, leviculis rationibus subnixâ, gravissima eorum Decreta, quæ velut de tripode pronuntiant, fundentur. Porrò, credibile non est, has recentiorum Casuistarum opiniones, si essent veræ & animarum saluti utiles, fuisse in Ecclesia Catholica per mille & septingentos annos penitùs ignoratas, istudque adeò insignis, ut jactitant, utilitatis arcanum latuisse planè Sanctos Patres, & postremis hisce dumtaxàt temporibus, hoc est, Casuistis Sęculi decimi septimi, patuisse, quod sanè nemo asserere potest, nisi Deo insignem injuriam, & Ecclesiæ Catholicæ, Sanctisque Patribus summam irroget contumeliam.

liam. Quapropter, quotiescumque videris, Sanctos Patres stare pro dogmate aliquo, jus Divinum, seu naturale, seù positivum spectante, modernos verò Casuistas stare ex adversò, debes absque ulla hæsitatione Patrum authoritatem, doctrinamque præferre opinamentis illorum Casuistarum, qui à regia via recesserunt, suamque doctrinam non ex puris Disciplinæ Moralis fontibus, sed ex lacunis, in quibus plùs est sordium, quàm liquoris, hauserunt. Secundò, ut in sana Ecclesiæ Romanæ doctrina morum sanus ac integer permanere possis, oportet, antequàm te ad operationem accingas, ut abdices omnia præjudicia, divinum implores auxilium, quò menti tuæ offusæ tenebræ depellantur, regulas observes Christianæ humilitatis, simplicitatis, modestiæ ac prudentiæ, sed præsertim à Deo humilitèr petas mentis castimoniam, cordis munditiem, & affectus puritatem, quia si te iniquitas non oneret, si non fascinet carnis, mundique delectatio, si non inclinet voluptas, si non gravet cupiditatis pondus, si non deprimat bonorum temporalium amor, si non trahat superbia vitæ, omni procul dubio, intùs lucente divinâ gratiâ, vitabis omnes laxitates & corruptelas morum, nec unquàm sequêris opinionem minùs probabilem, quæ favet libertati ac cupiditati, in conflictu probabilioris opinionis, quæ stat pro lege Dei. Tertiò, si aliquandò in delectu opinionum, quæ mores attinent, dubius hæreas, & quid tibi facto opus sit, ignores, adire debes Viros pios ac eruditos, quos in doctrina Traditionis Patrum magis versatos, cœlesti lumine uberiùs perfusos, & divinorum experientià ac spiritus prudentiâ pleniùs

niùs ſenſeris informatos. Horum, inquam, Caſuiſtarum, qui in doctrina ſunt veraces, & viam Dei in veritate docent, diſcreto judicio, ac ſententiæ par eſt acquieſcere, & citrà ullum ſalutis periculum obedire. Abſit enim, ut nonnullos peccatores imitari velis, qui normas morũ exquirentes pravis ſuis cupiditatibus utilitèr congruentes, dùm ab uno Caſuiſtâ, quem amor veritatis, & purioris doctrinæ Moralis ſtudium movet, id quod in votis habent, obtinere, ſeù potiùs extorquere haud poſſunt, ad alium benigniorem confugiunt, quo patrono & ſponſore quieti, & nullo conſcientiæ morſu perturbati legem Dei cum Maximis Mundi ita componere poſſint, ut placidè Sæculi moribus vivant, dignitatibus, divitiis, voluptatibus, commodis lenti & otioſi perfruantur. Ejuſmodi peccatores, qui varios conſulunt Caſuiſtas, donec aliquem inveniant, qui ad libitum reſpondeat, ſimillimos eſſe dicam antiquis illis plurium Deorum cultoribus, qui ab uno Deo, quem ſibi iratum, aut ſuis propenſionibus minùs conſentaneum ſentiebant, confeſtim ad alium Deum confugiebant, Votis ſuis favorabilem, quem in Myriade illa falſorum Deorum facilè inveniebant, ut videre eſt in hiſce Verſibus Poëtæ *Ovidii*:

Sæpè premente Deo, fert Deus alter opem.
Jupiter in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo,
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Denique, ut omnes laxitates ac corruptelas morum, quas Sæculi XVII. molliores Caſuiſtæ invexerunt, faciliùs præcavere, & ex animo deteſtari valeas

leas, sæpiùs in memoriam revocare debes Oraculum Christi Domini, docentis nos in Evangelio, duas tantùm esse vias, unam arctam, quæ ducit ad Vitam, alteram latam, quæ ducit ad perditionem. Præter has duas vias, aliam tertiam admittere viam, quæ sit media, hoc est, nec nimiùm lata, nec multùm angusta, ejusdem periculi esset, ac triplicem terminum distinguere, qui duplex tantùm pro adultis post finem Mundi designatus est. Scriptum est enim Matthæi cap. 25. quòd alii *ibunt in supplicium æternum, justi autem in Vitam æternam*. De tertia autem illâ viâ, quam comminiscuntur Viri tepidi, dicitur cap. 14. libri Proverbiorum: *Est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem*. Cùm igitur duæ dumtaxàt sint viæ, arcta una, quæ ducit ad Vitam, altera lata & spatiosa, quæ ducit ad perditionem, diligenter attendere debes quam viam inire velis. Si tibi placeant laxitates & corruptelæ morum, si Deo & Mundo inservias; si legem Dei ad quasdam regulas morum, tuis commodis & utilitatibus congruentes, inflectas, profectò arctâ viâ, quæ ducit ad Vitam, non incedis, sed potiùs viam calcas latam, quæ ducit ad perditionem. Hujus latæ ac spatiosæ viæ (ut verbis utar *Lactantii* cap. IV. libri VI. Institutionum) *Species & figura sic est composita in aspectu, ut plana & patens, & omni genere florum atque fructuum delectabilis esse videatur. In ea enim posuit Deus omnia, quæ pro bonis habentur in terra, opulentiam dico, honorem, quietem, voluptatem, illecebras omnes; sed cum his pariter injustitiam, crudelitatem, superbiam, perfidiam, libidinem, cupiditatem, discordiam, ignorantiam, mendacium, stultitiam, cæteraque*

que vitia. Exitus autem hujus viæ talis est: cùm ventum fuerit ad extremum, undè jam regredi non licet, cum omni sua pulchritudine tam subitò præciditur, ut non ante quis fraudem prospicere possit, quàm præcipitatus in altitudinem profundam cadat. Quisquis enim præsentium bonorum specie captus, & in his consequendis ac fruendis occupatus, non præviderit ea, quæ post mortem secutura sunt, seque à Deo averterit; is verò ad inferos dejectus, in æternam damnabitur pœnam. Hanc latam viam, quæ ducit ad perditionem, non inibis, si mores tuos ad legem Dei componas, si à laxitatibus & corruptelis morum abhorreas, si conscientiam tuam non credas illis Casuistis, qui, ope cujusdam vagæ probabilitatis à Sede Apostolica proscriptæ, opiniones falsas, & æternæ Legi contrarias peccato liberant, usuris, simoniis, vindictis, calumniis, mendaciis, homicidiis colorem prætexunt, ac bonum dicunt malum, & malum bonum; Cùm tamen bonum esse non possit, quod æternâ lege damnatur, juxtà hanc *Tertulliani* cap.xx. libri *De Spectaculis* præclaram Sententiam: *Erramus: nusquàm & nunquàm excusatur quod Deus damnat: Nusquàm & nunquàm licet, quod semper & ubique non licet. Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo & æqualitas timoris, & fides obsequii, non mutare sententiam, nec variare judicium. Non potest aliud esse, quod verè quidèm est bonum seu malum. Omnia autem penès veritatem Dei fixa sunt. Ethnici, quos penès nulla est veritatis plenitudo, quia nec Doctor veritatis Deus, malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur; alibi bonum quod alibi malum; & alibi malum quod alibi bonum.*

D. Val

D. Valdè mihi probantur iſtæ, quas præfixiſti, regulæ ad præcavendas inductas Sæculo XVII. laxitates & corruptelas morum, quæ ex nimia indulgentia & facilitate quorumdam Caſuiſtarum originem habuerunt, multorumque animos pervaſerunt. Supereſt modò, ut certam tutamque indices viam, quam tenere debeam, nè in Doctrina Morali in aliud extremum vitium impingam, videlicèt in ſeveriorem morum diſciplinam, quam à quibuſdam rigidioribus Sæculi XVII. Caſuiſtis importatam non minus damnavit Catholica Eccleſia, quàm molliorem, à laxioribus Caſuiſtis in perniciem animarum excogitatam, morum doctrinam, Romani Pontifices, universâ plaudente Eccleſiâ, Vaticanis fulminibus protriverunt.

M. Rigidiores in doctrina Morali opiniones, quæ jugum Chriſti plus æquò exaſperant, perindè cavere debes, ac ſententias laxiores, quæ corruptelas morum inducunt. Sicut enim illæ laxiores ſententiæ, ſecundùm Propheticum ſermonem, *conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia, ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*: ita immoderata ſeveritas, ſeu rigidior Diſciplina morum in cauſa eſt, cur peccatores propriæ infirmitatis conſcii, & acerbiori Pœnitentia, morumque Diſciplinæ rigore perculſi, pedem referant, difficultatibus ſuccumbant, animum deſpondeant, & curam ſalutis prorsùs abjiciant, vel cum infelici proditore Juda in deſperationem acti ad reſtim confugiant. Hinc, jure optimo Chriſtus Dominus *Matthæi* capite XXIII. verſ. 4. Scribas & Phariſeos his verbis redarguit: *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros ho-*

minum, digito autem suo nolunt ea movere. Ecclesia itidèm, Christi Domini secuta exemplum, nimium rigorem, quem affectabant *Novatiani*, *Encratitæ*, *Eustathiani*, & *Luciferiani* improbavit, extatque in Decreto *Gratiani* Part. 2. Causâ XXVI. Quæst. VII. Canon XII. his verbis conceptus: *Alligant autem onera gravia & importabilia, &c. Tales sunt Sacerdotes, etiam nunc, qui omnem justitiam populo mandant, & ipsi nec modicam servant, videlicèt non ut faciendo sint, sed ut dicendo appareant justi. Tales sunt, qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt, quia dicunt & non faciunt. Et sic dùm pœna præsentis pœnitentiæ fugitur, contemnitur pœna peccati futura. Sicut enim si fascem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare, posueris, necesse habet ut aut fascem rejiciat, aut sub pondere confringatur. Sic & homo, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, aut pœnitentiam rejicit, aut suscipiens, dùm sufferre non potest, scandalizatus ampliùs peccat.* Denique S. *Ambrosius* Sermone v. in Psalm. CXVIII. rigidioris Disciplinæ moralis Doctores his verbis perstringit: *Sunt etiam in nobis, qui timorem Dei habent, sed non secundùm scientiam; statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur consulere disciplinæ opus virtutis exigere; sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturæ, nec æstimant possibilitatem.* Hujusmodi Doctorum, qui plus justò austeri, morosi, ac superciliosi præsentem Ecclesiæ Disciplinam contractâ fronte, adductisque labiis damnant, atque rigidiores in doctrina morali opiniones obtrudunt, consortia fuge, & unum instar omnium in Doctrina Morali sequere Ducem Angelicum

Do-

Doctorem S. *Thomam Aquinatem*, qui, Duce Verbo Dei, vestigia Patrum secutus, à rigidioribus, perindè ac laxioribus in doctrina morali opinionibus semper abhorruit. Hinc, *Alexander VII.* Pontifex Maximus Patribus Ordinis Prædicatorum, Romæ in Comitiis Generalibus anno MDCLV. congregatis, declaravit, se vehementer optare, ut Theologia Moralis ex Operibus S. *Thomæ Aquinatis* concinnaretur, quò hęc morum & opinionum licentia, quæ in dies grassabatur, quasi cauterii ustione cohiberetur. Hujus Propositi, quod animo Sanctissimi illius Pontificis altè insidebat, illiusque Declarationis factæ Patribus Dominicanis testis est locupletissimus, & omni exceptione major, doctissimus noster *Vincentius Baronius*, qui in iisdem Comitiis Generalibus aderat tanquam Deffinitor Provinciæ Tolosanæ, idque reverà contigisse fidem publicam fecit in Epistola, quam ad Generalem Magistrum ejusdem Prædicatorum Ordinis directam præfixit libro nostri *Julii Mercori*, cui titulus est: *Basis totius Moralis Theologiæ*. Præcipuum igitur in Disciplina Morali Ducem sequere Sanctum *Thomam Aquinatem*, de cujus doctrinæ generali approbatione veridicè, & juxta eleganter Cardinalis *Palavicinus*, Societatis Jesu, in Epistola nuncupatoria sui libri 7. *De Virtute & Sacramento Pœnitentiæ*, quem, antequam ad Purpuram assumeretur, nostro P. *Vincentio Preto*, Sacræ Romanæ, ac Generalis Inquisitionis Commissario, quicum vetus illi intercedebat necessitudo, inscripsit; hæc habet singulari observatione digna: *Hoc mihi dolendum accidit, commentationes meas rude quid & impolitum esse pro ingenio tuo; sed tanquàm*

tabulas fabrè pictas exornare studui illito auro, utique Ophirio, nempè ab illis venis eruto, unde tu quoque locupletatus; (Divi Thomæ Codices loquor) Viri, quo non tam Ordo tuus, quàm Christi Ecclesia, ipsumque humani generis nomen meritò glorietur. Sentio equidem in me tanti Scriptoris pretium, unà cum ætate, sed longè supra ætatis incrementa crevisse ...... Præclarè mecum egit divina bonitas, quòd me vocavit ad eam religiosam cohortem, quæ jubetur Angelici Doctoris Theologiam sequi: eam namque sequerer, vel injussus, imò vix non sequerer, vel prohibitus ..... Jam verò, hæ postremæ hujus anni Disputationes, quas è suggestu dictavi, & quarum tibi Summam dico, plus aliquantò, quàm superiores editæ à me, tibi Aquinatem tuum redolebunt, quò tantoperè nunc delector, ut vix alium è scholasticis diù teram sine fastidio; non quòd in cæteris multa non inveniam, ignota mihi, & oppidò pulchra; sed alia plura, & longè pulchriora, me inventurum fuisse intelligo, si in lectione D. Thomæ tempus illud impendissem ..... Id ex me sæpè audiunt, qui me audiunt: Quamvis tanta sit B. Thomæ & Sectatorum frequentia, & laudatorum approbatio, utramque tamen adeò infra merita mihi videri, ut indè communem humanæ perspicentiæ tenuitatem, vel aspernari cogar, vel misereri. Hæc, & alia id genus in laudem Doctrinæ S. *Thomæ* scribit nobilis ille Societatis Jesu alumnus Cardinalis *Palavicinus*, quæ te ad veram assequendam sapientiam, quasi admotis stimulis, excitare debent. Sed, ut majorem utilitatis fructũ ex lectione & studio Doctrinæ Moralis S.*Th.*percipere valeas, hic primus & unicus tibi sit scopus, hoc votum, hoc unum age, ut muteris, ut rapiaris, ut afficeris, & transformeris

in

in ea, quæ te docebit Angelicus noster Præceptor, in cujus doctrina tunc te profecisse intelliges, non si disputes acriùs, sed si te senseris paulatim alterum fieri, minus elatum, minus iracundum, minus pecuniarum, aut voluptatum, aut vitæ cupidum, si quotidiè vitiis decedat aliquid, pietati aliquid accrescat. In disputando servanda sobrietas, summaque animi moderatio, ut collatio, non conflictatio videatur. Lectionem subindè interrumpat precatio, aut gratiarum actio, quarum altera divinam opem imploret, altera beneficium agnoscat, sicubi te senseris profecisse. Vidi ipse ac novi complures juvenes, qui, avorum & atavorum suorum imaginibus tumentes, sanctissimæ doctrinæ Moralis Christianæ præcepta, quasi eorum statui ac conditioni contraria essent, fastidiunt, & sensibilium rerum præstigiis occæcati, nobilitatem, honores, divitias, voluptates mundi, & reliqua blandientis fortunę commoda inter pręcipua bona reponunt. Quòd si verò aliquos claris Majoribus prognatos videant, qui solâ conscientiâ recti, neque honores, neque opes, nec alia arridentis fortunæ commoda desiderant, illos tanquam deliros, hypocritas, rerum imperitos & Melancholicos judicant. Sic, proh dolor! castissimam Doctrinam Moralem Christi veneramur, sic exprimimus, ut nihil vecordius, nihil abjectius, nihil magis pudendum jam vulgò habeatur, quàm verè ac toto pectore esse Christianum: quasi aut Christus frustrà versatus sit in terra, aut alia sit nunc, quàm olim, Christiana Moralis Doctrina, aut non ex æquo pertineat ad omnes. Ejusmodi juvenum consortia & colloquia velis remisque fu-

ge, chariſſime Diſcipule, atq; illorum errorem Democritico riſu proſequens, id quod res eſt reputa, unicam ac ſummam eſſe nobilitatem in Chriſto renatum eſſe, ejuſque ſervorum numero accenſeri. Hos tibi majores eſſe puta, quorum virtutes æmularis. Divitias mundi depone tanquàm ſarcinas, quibus onuſti, nec poſſunt per arctam viam Chriſtum nudum ſequi, nec per oſtium humile intrare in Regnum Cœlorum. Purga oculos, purga aures, purga palatum, & incipiet tibi dulceſcere Chriſtus, quo verè guſtato, etiamſi voluptatum mundi architecti, omnes ſuas illecebras in unum conferant, præ uno illo, in quo ſunt omnia bona, nauſea videbuntur. Denique, cùm adhùc juvenis ſis, etiam conſiderare debes, ne florem ætatis, nunquàm rediturum, temerè polluas, ne fluxis, moxque perituris voluptatibus perdas annos optimos, verèque aureos, qui & fugiunt perniciſſimè & recurrunt nunquam; ne per inſcitiam, & incogitantiam ætatis committas, quod te in omnem uſque vitam mordeat, perſequente ſcelerum conſcientiâ, & amariſſimis illis aculeis, quos fugiens voluptas in animis noſtris relinquit. Ut autem hunc integritatis florem, qui adhùc nullis vitiorum maculis oblitus in te viget, perpetuò illibatum conſervare poſſis, fac ut ſemper præ oculis habeas auream Sententiam, quam tradit S. *Joannes Damaſcenus* in ſuis *Sacris Pararellis*, quæ extant in ſecundo ejus Operum Tomo ultimæ Editionis, quam Pariſiis anno MDCCXII. Doctiſſimus noſter *Michael le Quien* adornavit, ubi hæc habet S. ille Doctor: *Opibus flores; ob majores tuos præclarè de te ſentis, patriæ ſplendore, & corporis pulchritudine gloriaris, iiſque*

ho-

honoribus, qui ab omnibus in te congeruntur? Attende tibi ipsi quoniam mortalis es, & in terram reverteris. Circumspice illos, qui ante te iisdem in splendoribus versati fuerunt. Ubi sunt qui in rebus publicis auctoritatem obtinuerunt? Ubi invictissimi Oratores? ubi qui festa publica instituebant? ubi praeclari illi equisones? illi militares duces? illi tyranni? nonne in paucis ossibus omnis eorum vitae memoria sita est? incumbe in sepulchra, ac vide, num famulum ab hero queas secernere: ubi pauper jaceat, ubi dives. Distingue, si potes, vinctum à Rege, fortem ab imbecilli, pulchrum à deformi. Naturae igitur si memineris, nunquam attolles animos. Sed tempus est, ut vela contraham, tibique, amantissime Discipule, immensas grates rependam, quòd palàm, ante oculos omnium, per octo circiter annos Musæum meum frequentaveris quotidianus auditor, illiusque angustias, ex illustrissima licèt Principum prosapiâ oriundus, non refugeris; quo certè honore superbire possem, nisi à te modestiam didicissem. Gratulor interim mihi, quòd in te nactus sim Discipulum, naturâ docilem, ad fingentis arbitrium flexibilem, & in quem ingenii laudes omnes novo fędere & conspiratione factâ confluxisse videntur, qui tam ad judicandum gravis est, quàm celer ad intelligendum, & in quo lepos cum soliditate, gravitas cum facetiis, ubertas cum moderatione, suavitas cum Disciplinæ rigore summâ consensione junguntur. Meministi, amantissime Discipule, quot & quàm graves, Philosophiæ ac Theologiæ decurrendo stadium, molestias in tenera adhùc ætate devoraveris, & quàm sæpè Doctrinam S. *Thomæ Aquinatis*, quo Magistro gloriaris, velut pro

aris ac focis pugnans, totis ingenii tui viribus püblicè defensurus, Olympico pulvere consperssus in arenam descenderis. Horum, inquam, meministi (actorum quippè juvat meminisse laborum) sed quàm benigno vultu in publicis istis congressibus gratulationes omnium minimè fucatas exciperes, quàm modestè laudes tuas audires, quæ illis plausibus sine arte miscebantur; quam gravi & composito sermone gestientis juventutis ardorem temperares, non ita meministi fortassè, quia nullius rei soles, nisi virtutum tuarum oblivisci. At verò ipse virtutum tuarum & beneficiorum, quibus me licèt immeritum donasti, memoriam adamantino clavo pectori meo defixam quotidiana narratione renovabo. Nunc coronidem impono nostris in Historiam Ecclesiasticam Colloquiis, in quibus si ea, quæ de Historia Ecclesiastica dixi, tibi placeant, his utere; sin minùs, sedulitatem meam, quâ præclaram tuam indolem quantulacumque ex parte, excolere studui, pro tuo candore boni consule. Tu modò perge, sicut instituisti, in bonas litteras incumbere, Ecclesiam, cui te totum consecrasti, doctrinâ & pietate illustrare, atque Familiæ tuæ, alioquì florentissimæ, novum honestis tuis studiis conciliare splendorem. Vale, dilectissime Discipule, & *si oblitus fuero tui, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*, Psalmo 136. Cæterùm, non te pigeat nostra identidèm lectitare Colloquia, in quibus omnia, quæ universam Historiam Ecclesiasticam spectant, Monumenta breviter quidem descripsimus, singula tamen, majoris claritatis ergò, suo queq; loco ordinatè disposuimus, secuti hac in re consilium

um clarissimi Poëtæ *Horatii* dicentis:

Ordinis hæc Virtus erit & Venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici;
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.

D. Tam facili ac expeditâ methodo res ad listoriam & Disciplinam Ecclesiasticam, vel ad)octrinam Morum, quæ ad benè beatèque vivenum conducit, attinentes, hactenus in nostris Coloquiis explanasti, ut hac unicâ rerum notitiâ moò delecter, eorumque sortem vehementer deploem, qui, neglecto isto sacrarum Antiquitatum udio, nugas, puerorum more, consectari videnur. At enim, si nescire quid antequàm nascerenur acciderit, est semper esse puerum, ut sapiener monet *Plato*, quæ major, quæso, infantia esse otest, quàm in eâ, ubi sis natus & adultus Reliione, adeò peregrinum & hospitem esse, ut nescias uidem quæ sint illius incunabula primordiaque, ui progressus & incrementa, quæ pulcherrima acta Virorum fortium, quorum sudore & sanguie parta nobis traditaque est per manus Religio? uibus persecutionibus à Tyrannis Imperatoribus xagitata sit Ecclesia, quibus fundata legibus, quious Sanctionibus firmata, qui sint augustissimi illi ontes, ex quibus haurire debeamus SS. Patrum)octrinam, Conciliorum Canones, Decreta Ponicum, genuina Martyrum Acta, illustria veteris anctitatis exempla, primigeniæ Disciplinæ sinceam & incorruptam effigiem, quæ quasi quoddam umen nobis elucet, Jura demùm omnia jam indè principio Christiani nominis tam sapienter à Maoribus nostris comparata? Quid, inquam, aliud est ouerorum more vivere, quàm in pulcherrimarum ha-

harumce rerum notitia, quæ cordato cuique tot nominibus longè antiquissima debet esse, rudem ac tyronem velle consenescere; nisi quis existimet, majus quoddam operæ pretium esse disputare cum *Justo Lipsio* vel de lege Tabularum duodecim, vel de Centuriatis Romanorum Comitiis, vel cum Scriptoribus prophanis laboriosiùs investigare, quibusnam artibus Græci, Romanique cæteras gentes subegerint, quàm Sacrorum Religionis nostræ Rituum & Dogmatum originem scrutari, vim & auctoritatem perpendere, Christiani Orbis Conciliorum Decreta callere, artesque ac vias indagare, quibus Majores nostri Christianæ Ditionis fines amplificarunt, Hæreses debellarunt, & Sanctissimas Leges ad benè informandos mores condiderunt. Non hæc tamen eò impræsentiarum dico, quòd eruditionem prophanam elato supercilio despicari velim; quin potiùs suam illi laudem tam libenter impertiar quàm qui libentissimè: nihilosecciùs Prophanæ eruditioni, quantivis demùm pretii sit, semper præferam Historiæ Ecclesiasticæ notitiam, tum quia natus sum Romæ, quæ Civitas, ut nemo nescit, tot Religionis, avitæ pietatis & Historiæ Ecclesiasticæ monumentis nobilitata, me ad eorum gratam recordationem jure ac merito debet inflammare; tum quia etiam, ex quo me totum Ecclesiæ obsequio mancipavi, altè meo animo defixi gravissimam illam, quam mihi sæpiùs inculcabas, *Innocentii III.* Vocem: *Nemini Sacerdotum*, inquit Summus ille Pontifex, *liceat Conciliorum Canones, & facta Patrum ignorare.* Norat nempè peritissimus Pontifex, quantum ex harum rerum cognitione cum dignitatis & amplitudinis,

tum,

tum, quod caput est, emolumenti atque utilitatis efflorésceret, si hæc sacræ antiquitatis, Historiæ & Disciplinæ Ecclesiasticæ notitia apud Clericos, ut par esset, vigeret, & inter liberales hujus Sæculi Disciplinas, hæc præ cæteris una dominaretur. Cæterùm, in Historiæ ac Disciplinæ Ecclesiasticæ, necnon Doctrinæ Moralis Christianæ studio Regugulas, quas mihi præscripsisti, inviolatè servabo. Et primò quidem, in Historia sicut nimiam quorumdam credulitatem, ita pruriginosam aliorum dubitandi libidinem, seu effrænatum intemperantis Critices studium perindè declinabo, nec committam unquàm, vel ut rigidiores illi veritatis exactores, seu nostri Sæculi Aristarchi, quibus sapit palatum plus satis, meam simplicitatem rideant; vel ut æquiores rerum æstimatores de præfidentiori quâdam Censura, vel morosiori quadam agendi ratione jure mecum expostulare possint. Secundò, circà Ecclesiæ Disciplinam, laudabo quidem præsentem Ecclesiæ praxim impertiendi pœnitentibus ante impletam satisfactionem Absolutionis Sacramentalis beneficium; at propterea non adhærebo sententiæ illorum Theologorum, qui Disciplinæ Ecclesiasticæ rigorem plus justô elevare satagentes, dictitant, antiquos Ecclesiæ Canones, qui Clericorum, & Christianorum omnium formæ quædam ac regulæ morum sunt, per desuetudinem nunc penitùs esse abrogatos, cùm potiùs Ecclesia, sicut sæpiùs me monuisti, antiquos illos Conciliorum Canones in intimo spiritu gerat impressos, eosque vel etiamnùm teneat, quantùm potest, aut quòd eos tenere non possit, temporum difficultatibus præpedita, ingemiscat & doleat, nihilque non agat,

agat, ut cœlestia illa Instituta ad formandos in temporum perpetuitate Christianorum mores instaurentur, vel adhuc vigentia sedulò teneantur, retineantur collabentia, prorsùs collapsa renoventur; moderante omnia Christianâ prudentiâ, ne præcipiti zelo concordia Fidelium perturbetur. Postremò, in Doctrinæ Moralis studio, nec per laxiorum, nec per rigidiorum Casuistarum calles incedam, sed uni stabo Doctrinæ S. *Thomæ*, Angelici Præceptoris, cujus Oracula ab Academiis, ab Episcopis, à Conciliis, à Summis Pontificibus, ab ipso denique Christo ita fuere probata, ut, si Angelicam ejus doctrinam sectando error contingeret, essemus, quod absit, ab ipsa veritate decepti. Sed ego captus suavitate quâdam Doctrinæ S. *Thomæ*, non sentio satis superque verborum fecisse me, ac finem dicendi nunquàm facturum, si eam, pro eo ac meretur, celebrandam susciperem. Nunc igitur ad te, colendissime Magister, sermonem converto, ut immortales gratias referam, quòd ad mea promovenda studia, res ad universam Historiam & Disciplinam Ecclesiasticam pertinētes singulari perspicuitate tradideris, suo quidque loco scitè digerens, ac collocans, genusque dicendi ubique usurpans ad difficultates enodandas & enucleandas maximè accommodatum, nitidum videlicèt, facile, usitatum, tale denique ut absque salebris, absque ulla asperitate influat in aures animosque discentium, eisque non ascitâ, fucisque ac pigmentis quæsitâ pulchritudine, sed ingenuo quodam pudore se commendet. Agnosco itaque lubens, observantissime Magister, me plurimùm tibi debere, quòd & ad litteras & ad pieta-

tatem meum informaveris animum, velimque, in perenne grati animi monumentum, tibi ita persuadeas, nullam esse rem minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non charior sit, quàm meæ res omnes; idque cùm sentiam, sedulitate mihimet ipse satisfacere possum, re quidem ipsâ, ideò mihi non satisfacio, quòd nullam partem tuorum ergà me beneficiorum, non modò referendâ, sed ne cogitandâ quidèm gratiâ, consequi possum. Vale, mihi multis nominibus charissime Magister, Ego quæ pertinere ad te intelligam, studiosissimè omnia, diligentissimèque curabo. Non fallam opinionem tuam, sed vincam meis studiis & officiis cogitationes tuas. Interea, dùm ea, quæ de Historia & Disciplina Ecclesiæ hactenùs me docuisti, sæpiùs lectitabo, erit ut dicam identidèm cum Sancto Augustino: *Patiantur Aquilæ, dùm pascuntur Columbæ.*

Finis Omnium Colloquiorum in universam Historiam Ecclesiasticam.

TABULÆ CHRONOLOGICÆ

Ad optimos Calculos redactæ,

ET AD PRÆFIGENDA

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ TEMPORA

Omninò necessariæ.

TABULÆ CHRONOLOGICÆ

AD OPTIMOS CALCULOS REDACTÆ,

Et ad præfigenda Historiæ Ecclesiasticæ tempora omninò necessariæ,

In quibus texitur series Romanorum Pontificum, Patriarcharum Orientis, Sedium Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & Constantinopolitanæ: Imperatorum cùm Orientis, tùm Occidentis, Regum Galliæ, Hispaniæ & Angliæ: Hæresum, Schismatum & Controversiarum, quæ in Ecclesia emerserunt, Conciliorum cùm OEcumenicorum, tùm Nationalium, seu Provincialium: Virorum denique illustrium, qui vel doctrina & pietate floruerunt, vel Monachorum, aut Regularium Ordines instituerunt, instaurarunt, propagarunt.

ABsolutis in universam, quà latè patet, Historiam Ecclesiasticam nostris Colloquiis, sperabam futurum deinceps, ut in angulo cum libro latitans, diù optatâ quiete, quandiù Vitam & spiritum ducerem, perfrui possem. Verùm, jucundissimum istud otium mihi inviderunt amici, qui iterùm aurem vellicantes, me ad resumendos consuetos labores, obtorto quidem collo, retraxêre: *Heus tu*, dixerunt, *ut quid tàm citò è tabula manum subducis? Quorsùm non exhibes eas, quas in Præfatione Operis tui promisisti, Tabulas Chronologicas, quæ Historiæ Ecclesiasticæ Candidatorum memoriæ subitaneam opem, veluti*

luti de promptuario, suppeditare, eisque stimulos subdere poterunt, ut per breve quoddam faciliusque tyrocinium ad altiorem eruditionem provehantur, & longius Antiquitatis Ecclesiasticæ iter suscipere non formident. Agedum, fidem tuam in præsentia libera, & Historiam Ecclesiasticam, quam compendiosè descripsisti, accuratioribus Tabulis Chronologicis illustra. In his & similibus amicorum Monitis, volens nolens, acquievi tandem; vetus quippè proverbium est: rogando cogit, qui rogat benè meritus; maluique omnem in adornandis Tabulis Chronologicis devorare molestiam, quàm descifcere ab promissorum fide, quâ me palàm obstrinxeram. Consulturus itaque utilitati eorum, qui Historiæ Ecclesiasticæ sunt studiosi, quatuordecim contexui, & ad optimos calculos redegi Tabulas Chronologicas, in quarum primâ describo seriem Romanorum Pontificum, qui à Sancto *Petro* usque ad *Innocentium XIII.* Pontificem Maximum, nunc sedentem, summâ sapientiâ universam Christi Ecclesiam gubernarunt. In altera Tabula Chronologica exhibeo seriem Patriarcharum Ecclesiæ Alexandrinę. In tertia texo Catalogum Patriarcharum Ecclesiæ Antiochenæ. In quarta refero Patriarchas Ecclesiæ Hierosolymitanæ. In quinta repræsento successionem Patriarcharum Ecclesiæ Constantinopolitanæ. In sexta percenseo Imperatores Orientis. In septima Imperatores Occidentis. In octava Galliarum Reges. In nona Hispaniæ Reges. In decima Angliæ Reges. In undecima insero omnes Hæreses, Schismata & Controversias, quæ à primo Sæculo ad hæc usque nostra tempora Ecclesiam exagitarunt. In duodecima indico omnia Concilia, cùm Æcumenica, tum Nationalia, & Provincialia, quæ sive ad profligandas Hæreses, sive ad restaurandam collapsam Ecclesiæ Disciplinam, fuerunt hactenùs variis in locis cele-

brata

brata. In decima tertia profero in medium omnes Ecclesiæ Doctores, ac Viros illustres, qui in singulis Ecclesiæ Sæculis ad hanc usq; ætatem doctrinâ & pietate floruerunt. In postrema Tabula Chronologicâ enumero, & juxtà ordinem temporum indigito omnes Institutores Ordinum tum status Monastici, tùm Regularis. Ex his autem Tabulis Chronologicis hoc præsertim commodum lector colligere poterit, quòd in illis omnia fermè, quæ in octo Tomis Colloquiorum nostrorum in Historiam Ecclesiasticam uberiori stylo, & historico more pertractavimus, unico quasi intuitu videre poterit annis & temporibus singulis accommodata, ita ut, si plura de his scire desideret, annotato semel anno vel Sæculo, quo res ad Historiam Ecclesiasticam attinentes contigisse demonstrant Tabulæ istæ Chronologicæ, facili negotio recurrere valeat ad nostram Historiam Ecclesiasticam, quam octo Tomis comprehensam, & variis Colloquiis digestam, per singula quæque Ecclesiæ Sæcula perspicuo ordine concinnare tentavimus. Cæterùm, cùm hæc secunda pars octavi Tomi nostræ Historiæ Ecclesiasticæ in majorem, quàm par sit, molem excrevisset, si has quatuordecim prælongas Tabulas Chronologicas simùl inserere voluissem, operæ pretium me tandèm facturum esse duxi, si hìc dumtaxàt quinque priores attexerem Tabulas Chronologicas, in quibus describitur series, seu successio Episcoporum Præcipuarum Ecclesiæ Sedium, Romanæ videlicet, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & Constantinopolitanæ; alias verò novem, quæ supersunt, Tabulas Chronologicas, quæque exhibere debent seriem, seu Catalogum Imperatorum cùm Orientis, tum Occidentis; Galliæ, Hispaniæ, & Angliæ Regum; Hæresum, Schismatum & Controversiarum, quæ in Ecclesia emerserunt; Conciliorum, quæ fuerunt celebrata,

 ac

ac denique Virorum omnium illustrium, qui vel doctrinæ laude floruerunt, vel novos Monachorum, aut Regularium Ordines instituerunt; has, inquam, novem posteriores Tabulas Chronologicas, quæ ad juvandam memoriam eorum, qui Historiæ Ecclesiasticæ studio delectantur, haud parùm conducere possunt, consultius mihi visum est ad sequentem, seu nonum Historiæ nostræ Ecclesiasticæ remittere Tomum, ut ex his novem Tabulis Chronologicis in præclarum ordinem in peculiari Tomo dispositis & explicatis, uberiorem fructum posset haurire lector, quàm si illas in angustiorem molem hìc contraxissem. Rem igitur nunc aggredior, & à Chronotaxi Romanorum Pontificum, quæ ad probandum adversùs hujus temporis Hæreticos, perpetuam tùm Cathedræ, tùm doctrinæ successionem, ab ipsis Apostolis deductam, semper viguisse, & etiamnùm vigere in Ecclesia Romana, maximè necessaria est, exordium ducam.

PRIMA

PRIMA TABULA CHRONOLOGICA

In qua texitur Chronotaxis, seu series Romanorum Pontificum, qui à S. Petro *usque ad* Innocentium XIII. *Pontificem Maximum, universam Christi Ecclesiam gubernarunt.*

1 SAnctus *Petrus*, primus in terris Christi Domini Vicarius, & Supremus Pontifex Romanus fuit, seditque annis viginti quinque, mense uno, & sub *Nerone* Imperatore Martyrii palmam adeptus est die xxix. mensis Iunii anni Christi sexagesimi sexti, Consulibus *C. Lucio Telesino*, & *Suetonio Paulino*.

2 S. *Linus* successit S. *Petro*. Fuit tamen *Linus* in Sede Romana Vicarius S. *Petri* ab anno Christi quinquagesimo sexto usque ad annum sexagesimum sextum, quo anno cùm S. *Petrus* à crudelissimo *Nerone* Imperatore cęsus fuisset, Pontificatum *Linus* obtinuit. Sedit per annũ integrum, & Martyr vitam finivit anno Christi sexagesimo septimo, in quem incidit Consulatus *Fonteii Capitonis* & *C. Julii Rufi*.

3 S. *Clemens*, hujus nominis *Primus*, successit *Lino*, & annis novem, mensibus undecim Romanam rexit Ecclesiam, ac subindè ab anno Christi sexagesimo septimo, quo, post obitum *Lini*, electus est Romanus Pontifex, sedit usque ad annum septuagesimum sextum, quo Consules fuerunt *Vespasianus Augustus VII.* & *Titus Cæsar V.* Pro Fidei defensione Martyrii coronâ redimitus occubuit.

4 S. *Cletus* anno Christi septuagesimo sexto suffectus est in locum *Clementis*, seditque annis sex, mensibus decem, tribus diebus, & post adeptam Martyrii palmam migravit ad Dominum anno Christi octogesimo tertio, Consulibus *Domitiano Augusto IX.* & *Petilio Rufo II.*

5 S. *Anacletus* anno Christi octogesimo tertio substitutus est *Cleto*, sedit annis XII. mensibus decem, diebus tribus, seditque usque ad annum Christi nonagesimum quintum, quo Consules fuerunt *Domitianus XVII.* & *T. Flavius Clemens*. Ipse verò Martyrio coronatus evolavit in Cœlum.

6 S. *Evaristus* eodem anno nonagesimo quintò subrogatus est in locum *Anacleti*, sedit an. XII. mensibus septem, diebus duobus, & Martyrium passus migravit ad Dominum anno Christi CVIII. Consulibus *Ap. Annio Treboniano Gallo*, & *M. Attilio Bradua*.

7 S. *Alexander*, hujus nominis *primus*, successit *Evaristo*, sedit annis octo, mensibus duobus & die uno, coronamque Martyrii promeritus est anno Christi CXVI. sub Consulatu *Ælii Lamiæ*, & *Æliani Veteris*.

8 S. *Sixtus*, hujus nominis *primus*, eodem anno, quo *Alexander I.* è vivis excessit, seu anno centesimo decimo sexto, Pontificatum iniit, seditque annis decem, mensibus tribus, diebus viginti uno & Martyrii coronâ decoratus abiit è vivis anno Christi CXXVI. Consulibus *M. Annio Vero III.* & *L. Vario Ambibulo*.

9 S. *Thelesphorus* Pontificatum suscepit an. Christi centesimo vigesimo sexto, sedit annis undecim, mensibus tribus, diebus tribus, & obiit Martyr anno Christi CXXXVII. sub Consulatu *Lucii*

Lucii Ælii Cæsaris II. & P. Cælii Balbini Vibullii.

10 S. *Hyginus* an. CXXXVII. electus est Romanus Pontifex, sedit annis quatuor, & pro Fide Martyr, supremum vitæ diem obiit anno centesimo quadragesimo primo, Consulibus *Peducæo Syloga Priscino, & T. Hænio Severo.*

11 S. *Pius*, hujus nominis *primus*, in Pontificatu successit *Hygino* anno Christi centesimo quadragesimo primo, sedit per decem annos, menses quatuor, dies tres, & mortem pro Fidei defensione pertulit anno Christi centesimo quinquagesimo primo, quo Consules fuerunt *Quintilius Condianus, & Quintilius Maximus.*

12 S. *Anicetus* in locum *Pii* Papæ, anno centesimo quinquagesimo primo demortui, assumptus est ac Romanus Pontifex electus, sedit per decem annos, ac vitam pro Christo perdidit anno Christi centesimo sexagesimo primo, sub Consulatu *M. Ælii Aurelii Veri Cæsaris III. & L. Ælii Commodi II.*

13 S. *Soter* successit *Aniceto* anno Christi sexagesimo primo, sedit annos novem & aliquot menses ac dies, & Martyr occubuit anno Christi centesimo septuagesimo, qui *Cornelii Cethegi, & C. Erucii Clari* Consulibus insignitur.

14 S. *Eleutherus* anno Christi centesimo septuagesimo suffectus est *Soteri* Papæ, sedit annos quindecim, dies viginti quatuor, & Martyr mortuus est anno Christi centesimo octogesimo quinto sub Consulatu *Materni & Braduæ.*

15 S. *Victor* in locum *Eleutheri* anno centesimo octogesimo quinto subrogatus est, sedit annos duodecim, mensem unum, dies sexdecim, & Martyr occubuit anno Christi centesimo nona-

gesimo septimo, quo Consules fuerunt *Claudius Lateranus*, & *Titius Rufinus*. Hic Pontifex Asiaticos ab Ecclesiæ Romanæ communione separavit, quòd Pascha more Judaico, seu lunâ decimâ quartâ, in quamcumque diem incideret, non verò die Dominicâ proximè sequenti lunam decimam quartam post Æquinoctium Vernum, celebrandum esse obstinatis animis pertenderent.

16 S. *Zephirinus* anno Christi centesimo nonagesimo septimo successit *Victori* Papæ, sedit annos novemdecim, menses undecim, dies quinque, & mortuus est anno Christi ducentesimo decimo septimo, quo Consules fuerunt *C. Brutius Præsens*, *T. Messius Extricatus II.*

17 S. *Callistus*, successor *Zephirini* Papæ, Pontificatum iniit die XVIII. mensis Julii anni Chri- Christi ducentesimi decimi septimi, sedit annos quinque, menses duos, dies decem, & Martyrii palmâ donatus inter vivos esse desiit anno Christi ducentesimo vigesimo secundo, qui in Fastis notatur Consulatu *M. Aurelii Antonini Elagabali Augusti IV. & M. Aurelii Severi Alexandri Cæsaris*.

18 S. *Urbanus*, successit *Callisto* anno Christi ducentesimo vigesimo secundo, sedit annos septem, & aliquot menses, ac dies, & Martyrium passus est anno Christi ducentesimo trigesimo, sub Consulatu *L. Virii Agricolæ*, *& Sext. Catii Clementini*.

19 S. *Pontianus* subrogatus est in locum *Urbani* die XXII. mensis Junii anni ducentesimi trigesimi, sedit annos quinque, menses tres & dies septem, vitamque per Martyrium morte commutavit die vigesimâ octavâ mensis Septembris anni

anni ducentesimi trigesimi quinti, sub Consulatu *Severi*, & *Quinctiani*.

20 S. *Anterus* successit *Pontiano* die vigesimâ primâ mensis Novembris anni Christi ducentesimi trigesimi quinti, sedit mensem unum, & dies tredecim, Martyriumque subiit die tertiâ mensis Januarii anni ducentesimi trigesimi sexti, sub Consulatu *Julii Veri Maximini Augusti*, & *Julii Africani*.

21 S. *Fabianus*, post mortem *Anteri* ordinatus est Romanus Pontifex die XI. mensis Januarii anni Christi ducentesimi trigesimi sexti, & mortem pro Christo oppetiit die XX. mensis Januarii anni Christi ducentesimi quinquagesimi, sub Consulatu *Decii Aug. II.* & *Grati*, seditque annos quatuordecim & dies decem.

22 S. *Cornelius*, postquàm ab obitu *Fabiani* vacasset uno anno Sedes Pontificia, fuit ad Pontificatum evectus anno ducentesimo quinquagesimo primo, sedit unum annum, menses tres, dies decem, & Martyrii gloriâ insignitus est die quartâ mensis Septembris anni Christi ducentesimi quinquagesimi secundi, Consulibus *C. Vibio Treboniano Gallo Augusto II.* & *C. Vibio Volusiano Cæsare*.

23 S. *Lucius* die XXV. mensis Septembris anni ducentesimi quinquagesimi secundi ordinatus est Pontifex Romanus, sedit menses quinque, dies decem, & Martyr occubuit die quartâ mensis Martii anni ducentesimi quinquagesimi tertii, quo Consules fuerunt *C. Vibius Volusianus Aug. II.* & *M. Valerius Maximus*.

24 S. *Stephanus*, postquàm ab obitu *Lucii* vacasset Romana Sedes per duos menses & dies sex, creatus est Pontifex Romanus, sedit annis quatuor,

tuor, mensibus duobus, diebus viginti uno, & Martyrium passus est anno Christi ducentesimo quinquagesimo septimo, *P. Licinio Valeriano Aug. IV. & P. Licinio Gallieno Aug. III.* Consulibus.

25 S. *Sixtus* Papa hujus nominis *Secundus* successit *Stephano* die vigesimâ quartâ mensis Augusti anni ducentesimi quinquagesimi septimi. Sedit menses XI. dies sex, & gloriâ Martyrii donatus est anno Christi ducentesimo quinquagesimo octavo Consulibus *M. Aulio Memmio Tusco, & Basso*.

26 S. *Dionysius*, postquàm ab obitu *Sixti* Papæ Sedes Romana vacasset per annum fermè unum, electus est Pontifex Romanus die XXII. mensis Julii anni ducentesimi quinquagesimi noni, sedit annos decem, menses quinque & dies quatuor, atque Deo spiritum reddidit die XXVI. mensis Decembris anni ducentesimi sexagesimi noni, Consulibus *M. Aurelio Claudio Augusto II. & Paterno*.

27 S. *Felix*, hujus nominis *primus*, ad Pontificatum promotus est die XXVIII. mensis Decembris anni ducentesimi sexagesimi noni, sedit annis quatuor, mensibus vndecim, diebus viginti quinque, & Martyrio vitam clausit die XXII. mensis Decembris anni Christi ducentesimi septuagesimi quarti, Consulibus *Aureliano Aug. III. & Julio Capitolino*.

28 S. *Eutychianus* successit *Felici* Papæ, die quintâ Januarii anni ducentesimi septuagesimi quarti, sedit annis octo, mensibus undecim, diebus tribus, & Martyrium passus est die VII. mensis Decembris anni ducentesimi octogesimi tertii, Consulibus *M. Aurelio Caro Aug. II. & M. Aurelio Carino*.

29 S. Ca-

29 S. *Cajus* Pontifex Romanus ordinatus est die decimâ quintâ mensis Decembris anni ducentesimi octogesimi tertii, & sedit annos duodecim, menses quatuor, dies septem, & Martyr obiit die XXII. mensis Aprilis anni ducentesimi nonagesimi sexti, Consulibus *Diocletiano Aug. VI. & Constantio Cæsare II.*

30 S. *Marcellinus*, postquàm ab obitu *Caii* Papæ vacasset Romana Sedes duobus mensibus & octo diebus, Pontificatum suscepit die XXX. mensis Junii anni ducentesimi nonagesimi sexti, sedit annis octo, mensibus tribus, diebus viginti quinque, & Martyrio extinctus est die XXIV. mensis Octobris anni trecentesimi quarti, Consulibus *Diocletiano Aug. IX. & Maximiano Herculio Aug. VIII.*

31 S. *Marcellus*, postquàm ab obitu *Marcellini* Papæ Sedes Romana vacasset annis tribus, mensibus tribus, diebus viginti quinque, ordinatus est Pontifex Romanus die XXVII. mensis Junii anni trecentesimi octavi, sedit annum unum, menses sex, dies viginti, & Martyr obiit die XVI. mensis Januarii anni trecentesimi decimi.

32 S. *Eusebius* successit *Marcello* Papæ die v. Februarii anni trecentesimi decimi, sedit menses quatuor & dies sexdecim, & decessit die XXI. mensis Junii ejusdem anni trecentesimi decimi.

33 S. *Miltiades*, seu *Melchiades*, Pontificatum suscepit die 2. Julii anni trecentesimi decimi, sedit annos tres, menses sex, dies novem, & mortuus est die x. Januarii anni trecentesimi decimi quarti, Sub hoc Pontifice *Melchiade* Hæretici *Donatistæ* in Concilio Romæ habito anno trecentesimo decimo tertio damnati sunt.

34 S. *Silvester* pridiè Kalendas Februarii anni trecen-

centesimi decimi quarti Pontificatum iniit. Concilium Generale Nicænum primum ad profligandam *Arii* Hæresim convocavit, sedit annis viginti uno, mensibus undecim, & è vita migravit die trigesimâ primâ mensis Decembris anni trecentesimi trigesimi quinti.

35 S. *Marcus* die decimâ octavâ mensis Januarii anni trecentesimi trigesimi sexti sublectus fuit Pontifex Romanus, sedit menses octo, dies viginti, & obiit die septimâ mensis Octobris ejusdem anni.

36 S. *Julius*, postquàm ab obitu *Marci* Papæ vacasset Sedes Romana menses tres, dies viginti novem, Pontificatum auspicatus est die sexta mensis Februarii anni trecentesimi trigesimi septimi. Ad defendendam Catholicam de Consubstantialitate Verbi Divini Fidem, & causam S. *Athanasii*, ab Eusebianis, seu Arianis, penè oppressi, strenuè se gessit. Sedit annis quindecim, mensibus duobus, diebus sex, ac vivis exemptus est die XII. mensis Aprilis anni trecentesimi quinquagesimi secundi.

37 S. *Liberius*, postquàm à morte *Julii* Papæ vacasset Sedes per duos menses & dies aliquot, consecratus est Romanus Pontifex die XXI. mensis Junii anni trecentesimi quinquagesimi secundi, sedit annos quatuordecim, menses tres, dies tres & efflavit animam die XXIII. mensis Septembris anni trecentesimi sexagesimi sexti. In exilium ab Imperatore *Constantio* actus *Liberius* Papa, tædio victus damnavit *Athanasium*, & subscripsit Formulæ Fidei Sirmiensi, non quidem secundæ, quæ penitùs Ariana est, sed primæ, quæ Catholicum sensum pati potest, & contra Hæreticum *Photinum* edita est. Ab exilio rever-

versus *Liberius*, & suâ Romanâ Sede potitus, Nicænam Fidem palam professus est, pacem cum S. *Athanasio* redintegravit, suumque lapsum facti pœnitens reparavit.

38 S. *Felix* hujus nominis *Secundus*, à *Constantio*, Imperatore Ariano, in locum *Liberii* Papæ subrogatus fuerat, qui tamen Pontifex factus, Catholicam Fidem propugnavit, & Martyrium passus est, dùm adhùc *Liberius* Sedem Romanam obtineret.

39 S. *Damasus* ordinatus est Pontifex Romanus die primâ mensis Octobris anni trecentesimi sexagesimi sexti. Sedit annos octodecim, menses duos, dies decem, & extremum spiritum redidit die x. mensis Decembris anni trecentesimi octogesimi quarti. Contra *Damasum*, Romanum Pontificem legitimè electum & ordinatum, schisma in Ecclesia conflavit *Vrsicinius*, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, qui Pontificatum temerario ausu sibi vindicavit. Sed *Vrsicinium*, in Sedem Romanam intrusum, & Schismatis Authorem, Imperator *Gratianus* perpetuo exilio mulctavit, & *Damasum* Sedis Romanæ pacificum possessorem reddidit. Sub Pontificatu *Damasi* habitum est Concilium Generale Constantinopolitanum primum anno 381.

40 S. *Siricius* successit *Damaso* Papæ, seditque annos tredecim, menses undecim, dies quinque, & obiit anno trecentesimo nonagesimo octavo.

41 S. *Anastasius* in Sede Romana successit *Siricio* Papæ die quintâ mensis Decembris anni trecentesimi nonagesimi octavi. Sedit annis tribus, diebus decem, & exiit è vita die decimâ quartâ mensis Decembris anni quadringentesimi primi. Sub Pontificatu *Anastasii* tumultuati sunt Origenistæ,

nistę, eosque suâ auctoritate repressit sanctus ille Pontifex.

42 S. *Innocentius Primus* Pontifex Romanus inauguratus est die vigesimâ primâ mensis Decembris anni quadringentesimi primi, seditque annis quindecim, mensibus duobus, diebus viginti, vitâque functus est die XII. mensis Martii anni quadringentesimi decimi septimi. *Pelagium*, *Cælestium*, & *Julianum* Hæreticos proscripsit Sanctissimus ille Pontifex, S. *Joannis Chrysostomi* appellationem suscepit, & omnia, quæ adversùs illum in pseudo-Synodo *ad Quercum*, malè gesta ac decreta fuerant, suâ auctoritate, rescîdit.

43 S. *Zozimus* ordinatus est Romanus Pontifex die XVIII. mensis Martii anni quadringentesimi decimi septimi. Sedit annum unum, menses novem, & ad Deum migravit die XXVI. Decembris anni quadringentesimi decimi octavi.

44 S. *Bonifacius* hujus nominis *Primus* in Romanum Pontificem electus est die vigesimâ nonâ mensis Decembris anni quadringentesimi decimi octavi, sedit annos tres, menses octo, dies sex, & mortuus est die quartâ Septembris anni quadringentesimi vigesimi secundi. *Eulalius* Antipapa, cui *Symmachus*, Urbis Romæ Præfectus, favebat, contra *Bonifacium* legitimum, Pontificem inducto Schismate Ecclesiam turbavit, sed, *Eulalio* Antipapâ Româ jussu Imperatoris pulso, sedatum est Schisma.

45 S. *Cœlestinus* hujus nominis *Primus* die decimâ mensis Septembris anni quadringentesimi vigesimi secundi Pontifex Romanus consecratus est. Sedit annos novem, menses decem, dies novem, obiit die XVIII. mensis Julii anni quadringentesimi

ſimi trigeſimi ſecundi. Semipelagianos compreſſit, & per ſuos Legatos præfuit Concilio Generali Epheſino anno ccccxxxi. celebrato, in quo *Neſtorii* Hæreſis proſcripta fuit.

46 S. *Sixtus* Papa hujus nominis *Tertius* in locum *Cæleſtini* Romani Pontificis ſubrogatus eſt die vigeſimâ quartâ menſis Julii anni quadringenteſimi trigeſimi ſecũdi, & exceſſit è vita die xi. menſis Auguſti anni quadringenteſimi quadrageſimi. Sub iſtius *Sixti* Pontificatu pax ſancita eſt *Cyrillum* Patriarcham Alexandrinum inter & *Joannem* Patriarcham Antiochenum & alios Orientales Epiſcopos.

47 S. *Leo*, poſt interpontificum xli. dierum ab obitu *Sixti III.* electus eſt Pont. Romanus die xxii. menſis Septemb. an. quadringenteſimi quadrageſimi. Sedit an. viginti unum, menſem unum, dies tredecim, migravitque ad Deum die quartâ menſis Novembris anni quadringenteſimi ſexageſimi primi. Sub Pontificatu Sancti *Leonis* celebratum eſt contra Hæreſiarcham *Eutychetem* Concilium Chalcedonenſe anno ccccli.

48 S. *Hilarus* ſucceſſit S. *Leoni* Papæ, & Pontificatum iniit die xii. menſis Novembris anni quadringenteſimi ſexageſimi primi. Sedit annos ſex, menſes tres, dies decem, & obiit die xxi. menſis Februarii anni quadringenteſimi ſexageſimi octavi.

49 S. *Simplicius*, poſt quatuor dierum à morte *Hilari* Papæ intervallum, Pontifex Romanus fuit inauguratus die xxv. menſis Februarii anni quadringenteſimi ſexageſimi octavi, & præfuit Eccleſiæ Romanæ per annos quindecim & dies ſex, obiitque die i. menſis Martii anni quadringenteſimi octogeſimi tertii.

50 S. *Felix Tertius*, post quinque dierum interpontificium, successit *Simplicio* die VI. mensis Martii anni quadringentesimi octogesimi tertii, seditque annos octo, menses undecim, dies octodecim, & ex hac vita migravit die XXIV. Februarii anni quadringentesimi nonagesimi secundi.

51 S. *Gelasius* consecratus est Pontifex Maximus die primâ mensis Martii anni quadringentesimi nonagesimi secundi. Sedit annos quatuor, menses octo, dies octodecim, & è vivis excessit die decimâ nonâ mensis Novembris anni quadringentesimi nonagesimi sexti.

52 S. *Anastasius Secundus* Pontifex Romanus ordinatus est die XXIV. mensis Novembris anni quadringentesimi nonagesimi sexti, & sedit annum unum, menses undecim, dies viginti quatuor, & mortuus est die XVII. mensis Novembris anni quadringentesimi nonagesimi octavi.

53 S. *Symmachus* successit *Anastasio Secundo* die vigesimâ secundâ mensis Novembris anni quadringentesimi nonagesimi octavi. Ejus electionem turbare tentavit *Laurentius*, S. Praxedis Archipresbyter, qui, instigante *Festo*, Senatore Romano, se in pseudo-Pontificem, effusis pecuniis, eligendum curavit, At, *Theodoricus*, Rex Italiæ, Sectâ licèt Arianus, litem adjudicavit *Symmmacho*, qui prior, & à majori, saniorique Cleri parte fuerat electus. Sedit *Symmachus* annos quindecim, menses septem, & dies viginti septem, & vivis sublatus est die decimâ nonâ mensis Julii anni DXIV.

54 S. *Hormisdas* in locum *Symmachi* suffectus est die XXVII, mensis Julii anni DXIV. sedit annos novem, & dies undecim, & in vivis esse desiit die

die VI. mensis Augusti anni DXXIII.
55 S. *Joannes Primus* successit *Hormisdæ* Papæ, & fuit ordinatus Pontifex Romanus die decimâ tertiâ mensis Augusti anni DXXIII. Sedit annos duos, menses novem, & dies sex, Martyrque occubuit die XVIII. mensis Maii anni DXXVI.
56 S. *Felix* hujus nominis IV. die XII. mensis Julii anni DXXVI. Pontifex Romanus consecratus est. Sedit an. quatuor, & menses duos, dies sex, atque præclaris virtutibus exornatus ex hac vita discessit die XVIII. mensis Septembris anni DXXX.
57 *Bonifacius* II. Pontifex Romanus ordinatus est die vigesimâ primâ mensis Septembris anni quingentesimi trigesimi. Synodum secundam Arausicanam, in qua Hæretici Semipelagiani fuerunt proscripti, confirmavit. Sedit annos duos & dies viginti sex, obiitque die XVII. mensis Octobris anni quingentesimi trigesimi secundi.
58 *Joannes* II. post intervallum septuaginta sex dierum ab obitu *Bonifacii* II. Pontifex Romanus fuit renunciatus die XXXI. mensis Decembris anni quingentesimi trigesimi secundi. Pontificatum tenuit annos duos, menses quatuor, dies viginti sex, & extremum diem obiit die vigesimâ sextâ mensis Maii anni quingentesimi trigesimi quinti.
69 S. *Agapetus* electus & inauguratus est Pontifex Romanus die tertiâ mensis Junii anni quingentesimi trigesimi quinti. *Anthimum*, Patriarcham Constantinopolitanum, Hæreticum Eutychianum, è Sede Constantinopolitanâ dejecit, & in ejus locum *Mennam*, virum maximè Catholicum, auctoritate Apostolicâ subrogavit. Sedit menses decem, dies undeviginti, obiitq;

Constantinopoli die XXII. mensis Aprilis anni quingentesimi trigesimi sexti.

60 S. *Silverius*, postquàm à morte *Agapeti* Sedes Pontificia per dies quadraginta septem vacasset, Pontifex Romanus consecratus est die VIII. mensis Junii anni quingentesimi trigesimi sexti. Missus est in exilium à *Vigilio*, qui Sedem Pontificiam invasit, ibique inediâ & calamitatibus confectus, Martyr occubuit die XX. mensis Junii anni quingentesimi trigesimi octavi.

61 *Vigilius*, qui, favente *Belisario*, Romani exercitus Duce, in Sedem *Silverii* legitimi Pontificis irrepserat, mortuo *Silverio*, vero & legitimo Pontifice, fuit à Clero in legitimis Comitiis renuntiatus Pontifex Romanus. Seditque usque ad annum quingentesimum quinquagesimum quartum, quo oppressus dolore calculi obiit in Sicilia, dùm Romam rediret. Sub hoc Pontifice habita est quinta Synodus Generalis, seu Constantinopolitana secunda, anno quingentesimo quinquagesimo tertio.

62 S. *Pelagius* hujus nominis I. in sede Pontificia *Vigilium* excepit die XI. mensis Aprilis an. quingentesimi quinquagesimi quinti. Sedit an. quatuor, menses 10., dies 10. & octo, & vitâ functus est die 1. mensis Martii an. 560.

63 *Joannes* hujus nomini III. postquàm Sedes Pontificia cessasset à morte *Pelagii* I. menses quatuor & dies XVII. Pontificatum iniit die XVIII. mensis Julii anni quingentesimi sexagesimi, & Ecclesiam Romanam gubernavit annos XII. menses XI. & dies XXVI. Mortuus est die XIII. mensis Julii anni quingentesimi septuagesimi tertii.

64 S. *Benedictus* hujus nominis I. post Interpontificium à morte *Joannis* III. mensium decem, viginti

ginti & unius dierum, ordinatus eſt Pontifex Romanus die tertiâ menſis Junii anni quingenteſimi ſeptuageſimi quarti, ſeditque annos quatuor, menſem unum, dies viginti octo, & è vivis exceſſit die xxx. menſis Julii anni quingenteſimi ſeptuageſimi octavi.

65 *Pelagius* II. poſtquàm ab obitu *Benedicti* I. Sedes vacaſſet menſes quatuor, fuit electus Pontifex die trigeſimâ menſis Novembris anni quingenteſimi ſeptuageſimi octavi. Sedit annos XI. menſes duos, dies decem & migravit è vita die octavâ menſis Februarii anni quingenteſimi nonageſimi.

66 S. *Gregorius Magnus* hujus nominis I. poſt Interpontificium ab obitu *Pelagii* II. menſium ſex, & dierum viginti quinque, conſecratus eſt Pontifex Romanus die tertiâ menſis Septembris anni quingenteſimi nonageſimi. Donatiſtas in Africa cöercuit, & *Joannis*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, ſe *Œcumenicum*, ſeu *univerſalem* Epiſcopum, inſcribentis, faſtum cohibuit. Angliam ad Fidem convertit, & Eccleſiæ Latinæ Sanctiſſimus Doctor habetur. Sedit annos XIII. menſes ſex, dies decem, & ad Deum migravit die XII. menſis Martii anni ſexcenteſimi quarti, quâ die à Fidelibus colitur.

67 *Sabinianus*, poſt Interpontificum menſium ſex & diei unius, Romanus Pontifex conſecratus eſt die XIII. menſis Septembris anni ſexcenteſimi quarti. Et ſedit annum unum dumtaxat, menſes quinque, & dies novem, obiitque die XXII. menſis Februarii anni ſexcenteſimi ſexti.

68 S. *Bonifacius* III. poſt Interpontificium menſium XI. & dierum XXVI. inauguratus eſt Pontifex Maximus, & Pontificatum tenuit uſque

ad diem x. mensis Novemb. anni sexcentesimi septimi.

69 *Bonifacius* IV. post Interpontificium novem mensium & dierum quindecim, fuit Romanus Pontifex consecratus die vigesimâ quintâ mensis Augusti anni sexcentesimi octavi. Ab Imperatore *Phoca* obtinuit Templum, quod Romæ dicitur Pantheon, illudque, eliminatis prorsùs Ethnicorum superstitionibus, consecravit Sanctæ *Mariæ* semper Virgini, & Sanctis omnibus Martyribus. Sedit annos sex, menses octo, dies tredecim, & abiit è vivis die VII. mensis Maii anni sexcentesimi decimi quinti.

70 *Deusdedit*, postquàm Sedes ab obitu *Bonifacii* IV. vacasset quinque menses & dies undecim, ad Pontificatum fuit provectus die XIX. mensis Octobris anni sexcentesimi decimi quinti. Sedit annos tres, dies viginti, obiitque die VIII. mensis Novembris anni sexcentesimi decimi octavi

71 S. *Bonifacius* V. post Interpontificium anni unius, mensis unius & dierum sexdecim, ordinatus est Pontifex Romanus die vigesimâ tertiâ mensis Decembris anni sexcentesimi decimi noni. Sedit annos quinque, menses decem, sine ullâ dierum Appendice, & obiit die XXII. mensis Octobris anni sexcentesimi vigesimi quinti.

72 *Honorius* hujus nominis I. successit *Bonifacio* V. die XXVII. mensis Octobris anni sexcentesimi vigesimi quinti, & sedit annis duodecim, mensibus undecim, diebus sexdecim, & obiit die XII mensis Octobris an. sexcentesimi trigesimi octavi. Hic Pontifex perperàm ab Hæreticis Monothelitarum hæreseos insimulatur, & ab eâ tam verè, quàm piè vindicatur.

73 *Severinus*, post Interpontificium unius anni septem

ſeptem menſium, & quindecim dierum, conſecratus eſt Pontifex Romanus die xxviii. menſis Maii anni ſexcenteſimi quadrageſimi. Sedit menſes duos & dies quatuor, & abiit è vivis die primâ menſis Auguſti ejuſdem anni ſexcenteſimi quadrageſimi.

74 *Joannes* hujus nominis IV. poſtquàm ab obitu *Severini* Papæ vacaſſet Sedes Apoſtolica menſes quatuor & dies viginti quatuor, ordinatus eſt Pontifex Romanus die xxiv. menſis Decembris anni ſexcenteſimi quadrageſimi. Sedit annum unum, menſes novem, & dies octodecim, obiitque die undecimâ menſis Octobris anni ſexcenteſimi quadrageſimi ſecundi.

75 S. *Theodorus*, poſt Interpontificium unius menſis & dierum tredecim, conſecratus eſt Pontifex Romanus die vigeſimâ quartâ menſis Novembris anni ſexcenteſimi quadrageſimi ſecundi. Sedit annos ſex, menſes quinque, & dies novemdecim, atque humanis ereptus eſt die decimâ tertiâ menſis Maii anni ſexcenteſimi quadrageſimi noni.

76 S. *Martinus* hujus nominis I. poſt dies quinquaginta duos ab obitu *Theodori Papæ* electus eſt Pontifex Maximus die quintâ Julii anni ſexcenteſimi quadrageſimi noni. Miſſus eſt in exilium ab Imperatore *Conſtante*, Hæretico Monothelita, anno ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, ibique morbis & ærumnis confectus ad cœleſtem patriam, Martyrii coronâ redimitus, migravit die xvi. menſis Septembris anni ſexcenteſimi quinquageſimi quinti.

77 S. *Eugenius* hujus nominis I. vivente adhuc in exilio *Martino* I. eoque, ad præcavendas Imperatoris *Conſtantis*, Hæretici Monothelitæ, inſi-

dias, ultrò conſentiente; à Clero Romano electus eſt Pont. Max. die VIII. menſis Septembris an. ſexcenteſimi quinquageſimi quarti, ſeditq; annis duobus, menſibus octo, diebus viginti quatuor, & mortuus eſt die primâ menſis Junii anni ſexcenteſimi quinquageſimi ſeptimi.

78 S. *Vitalianus*, poſtquàm ab obitu *Eugenii* Papæ vacaſſet Sedes per menſem unum & dies viginti novem, creatus eſt Pontifex Maximus die trigeſimâ menſis Julii anni ſexcenteſimi quinquageſimi ſeptimi, ſeditque annos quatuordecim, menſes ſex, & obiit die XXVII. menſis Januarii anni ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſecundi.

79 *Adeodatus*, poſt Interpontificium à *Vitaliani* Papæ obitu duorum menſium & dierum viginti quinque, conſecratus eſt Pontifex Maximus die XXII. menſis Aprilis anni ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſecundi, ſeditque annos quatuor, menſes duos, dies quinque, & abiit è vivis die XXVI. menſis Junii anni ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſexti.

80 *Donus*, poſtquàm à morte *Adeodati* Papæ vacaſſet Sedes menſes quatuor & dies quinque, ordinatus eſt Pontifex Romanus die I. menſis Novembris anni ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſexti. Sedit annum unum, menſes quinque, dies decem, & deceſſit è vita die XI. menſis Aprilis anni ſexcenteſimi octavi.

81 S. *Agatho*, poſtquàm ab obitu *Doni* Papæ vacaſſet Sedes menſes duos & dies quindecim, inauguratus eſt Pontifex Maximus die vigeſimâ ſeptimâ menſis Junii anni ſexcenteſimi ſeptuageſimi octavi. Præfuit per ſuos Legatos ſextæ Synodo Generali contra Hæreticos Monothelitas an. ſexcenteſimo octogeſimo celebratæ, ſeditque annos

nos tres, menses sex, dies quindecim, & obiit die x. mensis Januarii anni sexcentesimi octogesimi secundi.

82 S. *Leo* hujus nominis II. post Interpontificium septem mensium & septem dierum, in locum *Agathonis* Papæ suffectus est die XVII. mensis Augusti anni sexcentesimi octogesimi secundi. Sedit menses decem, dies septemdecim, & ad Deum migravit die III. mensis Julii anni sexcentesimi octogesimi tertii.

83 S. *Benedictus* hujus nominis II. postquàm ab obitu *Leonis* II. cessasset Pontificatus menses undecim, & dies viginti duos, consecratus est Pontifex Romanus die XXVI. mensis Junii anni sexcentesimi octogesimi quarti. Sedit menses decem, dies duodecim, & è vita discessit die VII. mensis Maii anni sexcentesimi octogesimi quinti.

84 *Joannes* hujus nominis V. postquàm à morte *Benedicti* II. vacasset Sedes per menses duos & dies quindecim, ordinatus est Pontifex Romanus die vigesimâ tertiâ mensis Julii anni sexcentesimi octogesimi quinti. Sedit annum unum, dies decem, & mortuus est die secundâ mensis Augusti anni sexcentesimi octogesimi sexti.

85 *Conon*, post Interpontificium mensium duorum & dierum octodecim, electus est Pontifex Romanus die XXI. mensis Octobris anni sexcentesimi octogesimi sexti. Sedit menses XI. & è vita migravit die XXI. mensis Septembris anni sexcentesimi octogesimi septimi.

86 S. *Sergius* hujus nominis I. post duorum mensium, & dierum viginti trium Interpontificium, per quod duravit Schisma excitatum à *Theodoro* Archipresbytero, & *Paschali* Archidiacono, qui Summo Pontificatui inhiantes, Se-

dem Apostolicã invaserant; electus est Pontifex Romanus die xv. mensis Decembris anni sexcentesimi octogesimi septimi. Sedit annos tredecim, menses octo, dies viginti tres, & obiit die vii. mensis Septembris anni septingentesimi primi.

87 *Joannes* hujus nominis VI. post Interpontificium unius mensis & dierum viginti, ordinatus est Pontifex Romanus die xxviii. mensis Octobris anni septingentesimi primi. Sedit annos tres, menses duos, & dies duodecim, & mortuus est die ix. mensis Januarii anni septingentesimi quinti.

88 *Joannes* hujus nominis VII. post Interpontificium unius mensis & dierum novemdecim, creatus est Pontifex Romanus die primâ mensis Martii anni septingentesimi quinti. Pontificatum gessit per duos annos, menses septem, dies septemdecim, atque supremum diem obiit die xvii. mensis Octobris anni septingentesimi septimi.

89 *Sisinnius*, post trium mensium Interpontificium, electus est Pontifex Romanus die xviii. mensis Januarii anni septingentesimi octavi, seditque dies dumtaxat viginti, & in vivis esse desiit die vi. mensis Februarii anni septingentesimi octavi.

90 *Constantinus*, post Interpontificium unius mensis & dierum undeviginti, ordinatus est Pontifex Romanus die xxiv. mensis Martii anni septingentesimi octavi. Rexit Ecclesiam Romanam usque ad diem viii. mensis Aprilis anni septingentesimi decimi quinti, quo ex hac vita discessit.

91 S. *Gregorius* hujus nominis II. post Interpontificium dierum quadraginta, consecratus est Pon-

Pontifex Romanus die XIX. mensis Maii anni septingentesimi decimi quinti. Sedit annos quindecim, menses VIII. dies XXIII. & obiit die XI. mensis Febr. an. septingentesimi trigesimi primi.

92 S. *Gregorius* hujus nominis III. post breve Interpontificium, ordinatus est Pontifex Romanus die XVIII. mensis Martii anni septingentesimi trigesimi primi. Sedit annos decem, menses octo, dies decem, & in vivis esse desiit die XXVIII. mensis Novembris anni septingentesimi quadragesimi primi.

93 S. *Zacharias* consecratus est Pontifex Romanus die XXX. mensis Novembris anni septingentesimi quadragesimi primi. Sedit annos decem, menses tres, dies quatuordecim, & mortuus est die XIV. mensis Martii anni septingentesimi quinquagesimi secundi.

94 *Stephanus* hujus nominis II. ad Pontificatum electus est, sed subitâ morte interceptus, ordinari ac consecrari non potuit. Debet tamen inter veros Pontifices Romanos recenseri, sicut illum multi Scriptores Ecclesiastici, post Cardinalem *Baronium*, & omnes pervulgatæ Romanorum Pontificum Tabulæ Chronologicæ recensere solent.

95 *Stephanus* hujus nominis III. ordinatus est Pontifex Maximus die vigesimâ sextâ mensis Martii anni septingentesimi quinquagesimi secundi. Sedit annos quinque, dies viginti novem, & mortuus est die XXIV. mensis Aprilis anni septingentesimi quinquagesimi septimi.

96 S. *Paulus* hujus nominis I. postquàm ab obitu *Stephani* III. Papæ Sedes Apostolica vacasset per dies triginta quinque, consecratus est Pontifex Romanus die vigesimâ nonâ mensis Maii anni septin-

ſeptingenteſimi quinquageſimi ſeptimi. Sedit annos decem, menſem unum, & ſpiritum Deo reddidit die XXVIII. menſis Junii anni ſeptingenteſimi ſexageſimi ſeptimi.

97 *Stephanus* hujus nominis IV. poſt anni, & menſis unius Interpontificium, per cujus temporis ſpatium vacavit Sedes Apoſtolica, quam *Conſtantinus* Antipapa invaſerat, ſummo omnium conſenſu electus eſt Pontifex Maximus die ſeptimâ menſis Auguſti anni ſeptingenteſimi ſexageſimi octavi. Sedit annos tres, menſes quinque, dies viginti ſeptem, & fato functus eſt die ſecundâ menſis Februarii anni ſeptingenteſimi ſeptuageſimi ſecundi.

98 *Hadrianus* I. Pontificatum iniit die IX. menſis Februarii anni ſeptingenteſimi ſeptuageſimi ſecundi, rexitque Eccleſiam uſque ad diem XXV. menſis Decembris anni ſeptingenteſimi nonageſimi quinti. Sub hoc Pontifice habita eſt contra Iconomachos ſeptima Synodus Generalis, ſeu Nicæna ſecunda, anno ſeptingenteſimo octuageſimo ſeptimo.

99 S. *Leo* hujus nominis III. ordinatus fuit Pontifex Maximus die XXVII. menſis Decembris anni ſeptingenteſimi nonageſimi quinti. Sedit annos viginti, menſes quinque, dies ſexdecim, & ex hac vita migravit die XI. menſis Junii anni octingenteſimi decimi ſexti.

100 *Stephanus* hujus nominis V. electus eſt Pontifex Romanus die XXII. menſis Junii anni octingenteſimi decimi ſexti, ſedit per ſeptem dumtaxat menſes, & diem ultimum clauſit die XXIV. menſis Januarii anni octingenteſimi decimi ſeptimi.

101 S. *Paſchalis* hujus nominis I. in locum *Stepha-*

in

ni V. Papæ ſuffectus eſt die XXV. menſis Januarii ejuſdem anni octingenteſimi decimi ſeptimi. Sedit annos ſeptem, & dies ſeptemdecim, & diſceſſit è vita die decimâ menſis Februarii anni octingenteſimi vigeſimi quarti.

102 *Eugenius* hujus nominis II. fuit ordinatus Pontifex Maximus die XIV. menſis Februarii anni octingenteſimi vigeſimi quarti. Sedit annos tres, menſes & dies incertos, & obiit menſe Auguſto anni octingenteſimi vigeſimi ſeptimi.

103 *Valentinus* demortuo *Eugenio* II. ſubſtitutus eſt, ſed quadrageſimo die ab inauguratione ſuâ è vivis ſublatus eſt.

104 *Gregorius* hujus nominis IV. ſucceſſit *Valentino* Papæ eodem anno octingenteſimo vigeſimo ſeptimo, ſed menſe & die incertis, cùm duratio ceſſationis Sedis Pontificiæ poſt *Valentini* Papæ obitum omninò ignoretur. Sedit annos ſexdecim, & migravit è vita VIII. Kal. Febuarii anni octingenteſimi quadrageſimi quarti.

105 *Sergius* hujus nominis II. die decima mensis Febr. anni octingenteſimi quadragesimi quarti Pontifex Maximus renunciatus & ordinatus eſt. Sedit annos tres abſque ulla mensium & dierum appendice, obiitque die XXVII. mensis Januarii anni octingentesimi quadragesimi ſeptimi.

106 S. *Leo* hujus nominis IV. poſtquàm ab obitu *Sergii* II. Papæ Sedes Pontificia vacaſſet menſes duos & dies quindecim, electus ac conſecratus eſt Pontifex Maximus die XI. mensis Aprilis anni octingentesimi quadragesimi ſeptimi. Eccleſiam Romanam gubernavit annis octo, menſibus tribus, & diebus ſex, atque ad cœleſtem vitam migravit die decimâ ſeptima mensis Julii

anni octingentesimi quinquagesimi quinti.

107 *Benedictus* hujus nominis III. postquàm ab obitu *Leonis* IV. vacasset Sedes Apostolica per menses duos & dies duodecim, ordinatus est Romanus Pontifex die XXIX. mensis Septembris anni octingentesimi quinquagesimi quinti, & *Anastasius*, qui Sedem Apostolicam invaserat, tanquàm Antipapa ejectus est. Ecclesiam Romanam per an. duos, menses sex, & dies decem sanctissimè rexit *Benedictus* III. & è vita excessit die VIII. Aprilis an. octingentesimi quinquagesimi octavi. Cùm certum sit, *Benedictum* III. successisse in Sede Pontificia *Leoni* IV. explodi debet malè consuta illa fabula, quam obtrudunt nonnulli, qui dictitant, *Joannam* Papissam successisse *Leoni* IV. eamque Pontificatum per annos duos, mensem unum, & dies quatuor tenuisse.

108 S. *Nicolaus* hujus nominis I. successit *Benedicto* III. & consecratus est Romanus Pontifex die XXIV. mensis Aprilis anni octingentesimi quinquagesimi octavi. Sedit annos novem, menses sex, dies viginti, & migravit ad Deum die XIII. mensis Novembris anni octingentesimi sexagesimi septimi.

109 *Hadrianus* hujus nominis II. suffectus est in locum *Nicolai* Papæ I. die XIV. mensis Decembris anni octingentesimi sexagesimi septimi. Sedit annos quinque, & obiit anno octingentesimo septuagesimo secundo. Sub hoc Pontifice habitum est Concilium octavum Generale, seu Constantinopolitanum quartum, contra *Photium*, Schismaticum Patriarcham Constantinopolitanum.

110 *Joannes* hujus nominis VIII. consecratus est Pontifex Romanus die XIV. mensis Decembris anni

anni octingentesimi septuagesimi secundi. Sedit annos decem, & dies duos, & abiit è vivis die xv. mensis Decembris anni octingentesimi octogesimi secundi.

111 *Marinus*, post paucos ab obitu *Joannis* VIII. dies, ad Summum Pontificatum fuit sublimatus, seditque annum unum, & menses quinque, & obiit die incerto mensis Maii anni octingentesimi octogesimi quarti.

112 *Hadrianus* hujus nominis III. eodem mense, quo mortuus est *Marinus* Pontifex ad Romanam Sedem provectus est. Sedit annum unum, & menses quatuor, obiitque anno octingentesimo octogesimo quinto.

113 *Stephanus* hujus nominis VI. successit *Hadriano* III. Papæ. Sedit in Cathedra *Petri* annos sex, & extremum diem obiit anno octingentesimo nonagesimo primo.

114 *Formosus* eodem mense & anno, quo *Stephanus* VI. Papa è vivis sublatus est, hoc est, mense Majo anni octingentesimi nonagesimi primi, consecratus est Pontifex Romanus. Sedit annos quatuor & menses septem, & inter vivos esse desiit die IV. Aprilis anni octingentesimi nonagesimi sexti. Mortuo *Formoso* Papa, *Bonifacius* hujus nominis VI. Sedem Romanam invasit, quam diebus tantùm quindecim tanquam Antipapa tenuit.

115 *Stephanus* hujus nominis VII. expulso Antipapa *Bonifacio* VI. se ipsum in Sedem Pontificiam malis artibus intrusit, accedente tamen Cleri consensu, legitimus Pontifex habitus est, ne Schismate Ecclesia scinderetur. Sedit annum unum, mensem unum, & dies aliquot; tandem in carcerem detrusus est, ubi strangulatus periit anno

anno octingentesimo nonagesimo septimo.
116 *Romanus*, post mortem *Stephani* VII. Papæ, creatus & ordinatus est Pontifex Maximus, seditque per quatuor dumtaxat menses, & obiit anno octingentesimo nonagesimo octavo.
117 *Theodorus* hujus nominis II. post mortem *Romani* Papæ, electus est Pontifex Romanus, qui per dies tantùm viginti Pontificatum tenuit, & è vivis sublatus est anno octingesimo nonagesimo octavo.
118 *Joannes* hujus nominis IX. in locum *Theodori* II. Papæ circa medium mensem Julium anni octingentesimi nonagesimi octavi subrogatus est. Sedit annos duos & dies quindecim, & diem ultimum clausit circa initium mensis Augusti anni nongentesimi.
119 *Benedictus* hujus nominis IV. mortuo *Joanne* IX. Papa anno nongentesimo creatus est Pontifex Maximus, rexitq; Ecclesiam annos tres & menses duos, & migravit ad Deum circà initium mensis Octobris anni nongentesimi tertii.
120 *Leo* hujus nominis V. successit *Benedicto* IV. seditque mensem unum & dies XXVI. vel XXVII. fuitque conjectus in vincula à *Christophoro*, qui sedem Romanam óccupavit.
121 *Christophorus*, postquàm sedisset menses citèr septem, à Sede Pontificia per vim deturbatus, habitum Monasticum induere cóactus est:
122 *Sergius* hujus nominis III. Sedem Pontificiam obtinuit, sedit annis septem, mensibus tribus, diebus incertis, obiitque anno nongentesimo decimo.
123 *Anastasius* hujus nominis III. postquàm à morte *Sergii* III. vacasset Sedes uno aut altero die, electus est

eſt Pontifex Maximus, ſeditque annos duos & totidèm menſes, & mortuus eſt anno nongenteſimo decimo tertio.

124 *Lando* ſucceſſit *Anaſtaſio* III. die XVI. mensis Octobris anni nongentesimi decimi tertii. Sedit tantùm per menſes ſex, & dies decem, & obiit die XXVI. mensis Aprilis anni nongentesimi decimi quarti.

125 *Joannes* hujus nominis X. circà diem vigesimum ſeptimum mensis Aprilis ordinatus eſt Romanus Pontifex. Sedit annos quatuordecim, paucos menſes & dies aliquot, & obiit, Sede Pontificia à *Vuidone*, Tuſciæ Marchione, depositus, anno nongentesimo vigesimo nono.

126 *Leo* hujus nominis VI. ſuffectus eſt in locum *Joannis* X. ſed æmulorum factione oppreſſus & in carcerem conjectus, diem ſupremum obiit circa diem tertium mensis Februarii anni nongentesimi vigesimi noni, poſtquàm mensibus ſeptem, & diebus quinque Ecclesiam Romanam rexiſſet.

127 *Stephanus* VIII. ſucceſſit *Leoni* VI. ſeditque annos duos, menſem unum, dies duodecim, & finem vivendi fecit anno nongentesimo trigesimo primo.

128 *Joannes* hujus nominis XI. ſucceſſit *Stephano* VIII. circà diem quintum menſis Martii anni nongenteſimi trigeſimi primi. Rexit Eccleſim annis quatuor, & menſibus decem, & obiit, in carcere à fratre ſuo *Alberico* detentus, initio menſis Januarii anni nongenteſimi trigeſimi ſexti.

129 *Leo* hujus nominis VII. ſucceſſit *Joanni* XI. Sedit annos tres, menſes ſex, dies decem, & obiit circà diem XVIII. menſis Julii anni nongenteſimi trigeſimi noni.

130 *Stephanus* hujus nominis IX. ſucceſſit *Leoni Septimo* Papæ, ſeditque annos tres, menſes quatuor, dies quindecim, & mortuus eſt ineunte circiter menſe Decembri anni nongenteſimi quadrageſimi ſecundi.

131 *Marinus* hujus nominis II. ſucceſſit *Stephano Nono*. Sedit annos tres, menſes ſex, & dies tredecim, ſupremumque diem obiit paulò ante medium menſem Julium anni nongenteſimi quadrageſimi ſexti.

132 *Agapetus* hujus nominis II. ſucceſſit *Marino* II. Sedit annos decem & aliquot menſes, abiitque è vivis anno nongenteſimo quinquageſimo ſexto.

133 *Joannes* hujus nominis XII. ſucceſſit *Agapeto Secundo*. Româ expulit Antipapam, dictum *Leonem* VIII. ab Imperatore *Ottone* in Sedem Apoſtolicam intruſum. Sedit annos ſeptem & aliquot menſes, obiitque anno nongenteſimo ſexageſimo quarto.

134 *Benedictus* hujus nominis V. ſuffectus eſt in locum *Joannis* XII. Sed *Otto* Imperator, captâ Româ, *Leonem* VIII. Antipapam denuò in Sedem Apoſtolicam intruſit, & *Benedictum* V. legitimum Pontificem, perpetuo exilio in Germaniam ablegavit, ubi mortuus eſt anno nongenteſimo ſexageſimo quinto. Eodem anno è vivis ſublatus eſt Antipapa *Leo* VIII. qui, patrocinante *Ottone* Imperatore, temerario auſu Sedem Apoſtolicam ſemel ac iterùm invaſit.

135 *Joannes* XIII. ſucceſſit *Benedicto* V. Papæ die primâ menſis Octobris anni nongenteſimi ſexageſimi quinti. Sedit annos ſex, menſes undecim, dies quinque, obiitque VIII. Idus Septembris anni nongenteſimi ſeptuageſimi ſecundi.

136 *Bene-*

136 *Benedictus* VI. post Interpontificium trium circitèr mensium ab obitu *Joannis* XIII. electus est Pontifex Romanus sub finem mensis Decembris anni nongentesimi septuagesimi secundi, cùmque sedisset annum unum & menses tres à *Francone*, Cardinali nequissimo, in carcerem detrusus, crudeliter strangulatus est anno nongentesimo septuagesimo quarto. Post necem *Benedicti* VI. Pontificis, *Franco* Cardinalis, ejus parricida, Sedem Apostolicam invasit, dictus *Bonifacius* VII. sed postquàm ille Antipapa Sedem Romanam per mensem unum tenuisset, Româ expulsus est.

137 *Donus* hujus nominis II. successit *Benedicto* VI. sed quo mense, quove die ordinatus fuerit, vel renunciatus Pontifex Romanus, sciri non potest, quia antiqua monumenta, eo Sæculo decimo, quod fuit Sæculum ignorantiæ, ferreum, plumbeum, & obscurum, deficiunt, & valdè per hæc tempora confusæ ac perturbatæ sunt Historia & Chronotaxis Romanorum Pontificum. Constat tamen, brevissimum fuisse Pontificatum *Doni* II. Papæ, quippè qui obiit annò nongentesimo septuagesimo quinto.

138 *Benedictus* hujus nominis VII. post duorum circiter mensium ab obitu *Doni* II. Papæ Interpontificium, electus est Pontifex Romanus antè diem xxv. mensis Martii anni nongentesimi septuagesimi quinti. Sedit annos novem & aliquot menses, obiitque die x. mensis Julii anni nongentesimi octogesimi quarti.

139 *Joannes* XIV. successit *Benedicto* VII. Sed Antipapa *Bonifacius* VII. qui Româ expulsus fuerat, Urbem posteà reversus, in Castro S. Angeli inclusit *Joannem* XIV. legitimum Pontifi-

cem, qui ibidem fame, aut propinato veneno ſublatus eſt an. nongenteſimo octogeſimo quinto. Antipapa verò *Bonifacius* VII. qui denuò Sedem Apoſtolicam invaſit, repentinâ morte eodem anno è vivis raptus eſt.

140 *Joannes* XV. menſe Decembri anni nongenteſimi octogeſimi quinti ordinatus eſt Pontifex Maximus, & obiit anno nongenteſimo nonageſimo ſexto, cùm undecimum Pontificatus annum inchoaſſet.

141 *Gregorius* V. ſucceſſit *Joanni* XV. Sedem tamen Apoſtolicam invaſit *Joannes* Placentinus, creatus Antipapa à *Creſcentio*, qui Romæ tyrannidem exercebat. Sed *Gregorium* V. verum Pontificem, ſtrenuè defendit *Otto* Imperator, qui Romam cum exercitu veniens, *Joannem* Placentinum, Antipapam, in ordinem redegit, & *Creſcentium* tyrannum ultimo affecit ſupplicio. Sedit *Gregorius* V. uſque ad annum nongenteſimum nonum, quo mortuus eſt XII. Kal. Martii ſeu die XVIII. menſis Februarii.

142 *Silveſter* II. ſucceſſit *Gregorio* V. die 2. menſis Aprilis & Eccleſiam Romanam rexit annis quatuor, menſe uno, diebus novem, & obiit die XI. menſis Maii anni milleſimi tertii.

143 *Joannes* vulgò dictus *Decimus ſeptimus*, quamvis inter veros & legitimos Pontifices Romanos, qui hoc *Joannis* nomine donati ſunt, reverà ſit tantùm ordine *Decimus ſextus*, ſucceſſit *Silveſtro Secundo* Papæ, & ordinatus eſt Pontifex Romanus die XIII. menſis Maii anni milleſimi tertii. Sedit menſes dumtaxàt quinque & dies viginti quinque, obiitque die VII. menſis Decembris ejuſdem anni milleſimi tertii.

144 *Joannes* XVIII. ordinatus eſt Pontifex Maximus

mus die XXVI. mensis Decembris anni millesimi tertii. Sedit annos quinque & aliquot menses, & mortuus est anno millesimo nono, die & mense incertis.

145 *Sergius* IV. successit *Joanni* XVIII. ac Sedem tenuit usque ad annum millesimum duodecimum, quo naturæ debitum solvit.

146 *Benedictus* VIII. successit *Sergio* IV. sed è Sede suâ ab Antipapa dicto *Gregorio* dejectus, in eam ab Imperatore S. *Henrico* restitutus est. Sedit annos undecim, menses undecim, dies viginti unum, & obiit an. millesimo vigesimo quarto.

147 *Joannes* XIX. germanus frater *Benedicti* VIII. Papæ, ei in Pontificatu successit. Sedit annos novem & dies novem, obiitque anno millesimo trigesimo tertio.

148 *Benedictus* IX. in locum *Joannis* XIX. suffectus est, & sedit usque ad annum millesimum quadragesimum quartum, quo à Romanis è Sede suâ deturbatus est, & in ejus locum intrusus Antipapa *Silvester* III.

149 *Gregorius* VI. eodem anno millesimo quadragesimo quarto, persuasit tam *Benedicto* IX. quàm *Silvestro* III. ut numeratâ pecuniâ Pontificatu cederent, & hoc pacto electus est Pontifex Romanus, quem, licèt simoniacè electum, Ecclesia tamen, ad vitandum Schisma, tamquàm verum ac legitimum Pontificem agnovit, donec tandèm ipse in Sutrina Synodo, habitâ anno millesimo quadragesimo sexto, simoniæ criminis ab ea expostulatus, spontè sese Pontificiâ dignitate abdicaverit.

150 *Clemens* II. eodem anno millesimo quadragesimo sexto, quo *Gregorius* VI. spontè loco cessit, electus est Pontifex Romanus, seditque usque

ad annum millesimum quadragesimum septimum. Eo mortuo, *Benedictus* IX. qui, ob sibi numeratam pecuniam, Pontificatu cesserat, Sedem Romanam iterùm invasit, eamque tenuit per octo menses & dies decem.

151 *Damasus* II. die XVII. mensis Julii anni millesimi quadragesimi octavi electus est Pontifex Romanus, seditque tantùm per dies viginti tres, & obiit eodem anno millesimo quadragesimo octavo.

152 S. *Leo* IX. maximo Cleri, Populique Romani consensu electus est Pontifex Romanus die, secundâ mensis Februarii anni millesimi quadragesimi noni. Sedit annis v. mensibus duobus, & diebus septem & mortuus est anno millesimo quinquagesimo quarto.

153 *Victor* II. post unius anni ab obitu *Leonis* IX. Interpontificium, consecratus est Pontifex Romanus die XIII. mensis Aprilis anni millesimi quinquagesimi quinti. Et obiit anno millesimo quinquagesimo septimo.

154 *Stephanus* X. electus est Pontifex Maximus die secundâ mensis Augusti anni millesimi quinquagesimi septimi, & Ecclesiam Romanam rexit usque ad diem vigesimam nonam mensis Martii anni millesimi quinquagesimi octavi, quâ migravit è vita.

155 *Nicolaus* II. die XXVIII. mensis Decembris anni millesimi quinquagesimi octavi electus est Pontifex Maximus. Tentavit quidem Antipapa dictus *Benedictus* X. Sedem Pontificiam invadere, sed, eo expulso, pacificè *Nicolaus* II. sedit annos duos, menses sex, dies viginti quinque, & obiit anno millesimo sexagesimo primo.

156 *Alexander* II. post trium fermè mensium al obi

obitu *Nicolai* II. Interpontificium, electus est Pontifex maximus. Sibi infestum habuit Antipapam, dictum *Cadalum*, quem turbas in Ecclesia excitantem coercuit, seditque per annos decem, menses sex, dies viginti unum, & ad meliorem vitam translatus est die XII. mensis Aprilis anni millesimi septuagesimi tertii.

157 *Gregorius* VII. die XXI. ejusdem mensis Aprilis anni millesimi septingentesimi tertii electus fuit Summus Pontifex, & Romanam Ecclesiam gubernavit usque ad annum millesimum octogesimum quintum, quo spiritum Deo reddidit die XXV. mensis Maii. A' Germanis, *Guibertum* Antipapam, dictum *Clementem* III. tuentibus, vexatus est Sanctissimus ille Pontifex.

158 *Victor* III. anno millesimo octogesimo sexto electus Pontifex Maximus, sedit usque ad annum millesimum octogesimum septimum, quo mortuus est die XVI. mensis Septembris.

159 *Urbanus* II. anno millesimo octogesimo octavo *Victori* III. Papæ successit, sedit annos undecim, menses quatuor, dies octodecim, obiitque anno millesimo nonagesimo nono.

160 *Paschalis* II. in locum demortui Papæ *Urbani Secundi* suffectus est eodem anno millesimo nonagesimo nono. Sedit per annos octodecim, menses quinque, dies septem, & obiit XII. Kal. Februarii an. millesimi centesimi decimi octavi.

161 *Gelasius* II. die XXV. mensis Januarii anni millesimi centesimi decimi octavi in Romanum Pontificem fuit electus. Obiit die XXIX. mensis Januarii anni millesimi centesimi decimi noni.

162 *Callistus* II. electus est Pontifex Maximus Kalendis Februarii anni millesimi centesimi decimi noni. *Burdinum* Antipapam, dictum *Grego-*

rium VIII. repressit. Sedit annos quinque, menses decem, dies duodecim, obiitque die XIII. mensis Decembris anni millesimi centesimi vigesimi quarti. Convocavit Concilium Generale Lateranense I. anno MCXXIII.

163 *Honorius* II. consecratus est Pontifex Romanus die XXI. mensis Decembris anni millesimi centesimi vigesimi quarti, & obiit die XIV. mensis Februarii anni millesimi centesimi trigesimi.

164 *Innocentius* II. electus est Pontifex Maximus die XV. mensis Februarii, anni millesimi centesimi trigesimi. Multa à *Petro Leonis* Antipapa, dicto *Anacleto* II. passus est Sanctus ille Pontifex, seditque annos tredecim, menses septem, dies novem, & ad superos translatus est die XXIV. mensis Septembris anni millesimi centesimi quadragesimi tertii. Celebravit Concilium Generale Lateranense secundum anno millesimo centesimo trigesimo nono.

165 *Cælestinus* II. die XXVI. mensis Septembris anni millesimi centesimi quadragesimi tertii electus est Pontifex Maximus. Romanam Ecclesiam rexit menses quinque, ac dies tredecim, obiitque die IX. mensis Martii anni millesimi centesimi quadragesimi quarti.

166 *Lucius* II. post triduum ab obitu *Cælestini* II. Papæ, electus est Romanus Pontifex, obiitque die XXV. mensis Februarii anni millesimi centesimi quadragesimi quinti.

167 *Eugenius* III. electus est Pontifex Maximus die XXVII. mensis Februarii anni millesimi centesimi quadragesimi quinti. Sedit annis octo, menses quatuor, dies decem, atque ad cœlestem vitam migravit die VII. mensis Julii anni millesimi centesimi quinquagesimi tertii.

168 *Ana-*

168 *Anastasius* IV. post biduum ab obitu *Eugenii* III. creatus est Pontifex Maximus, seditque uno dumtaxat anno, mensibus quatuor, diebus viginti quatuor, & obiit die secundâ mensis Decembris anni centesimi quinquagesimi quarti.

169 *Hadrianus* IV. successit *Anastasio* IV. Sedit annos quatuor, menses octo, dies viginti novem, & migravit è vita Kal. mensis Septembris anni millesimi centesimi quinquagesimi noni.

170 *Alexander* III. mortuo *Hadriano* IV. electus est Pontifex Romanus. Diu exagitatus est à *Friderico* Imperatore, dicto Œ*nobarbo*, & à quatuor Antipapis, quorum primus dictus est *Victor* IV. Alter, *Paschalis* III. Tertius, *Callistus* III. Quartus, *Innocentius* III. Sedit *Alexander* III. legitimus Pontifex, à die consecrationis suæ, seu à die xx. mensis Septembris anni millesimi centesimi quinquagesimi noni, per annos viginti unum, menses undecim, dies decem, & hominem exuit die trigesimâ mensis Augusti anni millesimi centesimi octogesimi primi. Indixit Concilium Generale Lateranense tertium anno millesimo centesimo septuagesimo nono.

171 *Lucius* III. die sextâ mensis Septembris anni millesimi centesimi octogesimi primi consecratus est Pontifex Romanus, seditque annos quatuor, menses duos, dies octodecim, & mortuus est die XXIV. mensis Novembris anni millesimi centesimi octogesimi quinti.

172 *Urbanus* III. die XXV. mensis Novembris anni millesimi centesimi octogesimi quinti creatus est Pontifex Romanus, sedit annum unum, menses decem, dies viginti quinque obiitque die XIX. mensis Octobris anni millesimi centesimi octogesimi septimi.

173 *Gregorius* VIII. electus est Pontifex Maximus die XXI. mensi Octobris anni millesimi centesimi octogesimi septimi. Sedit mense uno, diebus viginti septem, & ad vitam immortalem transiit die XVII. mensis Decembris anni millesimi centesimi octogesimi septimi.

174 *Clemens* III. electus fuit Pontifex Romanus die XIX. mansis Decembris anni millesimi centesimi octogesimi septimi, & è vivis excessit die XXVIII. mensis Martii anni millesimi centesimi nonagesimi primi.

175 *Cœlestinus* III. creatus est Pontifex Romanus die XXX. mensis Martii anni millesimi centesimi nonagesimi primi. Sedit annos sex, menses novem, dies novem, & ad meliorem vitam translatus est die VIII. mensis Januarii anni millesimi centesimi nonagesimi octavi.

176 *Innocentius* III. ad summum Pontificatum die VIII. mensis Januarii anni millesimi centesimi nonagesimi octavi provectus est, seditque per annos octodecim, menses sex, diem novem, & obiit die XVI. mensis Julii anni millesimi ducentesimi decimi sexti. Celebravit Concilium Generale Lateranense quartum anno millesimo ducentesimo decimo quinto.

177 *Honorius* III. postquàm Sedes Pontificia vacasset unâ tantùm die ab obitu *Innocentii* III. electus est Pontifex Maximus. Sedit annis decem menses octo, & obiit XV. Kal. Aprilis anni millesimi ducentesimi vigesimi septimi.

178 *Gregorius* IX. successit *Honorio* III. Ecclesiam rexit annis quatuordecim, mensibus quinque, & supremum diem obiit anno millesimo ducentesimo quadragesimo primo.

179 *Cœlestinus* IV. post triginta dierum ab obitu *Gre-*

Gregorii IX. Interpontificium, electus est Pontifex Maximus, quem die decimo septimo ab inito Pontificatu præmatura mors rapuit.

180 *Innocentius* IV. postquàm ab obitu *Cœlestini Quarti* vacasset Sedes Pontificia per annum unum, menses octo, & dies quindecim, electus est Pontifex Maximus. Sedit annos novem, menses quinque. & dies quatuordecim, obiitq; die VII. vel XIII. mensis Decembris anni millesimi ducentesimi quinquagesimi quarti. Convocavit Concilium Generale Lugdunense primum anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto.

181 *Alexander* IV. paucis post mortem *Innocentii Quarti* diebus Pontifex Romanus fuit electus. Sedit annos sex, menses quinque, & dies totidèm & mortuus est VIII. Kal. mensis Junii anni millesimi ducentesimi sexagesimi primi.

182 *Urbanus* IV. postquàm ab obitu *Alexandri* IV. Sedes Apostolica vacasset per duos menses & totidèm hebdomadas, inauguratus est Pontifex Maximus die IV. mensis Septembris anni millesimi ducentesimi sexagesimi primi. Sedit annos tres, mensem unum, dies quatuor, & obiit sexto nonas mensis Octobris anni millesimi ducentesimi sexagesimi quarti.

183 *Clemens* IV. post quinque mensium ab obitu *Urbani* IV. Interpontificium, electus est Pontifex Maximus. Rexit Ecclesiam tribus annis, mensibus novem, diebus viginti quinque & obiit die XXIX. mensis Novembris anni millesimi ducentesimi sexagesimi octavi.

184 *Gregorius* X. postquàm ob obitu *Clementis* IV. vacasset Sedes per annos duos, menses novem, & dies duos, electus est Pontifex Maximus. Sedit

dit annos quatuor, & dies decem, obiitque die decima mensis Januarii anni millesimi ducentesimi septuagesimi sexti. Celebravit Concilium Generale Lugdunense secundum anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto.

185 *Innocentius* V. successit *Gregorio* X. sed mense sexto sui Pontificatus, per unum alterumque diem inchoato, è vivis sublatus est die XXII. mensis Junii anni millesimi ducentesimi septuagesimi sexti.

186 *Hadrianus* V. successit *Innocentio* V. ejusque Pontificatus brevissimus fuit. Altero quippè mense, ab electione suâ necdùm expleto, obiit die XVIII. mensis Augusti anni millesimi ducentesimi septuagesimi sexti.

187 *Joannes* XX. quem alii appellant *Vigesimum Primum*, successit *Hadriano* V. ac brevem gessit Pontificatum, quippè qui mortuus est mense Majo anni millesimi ducentesimi septuagesimi septimi.

188 *Nicolaus* III. post sex mensium ab obitu *Joannis* XX. Interpontificium, in Sede S. *Petri* fuit collocatus, rexitque Ecclesiam annis duobus, mensibus novem, minùs duobus diebus, & obiit die XXII. mensis Augusti anni millesimi ducentesimi octogesimi.

189 *Martinus* II. dictus IV. postquàm à morte *Nicolai* III. Sedes per sex menses vacasset, electus est Pontifex Maximus, & obiit XXIX. mensis Martii anni ducentesimi octogesimi quinti.

190 *Honorius* IV. die secundâ mensis Aprilis anni millesimi ducentesimi octogesimi quinti electus est Pontifex Maximus, seditque duobus annis, & uno die, atque è vita migravit die tertia mensis Aprilis anni millesimi ducentesimi octogesimi septimi,

191 *Ni-*

191 *Nicolaus* IV. poſtquàm Sedes Romana ab obitu *Honorii* IV. per menſes decem, & dies octodecim vacaſſet, electus eſt Romanus Pontifex die XXII. menſis Februarii anni milleſimi ducenteſimi octogeſimi octavi, & obiit die quartâ Aprilis anni milleſimi ducenteſimi nonageſimi ſecundi, annum agens ſui Pontificatus quintum.

192 S. *Cœleſtinus* V. poſtquàm Sedes Romana à morte *Nicolai* IV. annis duobus, menſibus tribus & die unâ vacaſſet, electus eſt Pontifex Maximus, qui tamen, poſt quinque menſes & dies octo Pontificatus, ornamenta Pontificis exuit, oneri & honori ceſſit die XIII. menſis Decembris anni milleſimi ducenteſimi nonageſimi quarti. Obiit anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto.

193 *Bonifacius* VIII. poſt ſpontaneam *Cœleſtini* V. abdicationem, electus eſt Pontifex Romanus in pervigilio Natalis Chriſti Domini anni milleſimi ducenteſimi nonageſimi quarti. Sedit annis octo, mensibus novem, & diebus octodecim, & migravit ex hac vita anno millesimo trecenteſimo tertio.

194 *Benedictus*, vulgò dictus *Undecimus*, quamvis, juxtà ordinem iſtius nominis Pontificum, dicendus eſſet *Decimus*, mortuo *Bonifacio* VIII. ſubſtitutus eſt, ſeditque menſes dumtaxat octo & dies ſeptemdecim, & obiit die quartâ mensis Julii anni millesimi trecentesimi quarti.

195 *Clemens* V. poſtquàm Sedes Romana ab obitu *Benedicti* XI. vacaſſet per menſes undecim, electus eſt Pontifex Maximus die v. mensis Junii anni millesimi trecentesimi quinti. Sedit annis octo, mensibus decem, dies quindecim, & obiit die xx. mensis Aprilis anni millesimi trecentesimi

mi decimi quarti. Pontificiam Sedem Avenionem transtulit, & convocavit Concilium Generale Viennense anno millesimo trecentesimo undecimo.

196 *Joannes*, vulgò dictus *Vigesimus Secundus*, sed, juxta ordinem istius nominis Pontificum, dicendus *Vigesimus Primus*, postquàm Sedes Pontificia ab obitu *Clementis* V. vacasset per annos duos, menses tres, dies septemdecim, electus est Romanus Pontifex. Multa passus est ab Imperatore *Ludovico Bavaro*, qui Schisma conflavit, & *Petrum Corbarium*, Franciscanum Antipapam, dictum *Nicolaum* V. intrusit. Sedit *Joannes* XXI. vel, ut vulgò dicitur, XXII. per annos novemdecim, & obiit die quartâ mensis Decembris anni millesimi trecentesimi trigesimi quarti.

197 *Benedictus*, vulgò dictus *Duodecimus*, sed, juxta ordinem istius nominis Pontificum, dicendus *Undecimus*, electus est Pontifex Romanus die xx. mensis Decembris anni millesimi trecentesimi trigesimi quarti. Rexit Ecclesiam annis septem, mensibus quatuor, & diebus sex, obiitque die xxv. mensis Aprilis anni millesimi trecentesimi quadragesimi secundi.

198 *Clemens* VI. die septima mensis Maii anni millesimi trecentesimi quadragesimi secundi creatus est Pontifex Maximus. Sedit annos circiter undecim, & obiit die quarta mensis Decembris anni millesimi trecentesimi quinquagesimi secundi.

199 *Innocentius* IV. die xviii. mensis Decembris anni millesimi trecentesimi quinquagesimi secundi electus est Pontifex Maximus. Sedit annos decem, & obiit die xii. mensis Septemb. anni millesimi trecentesimi sexagesimi secundi.

200 *Urbanus* V. die XXIII. mensis Septembris anni millesimi trecentesimi sexagesimi secundi electus est Pontifex Maximus. Sedit annos novem & obiit die IX. mensis Decembris anni millesimi trecentesimi septuagesimi.

201 *Gregorius* XI. die V. mensis Januarii anni millesimi trecentesimi septuagesimi primi consecratus est Pontifex Maximus. Sedem Pontificiam, quam *Clemens* V. Avenionem in Gallias transtulerat, ubi plures Summi Pontifices, natione Galli, videlicet *Clemens* V. *Joannes* XXI. vulgò dictus XXII. *Benedictus* XI. vulgò dictus XII. *Clemens* VI. *Innocentius* VI. *Urbanus* V. Pontificatum gesserunt, Romam revocavit *Gregorius* XI. natione itidèm Gallus, obiitque die XVII. mensis Martii anni millesimi trecentesimi septuagesimi octavi.

202 *Urbanus* VI. die octavâ mensis Aprilis anni millesimi trecentesimi septuagesimi octavi electus est Summus Pontifex. Habuit Pontificatûs æmulum *Clementem* VII. quem Cardinales, ab obedientia *Urbani* VI. recedentes, Pontificem elegerunt, indèque luctuosum in Ecclesia exortum Schisma, cùm duo Pontifices, quorum unus, seu *Urbanus* VI. Romæ, alter, seu *Clemens* VII. & post ipsum *Petrus de Luna*, dictus vulgò *Benedictus* XIII. Avenione sedebat, eodem tempore *Petri* Sedem sibi vendicarent. Duravit funestum illud Schisma per annos ferè quinquaginta, ac tandem sublatum est in Concilio Generali Constantiensi an. millesimo quadringentesimo decimo quarto celebrato, in quo electus est Pontifex Maximus *Martinus* V. & alii tres abdicati, qui de Pontificatu pertinaciter contendebant, seu *Gregorius* XII. *Joannes* XXII.

vel

vel ut alii dicunt, XXIII. & *Petrus de Luna*, vulgò dictus *Benedictus* XIII. Sedit Romæ *Urbanus Sextus* per annos XI. menses sex, dies septem, obiitque die XV. mensis Octobris anni millesimi trecentesimi octogesimi noni.

203 *Bonifacius* IX. successit *Urbano* VI. die secundâ mensis Novembris anni millesimi trecentesimi octogesimi noni. Seditque annis XIV. mensibus XI. & obiit an. millesimo quadringentesimo quarto.

204 *Innocentius* VII. postquàm Sedes Pontificia vacasset dies quindecim ab obitu *Bonifacii Noni*, electus est Pontifex Maximus die XVII. mensis Octobris anni millesimi quadringentesimi quarti, & obiit die VI. mensis Novembris anni millesimi quadringentesimi sexti.

205 *Gregorius* XII. successit *Innocentio* VII. sed cùm ad retinendum Pontificatum, contra solemne præstitum ab ipso juramentum, datâ operâ uteretur tergiversationibus & collusionibus cum suo Pontificatus æmulo, *Petro de Luna*, dicto *Benedicto* XIII. Cardinales in Concilio Generali Pisano an. millesimo quingentesimo nono congregati tam ipsum *Gregorium* XII. quàm ejus æmulum *Benedictum* XIII. exauctorarunt, eosq; Schismatis fautores, ac pertinaces declararunt, eis inhibentes, ne quis eorum pro Summo Pontifice se gereret.

206 *Alexander* V. post exauctorationem *Greg.* XII. electus est à Cardinalibus in Concilio Generali Pisano Pontifex Maximus. Ad abolendum Schisma, quod Pseudo Pontifices *Gregorius* XII. & *Benedictus* XIII. de industria fovebant, strenuam navavit operam, illud tamen extinguere non potuit, ut potè inopinatâ morte è vivis subla-

latus die quarta mensis Maii anni millesimi quadringentesimi decimi.

207 *Joannes*, vulgò dictus *Vigesimus Tertius* (qui tamen juxta seriem Romanorum Pontificum, qui *Joannis* nomine donati sunt, dicendus esset *Vigesimus Secundus*) suffectus est in locum *Alexandri* V. Sed ad extirpandum Sschisma, quod novum in dies suscipiebat incrementum, Pontificatu abdicatus est, ipso consentiente, anno millesimo quadringentesimo decimo septimo, in Concilio Generali Constantiensi, quod habitum est anno MCCCCXIV.

208 *Martinus*, vulgò dictus V. (qui tamen juxta seriem Romanorum Pontificum, qui *Martini* nomine fuerunt insigniti, dicendus est *Martinus* III.) electus in Concilio Generali Constantiensi Pontifex Maximus die XI. mensis Novembris anni millesimi quadringentesimi decimi septimi. Sub ipso tandem extinctum est diuturnum Schisma, quod inceperat anno millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, & duravit usque ad annum millesimum quadringentesimum vigesimum nonum, quo pseudo-Pontifex, dictus *Clemens* VIII. se *Martino* V. legitimo Pontifici subjecit. Sedit *Martinus* V. annos tredecim, menses tres ac dies duodecim, & obiit Romæ die XXII. mensis Februarii an. millesimi quadringentesimi trigesimi primi.

209 *Eugenius* IV. inauguratus fuit Pontifex Maximus die III. mensis Martii anni millesimi quadringentesimi trigesimi primi. Concilium Generale Basileense transtulit Ferrariam, deinde Florentiam, ubi tandem utriusque Ecclesiæ, Græcæ & Latinæ, unio felicitèr peracta est. Sedit annos sexdecim, minus diebus octo, & obiit die

die XXIII. mensis Februarii anni millesimi quadringentesimi quadragesimi ſeptimi.

210 *Nicolaus* V. ſucceſſit *Eugenio* IV. reſtituit Ecclesiæ pacem, quam haud parùm turbaverant Schiſmatici, creando Antipapam, dictum *Felicem* V. qui tandem ſuum umbratilem Pontificatum, quem per novem annos, poſt injuſtam *Eugenii* IV. Papæ depositionem, geſſerat, ad pedes *Nicolai* V. abjectus ultrò abdicavit anno millesimo quadringentesimo quadragesimo nono. Sedit *Nicolaus* V. annos octo & dies aliquot, obiitque die XXIV. mensis Martii anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi quinti.

211 *Calliſtus* III. die VIII. Aprilis anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi quinti electus fuit Pontifex Maximus. Sedit annis tribus & mensibus quatuor, & obiit die VIII. mensis Auguſti anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi octavi.

212 *Pius* II. coronatus eſt pontifex Maximus die XIX. mensis Auguſti anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi octavi. Sedit annis ſex, minus quinque diebus, & è vivis exceſſit die XIV. mensis Auguſti anni millesimi quadringentesimi ſexagesimi quarti.

213 *Paulus* II. ſucceſſit *Pio* II. ſeditque annos ſeptem, obiitque die XVI. mensis Julii anni millesimi quadringentesimi ſeptuagesimi primi.

214 *Sixtus* IV. in locum *Pauli* II. ſuffectus eſt, & Eccleſiam rexit uſque ad annum millesimum quadringentesimum octogesimum quartum, quo è vita migravit, poſtquàm ſediſſet annis tredecim.

215 *Innocentius* VIII. ſucceſſit *Sixto* IV. Sedit annos ſeptem, menſes decem, dies viginti ſeptem, & mor-

& mortuus est die xxv. mensis Julii anni millesimi quadringentesimi nonagesimi secundi:

216 *Alexander* VI. creatus est Pontifex Maximus die xi. mensis Augusti anni millesimi quadringentesimi nonagesimi secundi, & Ecclesiam rexit usque ad annum millesimum quingentesimum tertium, quo è vivis sublatus est xv. Kalendas Septembris, seu die xviii. mensis Augusti.

217 *Pius* III. successit *Alexandro* VI. decimo Kal. Octobris, seu die xxii. mensis Septembris anni millesimi quingentesimi tertii, & migravit è vita decimo quinto Kalendas mensis Novembris seu die xviii. mensis Octobris ejusdem anni millesimi quingentesimi tertii.

218 *Julius* II. successit *Pio* III. seditque usque ad diem xxi. mensis Februarii anni millesimi quingentesimi decimi tertii, quo vitâ functus est.

219 *Leo* X. ad summum Pontificatum provectus est die xv. mensis Martii an. millesimi quingentesimi decimi tertii. Nascentem Lutheri Hęresim profligavit. Sedit annis novem, & obiit die primâ mensis Decembris anni millesimi quingentesimi vigesimi primi.

220 *Hadrianus* VI. creatus est Romanus Pontifex die ix. mensis Januarii anni millesimi quingentesimi vigesimi secundi. Sedit annum unum, menses octo, dies sex, obiitque die xiv. mensis Septembris anni millesimi quingentesimi vigesimi tertii.

221 *Clemens* VII. suffectus est *Hadriano* VI. & sedit usque ad annum millesimum quingentesimum trigesimum quartum, quo mortuus est die vigesimâ quintâ mensis Septembris.

222 *Paulus* III. electus est Pontifex Maximus die XIII. mensis Octobris anni millesimi quingentesimi trigesimi quarti. Sedit annos quindecim, & obiit die decimâ mensis Novembris anni millesimi quingentesimi quadragesimi noni. Convocavit Concilium Generale Tridentinum, quod inceptum est anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto.

223 *Julius* III. die VIII. mensis Februarii anni millesimi quingentesimi quinquagesimi electus est Pontifex Maximus. Sedit annos quinque, & dies quadraginta sex, obiitque die XXIII. mensis Martii anni millesimi quingentesimi quinti.

224 *Marcellus* II. electus est Romanus Pontifex die nonâ mensis Aprilis anni millesimi quingentesimi quinquagesimi quinti. Obiit die XXX. mensis Aprilis ejusdem anni millesimi quingentesimi quinquagesimi quinti Pontificatus sui die vigesimo secundo.

225 *Paulus* IV. electus est Pontifex Maximus die XXIII. mensis Maii anni millesimi quingentesimi quinquagesimi quinti. Sedit annos quatuor, & obiit die XVIII. mensis Augusti anni millesimi quingentesimi quinquagesimi noni.

226 *Pius* IV. postquàm Sedes Pontificia ab obitu *Pauli* IV. per quatuor menses & sex dies vacasset, electus est Pontifex Maximus die XXIII. mensis Decembris anni millesimi quingentesimi quinquagesimi noni. Sedit annos quinque, menses undecim, & dies quindecim, & obiit die nonâ mensis Decembris anni millesimi quingentesimi sexagesimi quinti. Sub hoc Pontifice Synodus Generalis Tridentina finem accepit anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio.

227 S. *Pius* V. die ſeptimâ menſis Januarii anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſexti electus eſt Pontifex Romanus. Sanctè Eccleſiam rexit uſque ad annum milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimum ſecundum, quo ad vitam immortalem tranſiit Kal. menſis Maii.

228 *Gregorius* XIII. die decimâ tertiâ menſis Maii anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi ſecundi electus fuit Pontifex Maximus. Sedit annos duodecim, & obiit die x. menſis Aprilis anni milleſimi quingenteſimi octogeſimi quinti.

229 *Sixtus* V. die XXIV. menſis Aprilis anni milleſimi quingenteſimi octogeſimi quinti electus fuit Pontifex Maximus, & obiit die XXVII. menſis Auguſti anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi. Pontificatus verò ſui anno ſexto per quatuor menſes & tres dies inchoato.

230 *Urbanus* VII. ſucceſſit *Sixto* V. die decimâ quintâ menſis Septembris anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi. Breviſſimus fuit ejus Pontificatus, quippè qui ſedit per dies dumtaxat duodecim, & ad Deum migravit die XXVII. menſis Septembris anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi.

231 *Gregorius* XIV. ſuffectus eſt in locum *Urbani Septimi*. Sedit menſes dumtaxat decem & dies decem, & vitâ functus eſt die decimâ quinta, menſis Octobris anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi primi.

232 *Innocentius* IX. mortuo *Gregorio* XIV. electus fuit Rom. Pont. Sedit duos tantummodò menſes, & mortuus eſt die trigesima mensis Decembris anni millesimi quingentesimi nonagesimi primi.

233 *Clemens* VIII. die trigesimâ mensis Januarii

anni millesimi quingentesimi nonagesimi ſecundi ad Cathedram Pontificiam ſublimatus eſt. Sedit annos tredecim, & triginta tribus diebus, & abiit è vivis die tertiâ mensis Martii anni millesimi ſexcentesimi quinti.

234 *Leo* XI. electus eſt in Pontificem Maximum die primâ mensis Aprilis anni millesimi ſexcentesimi quinti. Sedit per viginti ſeptem dies, & mortuus eſt die vigesimâ ſeptimâ ejuſdem mensis & anni.

535 *Paulus* V. ex Illuſtriſſima Burgheſiorum familia originem ducens, electus fuit Summus Pontifex die XVII. mensis Maii anni millesimi ſexcentesimi quinti. Sedit annis quindecim, mensibus octo, diebus duodecim, & ad immortalem vitam transiit die XXVIII. mensis Januarii anni millesimi ſexcentesimi vigesimi primi.

236 *Gregorius* XV. excepit in Pontificatu *Paulum Quintum* die IX. mensis Februarii anni millesimi ſexcentesimi vigesimi primi. Sedit annos duos, menſes quinque, & obiit die VIII. mensis Julii anni millesimi ſexcentesimi vigesimi tertii.

237 *Urbanus* VIII. creatus fuit Pontifex die VI. mensis Auguſti anni millesimi ſexcentesimi vigesimi tertii. Sedit annis viginti, mensibus undecim, diebus viginti duobus, & diſceſſit è vivis die XXIX. mensis Julii anni millesimi ſexcentesimi quadragesimi quarti.

238 *Innocentius* X. poſtquàm ab obitu *Urbani* VIII. vacaſſet Sedes menſe uno & diebus octodecim, electus eſt Pontifex Maximus die XV. mensis Septembris anni millesimi ſexcentesimi quadragesimi quarti. Sedit annis decem mensibus tribus, & diebus duobus ſupra viginti, & mortuus eſt die VII. mensis Januarii anni millesimi ſex-

ſexcentesimi quinquagesimi quinti.

239 *Alexander* VII. poſt Interpontificium trium menſium ab obitu *Innocentii* X. electus eſt Pontifex Maximus die VII. mensis Aprilis anni millesimi ſexcentesimi quinquagesimi quinti. Sedit annis duodecim, menſe uno, diebus quindecim, & obiit die XXII. mensis Maii anni millesimi ſexcentesimi ſexagesimi ſeptimi.

240 *Clemens* IX. poſtquàm ab obitu *Alexandri* VII. Sedes Pontificia vacaſſet diebus viginti octo, electus eſt Romanus Pontifex die XX. mensis Junii anni millesimi ſexcentesimi ſexagesimi ſeptimi. Sedit annis duobus, mensibus quinque, diebus viginti, & mortuus eſt die nonâ mensis Decembris anni millesimi ſexcentesimi ſexagesimi noni.

241 *Clemens* X. poſt Interpontificium mensium quatuor & dierum viginti à morte *Clementis* IX. electus eſt Pontifex Maximus die XXIX. mensis Aprilis anni millesimi ſexcentesimi ſeptuagesimi. Sedit annis ſex, mensibus duobus, & diebus viginti duobus, & obiit die XXII. mensis Julii anni millesimi ſexcentesimi ſeptuagesimi ſexti.

142 *Innocentius* XI. poſtquàm ab obitu *Clementis* X. vacaſſet Sedes duobus mensibus electus eſt Pontifex Maximus die XXI. mensis Septembris anni millesimi ſexcentesimi ſeptuagesimi ſexti. Sedit annis XII. mensibus X. diebus novem, & in vivis eſſe desiit die XXXI. mensis Julii anni millesimi ſexcentesimi octogesimi noni.

243 *Alexander* VIII. die VI. mensis Octobris anni millesimi ſexcentesimi octogesimi noni electus eſt Pontifex Maximus. Sedit anno uno, mensibus tribus, diebus viginti quatuor, & obiit Kal. men-

mensis Februarii anni millesimi ſexcentesimi nonagesimi primi.

244 *Innocentius* XII. poſtquàm ab obitu *Alexandri Septimi* Sedes vacaſſet per menſes quinque & dies duodecim, electus fuit Pontifex Romanus die XII. mensis Julii anni millesimi ſexcentesimi nonagesimi primi. Sedit annis novem, menſibus duobus, diebus quindecim, obiitque die XXVIII. mensis Septembris anni millesimi ſeptingenteſimi.

245 *Clemens* XI. poſtquàm ab obitu *Innocentii* XII. Sedes vacaſſet menſe uno & diebus viginti ſeptem, electus eſt Pontifex Maximus die XXIII. mensis Novembris anni millesimi ſeptingentesimi. Sedit annis viginti, mensibus tribus, diebus viginti quatuor, & migravit è vita die decima nona mensis Martii anni millesimi ſeptingentesimi vigesimi primi.

246 *Innocentius* XIII. poſtquàm ab obitu *Clementis* XI. vacaſſet Sedes menſe uno, & diebus novemdecim, ſummo omnium Cardinalium conſenſu, totâque plaudente EccleſiâCatholicâ, electus eſt die VIII. menſis Maii anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi primi Pontifex Maximus quem utinàm Deus Eccleſiæ Sponſę ſuę diu ſoſpitem & incolumem ſervet.

AL.

ALTERA TABULA CHRONOLOGICA,

In qua describitur series Patriarcharum Ecclesiæ Alexandrinæ.

Nomina Patriarcharum Ecclesiæ Alexandrinæ.	Initium illorum Pontificatus.	Anni illorum Pontificatus.
S. *Marcus* Evangelista & primus Eccl. Alexandrinæ Episcopus.	an. Christi 43.	19.
Anianus	an. Christi 62.	22.
Abilius	an. Christi 84.	13.
Cerdo	an. Christi 97.	11.
Primus	an. Christi 109.	12.
Justus	an. Christi 119.	11.
Eumenius, vel *Hymenæus*	an. Christi 130.	13.
Marcus, vel *Marcianus*	an. Christi 143.	10.
Celadion	an. Christi 153.	14.
Agrippinus	an. Christi 167.	12.
Julianus	an. Christi 179.	10.
Demetrius	an. Christi 189.	43.
Heraclas	an. Christi 232.	16.
Dionysius	an. Christi 248.	17.
Maximus	an. Christi 265.	18.
Theonas	an. Christi 282.	19.
Petrus I.	an. Christi 300.	11.

Nomina Patriarcharum Ecclesiæ Alexandrinæ.	Initium illouum Pontificatus.	Anni illorum Pontificatus.
Achillas	an. Christi 312.	menses 5.
Alexander	an. Christi 313.	13.
Athanasius	an. Christi 326.	46.
Petrus II.	an. Christi 373.	8.
Timotheus	an. Christi 380.	5.
Theophilus	an. Christi 385.	27.
Cyrillus	an. Christi 412.	32.
Dioscorus	an. Christi 444.	7.
Proterius	an. Christi 451.	6.
Timotheus Ælurus.	an. Christi 457.	3.
Timotheus Solophaciolus.	an. Christi 460.	16.

Timotheus Ælurus, qui Sede Alexandrinâ dejectus fuerat, denuò hanc Sedem invasit, *Timotheum Solophaciolum*, legitimum Patriarcham Alexandrinum, expulit anno 476. sed anno sequenti *Timotheus Solophaciolus* in Sedem Alexandrinam restitutus est. Eodem anno 476. mortuo *Timotheo Æluro*, in ejus locum Hæretici Alexandrini subrogarunt *Petrum Moggum*, seu *Mongum*, Hæreticum, sed eo, jussu Imperatoris *Zenonis*, pulso, *Timotheus Solophaciolus* Ecclesiam Alexandrinam rexit usque ad annum 482. quo anno mortuus est, eique in Sede Alexandrina successit *Joannes Talaja*, quem è Patriarchali Solio confestim deturbavit *Petrus Moggus*, seu *Mongus*, Hæreticus Eutychianus, iterùmque Sedem Alexandrinam invasit.

No-

Nomina Patriarcharum Ecclesiæ Alexandrinæ.	Initium illorum Pontificatus.	Anni illorum Pontificatus.
Petrus Mongus invaſor Sedis Alexandrinæ.	an. Chriſti 482.	8.
Athanaſius, Hæreticus Eutychianus.	an. Chriſti 490.	7.
Joannes Mela, ſeu *Hemula*, Hęreticus Eutychianus.	an. Chriſti 497.	9.
Joannes Nicæota Hæreticus Eutichianus.	an. Chriſti 506.	11.
Dioſcorus Junior Hæreticus Eutychianus.	an. Chriſti 517.	2.
Timotheus Hæreticus Eutychianus.	an. Chriſti 519.	17.

Poſt mortem *Timothei*, Patriarchæ Alexandrini, *Theodoſius*, & *Gajanus*, Hæretici Eutychiani, de Sede Alexandrina anno 537. altercati ſunt. Sed *Gajanus* per unum dumtaxat annum Sedem tenuit, & *Theodoſius*, poſt annum & quatuor menſes, Sede Alexandrinâ ab Imperatore *Juſtiniano* dejectus & in exilium ablegatus eſt anno 538.

No-

Nomina Patriarcharum Ecclesiæ Alexandrinæ.	Initium illorum Pontificatus.	Anni illorum Pontificatus.
Paulus Successor Theodosii.	an. Christi 538.	3.
Zoilus	an. Christi 541.	10.
S. *Appollinaris*	an. Christi 551.	19.
Joannes	an. Christi 569.	11.
S. *Eulogius*	an. Christi 580.	27.
Theodorus Scribo	an. Christi 607.	2.
S. *Joannes Elemosynarius*	an. Christi 609.	6.
Georgius	an. Christi 616.	15.

Uno aut altero an. post *Georgii* Patriarchæ Alexandrini mortem, quæ contigit anno sexcentesimo trigesimo, Hæretici Monothelitæ Sedem Alexandrinam occuparunt. *Cyrus*, Hæreticus Monothelita, invasit Sedem Alexandrinam circà annum sexcentesimum trigesimum primum, eamque tenuit usque ad annum sexcentesimum quadragesimum tertium. *Cyro* in Sede Alexandrina successit *Petrus* ejusdem farinæ, seu Sectæ Monotheliticæ homo, eamque occupavit usque ad annum sexcentesimum quinquagesimum. Post *Petri* Hæretici Monothelitæ, Patriarchæ Alexandrini, obitum, cæteri, qui deinceps ad hæc usq; tempora Sedem Alexandrinam tenuerunt, & quorum Catalogum & Historiam descriptam habemus, fuerunt Hæretici Jacobitæ; non quòd Catholici Alexandrini desierint habere per hæc tempora, orthodoxos Patriarchas Alexandrinos, sed quia Catalogi, quos nunc habemus, Patriarcharum Alexandrinorum, descri-

ſcripti ſunt à Scriptoribus Arabibus, qui Sectæ Jacobitarum cùm eſſent addicti, conſultò in Patriarcharum Alexandrinorum ſerie, quam texuerunt, meminerunt dumtaxat Orthodoxorum Patriarcharum Alexandrinorum, qui à S. *Marco* Evangeliſta uſque ad S. *Cyrillum*, hoc eſt, uſque ad annum Chriſti quadringenteſimum quadrageſimum quartũ Eccleſiam Alexandrinam rexerunt, & poſt mortem S. *Cyrilli*, Scriptores illi Arabes in Catalogo, quem concinnarunt, Patriarcharum Alexandrinorum, deſcripſerunt tantummodò nomina illorum Patriarcharum Alexandrinorum, qui Jacobitarum Sectam profeſſi ſunt, prætermiſſis omninò Orthodoxis Patriarchis Alexandrinis, ſicut videre eſt in ſequenti Catalogo Patriarcharum Alexandrinorum, quem exhibent *Euſebius Renaudotius*, in ſua *Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum*, & Bollandiani Operis Continuatores in ſua *Diſſertatione Hiſtorica Patriarcharum Alexandrinorum*, quam ad Tomum V. menſis Junii *De Actis Sanctorum* præmiſerunt.

CATA-

CATALOGUS

Patriarcharum Alexandrinorum

Quem à Scriptoribus Arabibus, Jacobitarum Sectæ addictis, descriptum exhibent Eusebjus Renaudotius, *& Operis Bollandiani Continuatores.*

1 S.*Marcus* Evangelista
2 *Anianus.*
3 *Melianus*, seu *Abilius.*
4 *Cerdo.*
5 *Primus.*
6 *Justus.*
7 *Eumenius.*
8 *Marcianus.*
9 *Celadion.*
10 *Agripinus.*
11 *Julianus.*
12 *Demetrius.*
13 *Heraclas.*
14 *Dionysius.*
15 *Maximus.*
16 *Theonas.*
17 *Petrus, Martyr.*
18 *Achillas.*
19 *Alexander.*
20 *Athanasius.*
21 *Petrus* II.
22 *Timotheus.*
23 *Theophilus.*
24 *Cyrillus.*
25 *Dioscorus.*
26 *Timotheus* II.
27 *Petrus* III.
28 *Athanasius* II.
29 *Joannes* I.
30 *Jo*:II.dictus *Reclusus.*
31 *Dioscorus Junior.*
32 *Timotheus* III.
33 *Theodosius.*
34 *Petrus* IV.
35 *Damianus.*
36 *Anastasius.*
37 *Andronicus.*
38 *Beniamin.*
39 *Agatho.*
40 *Joannes* III. dictus *Semnudæus.*
41 *Isaac.*

42 *Si-*

42 *Simon*.
43 *Alexander* II.
44 *Cosmas* I.
45 *Theodorus*.
46 *Chail*.
47 *Mennas*.
48 *Joannes* IV.
49 *Marcus* II.
50 *Jacobus*.
51 *Simon* II.
52 *Tucab*.
53 *Chail* II.
54 *Cosmas* II.
55 *Sanutius*.
56 *Chail* III.
57 *Gabriel* I.
58 *Cosmas* III.
59 *Macarius*.
60 *Theophanius*.
61 *Mennas* II.
62 *Ephræm*.
63 *Philotheus*.
64 *Zacharias*.
65 *Sanutius* II.
66 *Christodolus*.
67 *Cyrillus* II.
68 *Michael* I.
69 *Macarius* II.
70 *Gabriel* II.
71 *Michael* II.
72 *Joannes* V.
73 *Matthæus* I.
74 *Joannes* VI.
75 *Cyrillus* III.
76 *Athanasius* III.
77 *Gabriel* III.
78 *Joannes* VII.
79 *Theodosius* II.
80 *Joannes* VIII.
81 *Joannes* IX.
82 *Beniamin* II.
83 *Petrus* IV.
84 *Marcus* III.
85 *Joannes* X.
86 *Gabriel* IV.
87 *Matthæus* II.
88 *Gabriel* V.
89 *Joannes* XI.
90 *Matthæus* III.
91 *Gabriel* VI.
92 *Michael* III.
93 *Joannes* XII.
94 *Joannes* XIII.
95 *Gabriel* VII.
96 *Joannes* XIV.
97 *Gabriel* VIII. qui ad *Clementem* VIII. litteras direxit, & Romani mani Pontificis agnovit Primatum.
98 *Marcus* IV.
99 *Joannes* XV.
100 *Matthæus* IV.
101 *Marcus* IV.
102 *Matthæus* V.
103 *Joannes* XVI. qui, sicut referunt Operis Bollandiani Continuatores, Sac. Chrisma magno Apparatu consecravit anno MDCCIII.

Ex

Ex hac Patriarcharum Alexandrinorum serie, pronum est intelligere, quàm funestus ac deploratus fuerit in quinto Ecclesi Sæculo, & deinceps ad hæc usque nostra tempora Ecclesiæ Alexandrinæ status. Mortuo siquidem S. *Cyrillo*, Orthodoxo Patriarcha Alexandrino, anno quadringentesimo quadragesimo quarto, Hęretici Eutychiani Sedem Alexandrinam invaserunt, adeò ut, post obitũ S. *Cyrilli* Patriarchæ Alexandrini, pauci admodùm numerentur Patriarchæ Orthodoxi, qui Ecclesiam Alexandrinam rexerint usque ad annum sexcentesimum decimum quintum, quo Alexandriâ à Saracenis subactâ ac miserè devastatâ, Hæretici Monothelitæ, sed præsertim Jacobitæ, Eutychianâ Hæresi infecti, Sedem Alexandrinam occuparunt. Quò factum est, ut nunc Patriarcharum dumtaxat Alexandrinorum Sectæ Jacobitarum seriem & Historiam habeamus descriptam ab Orientalibus Scriptoribus, qui eidem Jacobitarum Sectæ mordicùs adhærebant. Porrò, Patriarchæ Alexandrini, qui Jacobitarum Sectæ addicti fuerunt, nullam cum Ecclesia Romana communionem habuerunt usque ad Legationem, cujus mox mentionem fecimus, & quam *Gabriel VIII.* Patriarcha Alexandrinus, Jacobitarum Sectę, ad *Clementem VIII.* Pontificem Maximum misit, ejusque Primatum in universâ Ecclesia agnovit. Sed diuturna non fuit hæc Jacobitarum cum Ecclesia Romana unio, nec majorem fructum habuit, quàm tot uniones, quæ cum Græcis in Conciliis Generalibus Lugdunensi & Florentino initæ fuerunt.

TER-

TERTIA TABULA CHRONOLOGICA.

In qua texitur Catalogus Patriarcharum Græcorum Ecclesiæ Antiochenæ.

QUamvis Patriarcharum Antiochenorum series tam densis tenebris obsita sit, ut eas discutere proclive non sit, conabor tamen ex *Eusebio*, *Nicephoro*, *Onuphrio*, *Baronio*, & *Pagio* Patriarcharum Antiochenorum exordium & annos Pontificatus majori, quâ fieri poterit, claritate ac diligentiâ, in hac Tabula Chronologica indicare.

1 S. *Petrus*, Apostolorum Princeps, anno Christi trigesimo septimo venit Antiochiam, ibique fundavit Ecclesiam, quam septem annis rexit.

2 *Evodius* à S. *Petro* discedente consecratus est Antiochiæ Episcopus anno Christi quadragesimo tertio, sedit an. viginti tribus, & in tumultu adversus Judæos orto, interfectus est anno Christi sexagesimo octavo.

3 *Ignatius* Martyr Antiochenum Pontificatum iniit, juxta *Eusebium* in Chronico, anno Christi sexagesimo octavo, sedit annis XLI. & Romæ anno Christi centesimo nono, Imperii verò *Trajani* duodecimo anno, Martyrii palmam adeptus est, non verò anno Christi centesimo decimo tertio, Imperii autem *Trajani* decimo nono, sicut, post Clarissimum *Antonium Pagium*, asserunt nonnulli Chronographi.

4 *Hero* Pontificatum iniit anno Christi centesimo

mo decimo, ſedit annis viginti, & obiit anno centeſimo trigeſimo.

5 *Cornelius* Pontificatum iniit anno Chriſti centeſimo trigeſimo, ſedit annos duodecim, & obiit anno centeſimo quadrageſimo ſecundo.

6 *Heros* Pontificatum iniit anno centeſimo quadrageſimo tertio, ſedit annos viginti ſeptem, & obiit anno centeſimo ſexageſimo nono.

7 *Theophilus* iniit Pontificatum anno centeſimo ſeptuageſimo, ſedit annos undecim, & obiit anno centeſimo octogeſimo primo.

8 *Maximinus* cepit Pontificatum anno centeſimo octogeſimo ſecundo, ſedit annis novem, & obiit anno centeſimo nonageſimo.

9 *Serapio* cepit Pontificatum an. centeſimo nonageſimo primo, ſedit annis viginti duobus, & obiit anno centeſimo duodecimo.

10 *Aſclepiades* iniit Pontificatum anno ducenteſimo tertio, ſedit annos quinque & obiit anno ducenteſimo decimo ſeptimo.

11 *Philetus* iniit Pontificatum anno ducenteſimo decimo octavo, ſedit annis decem, & obiit anno ducenteſimo vigeſimo ſeptimo.

12 *Zebinus*, ſeu *Zebennus*, Pontificatum auſpicatus eſt anno ducenteſimo vigeſimo octavo, ſedit annos novem, & obiit anno ducenteſimo trigeſimo ſeptimo.

13 *Babylas* iniit Pontificatum anno ducenteſimo trigeſimo octavo, ſedit annis tredecim, & in perſecutione Deciana Martyrio fuit coronatus anno ducenteſimo quinquageſimo.

14 *Fabius* cepit Pontificatum anno ducentesimo quinquagesimo primo, ſedit tribus annis, & obiit anno ducentesimo quinquagesimo tertio.

15 *Demetrianus* iniit Pontificatum anno ducentesimo

simo quinquagesimo quarto, ſedit annis ſex, & obiit anno ducenteſimo quinquageſimo nono.

16 *Paulus Samoſatenus* cepit Pontificatum anno ducenteſimo ſexageſimo, ſed ob Hæreſim, quam diſſeminabat, Epiſcopatu Antiocheno fuit abdicatus anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo,

17 *Domnus* in locum *Pauli Samoſateni* ſuffectus eſt, iniitque Pontificatum anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, ſedit annis quinque, & obiit anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto.

18 *Timæus* iniit Pontificatum anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptuageſimo ſeptimo, ſedit annos quinque, & obiit anno ducenteſimo octogeſimo primo.

19 *Cyrillus* in locum *Timæi* ſubrogatus eſt, & ſedit uſque ad annum trecenteſimum ſecundum, quo migravit è vita.

20 *Tyrannius* ſucceſſit *Cyrillo*, & Eccleſiam Antiochenam gubernavit uſque ad annum trecenteſimum decimum tertium.

21 *Vitalis* ſucceſſit *Tyrannio*, præfuit Conciliis Antiocheno & Neocæſarienſi, & obiit anno trecenteſimo decimo octavo.

22 *Philogonius* in Sede Antiochena excepit *Vitalem*, & mortuus eſt anno trecenteſimo vigeſimo primo. In Martyrologio, & in Menæis Græcorum colitur die vigeſimâ menſis Decembris.

23 *Paulinus* ſucceſſit *Philogonio*, ſed, ob turpes mores, dignitate motus eſt anno trecenteſimo vigeſimo quinto.

24 *Euſtathius* in Sede Antiochena ſucceſſit *Paulino* anno trecenteſimo vigeſimo quinto, ſed poſt triennium Hæretici Ariani egregium illum Fidei

Catholicæ defenſorem, falſis impoſitis criminibus, Sede depoſuerunt in Concilio Antiocheno indicto anno CCCXXVII. eumque in exilium miſit Imperator *Conſtantinus*.

25 *Paulinus*, Sectâ Arianus, ex Epiſcopatu Tyri ad Sedem Antiochenam translatus eſt, ſed poſt ſextum Antiocheni Epiſcopatus menſem, è vivis ſublatus eſt anno trecenteſimo vigeſimo octavo.

26 *Eulalius*, Sectâ itidèm Arianus, in Throno Antiocheno ab Hæreticis Arianis collocatus eſt, ſed exiguo admodùm tempore ſedit.

28 *Euphronius* in locum *Eulalii* ſubſtitutus eſt, qui anno uno, menſibus paucis poſt ordinationem ſuam ſuperſtes vixit.

28 *Placillus*, ſeu *Flacillus*, Sectâ Arianus, Sedem Antiochenam occupavit anno trecenteſimo trigeſimo, eamque tenuit annis duodecim, & obiit anno trecenteſimo quadrageſimo ſecundo

29 *Stephanus*, Sectâ paritèr Arianus, ſucceſſit in Sede Antiochena *Placillo*, ſeu *Flacillo*, ſed Epiſcopali dignitate exutus eſt anno trecenteſimo quadrageſimo nono.

30 *Leontius*, Eunuchus, & Sectâ Arianâ infectus in locum *Stephani* ſubrogatus eſt, ſeditque annis novem, & obiit anno trecenteſimo quinquageſimo octavo.

31 *Eudoxius*, purus putuſque Arianus, ad Sedem Antiochenam provectus eſt, ſed paulò poſt, ſeu die XXVIII. menſis Januarii anni trecenteſimi ſexageſimi, translatus eſt ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum.

32 *Meletius*, translato à Sede Antiochena ad Conſtantinopolitanam *Eudoxio*, communi Catholicorum, & Arianorum conſenſu creatus eſt

Epi

Episcopus Antiochenus anno trecentesimo sexagesimo. Sed cùm viderent Ariani, *Meletium*, post Ordinationem suam Catholicæ de Trinitate Fidei apertè patrocinari, eum in exilium ablegarunt.

33 *Euzojus*, à capite ad talos Arianus, expulso è Sede Antiochena *Meletio*, ordinatus est Episcopus Antiochenus, eodemque ferè tempore, seu anno trecentesimo sexagesimo secundo, grave ac diuturnum inter Catholicos Antiochenos exortum est Schisma. Alii quippè hujus Urbis Orthodoxi, qui dicebantur *Eustathiani*, à Communione *Meletii*, Episcopi Antiocheni, erant omninò separati, eò quòd *Meletius* fuisset ab Arianis ordinatus Episcopus Antiochenus; alii verò ejusdem Urbis Catholici à partibus *Meletii* stabant, quòd probè scirent, illum ab Arianorum Hæresi esse penitùs alienum, & eâ de causâ ab Arianis in exilium missum fuisse. Hoc enatum inter Catholicos Antiochenos Schisma volens sopire *Lucifer*, Episcopus Calaritanus, imprudenter creavit *Paulinum* Episcopum Antiochenum. Quò factum est, ut duas in partes distracti fuerint Catholici Antiocheni, aliis nimirùm *Paulino*, aliis *Meletio* adhærentibus. Mortuo *Meletio* anno CCCLXXXI. suffectus est *Flavianus*, sicque continuatum est Schisma, quod nec extinctum est in morte *Paulini*, quæ contigit anno CCCLXXXIX. quia *Paulinus*, priusquàm moreretur, sibi in Sede Antiochena successorem delegit *Evagrium*. Sed mortuo *Evagrio* anno CCCXCIII. *Flavianus*, qui solus remanserat Episcopus Antiochenus, impedivit ne in locum *Evagrii* alius substitueretur Episcopus Antiochenus.

34 *Flavianus* ab obitu *Meletii*, Epiſcopi Antiocheni, hoc eſt, ab anno trecenteſimo octogeſimo primo rexit Eccleſiam Antiochenam uſque ad annum quadringenteſimum quartum, quo in vivis eſſe deſiit.

35 *Porphyrius* ſucceſſit *Flaviano*, & Epiſcopatum Antiochenum tenuit ad annum uſque quadringenteſimum decimum tertium, quo vitâ functus eſt.

36 *Alexander* ſucceſſit *Porphyrio*, ſeditque uſque ad annum quadringenteſimum vigeſimum.

37 *Theodorus* ſuffectus eſt *Alexandro*, rexitque Eccleſiam Antiochenam ad annum uſque quadringenteſimum vigeſimum nonum.

38 *Joannes* ſucceſſit *Theodoro*, ſedit annos tredecim, & obiit anno quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo. Impenſiùs quidèm, quàm par fuiſſet, favit perſonæ *Neſtorii*, ejus tamen Hæreſi nunquàm ſuffragatus eſt.

39 *Domnus* in locum *Joannis* fuit ſubrogatus, & Eccleſiam Antiochenam gubernavit octo annis, Sedeque Antiochenâ dejectus eſt anno quadringenteſimo quadrageſimo nono.

40 *Maximus*, poſt depoſitionem *Domni*, conſecratus eſt Epiſcopus Antiochenus, ſeditque ad annum quadringenteſimum quinquageſimum ſextum, quo vitâ functus eſt.

41 *Baſilius* in Sede Antiochena ſucceſſit *Maximo*, ſedit annos duos, & obiit anno quadringenteſimo quinquageſimo octavo.

42 *Martyrius* excepit in Sede Antiochena *Baſilium*, ſed vexatus à *Petro Fullone*, Hæretico Eutychiano, Epiſcopatui nuncium remiſit anno quadringenteſimo ſeptuageſimo primo.

43 *Petrus Fullo*, Hæreticus Eutichianus, anno qua-

quadringentesimo septuagesimo primo Sedem Antiochenam invasit, sed eodem anno tanquàm Hæreticus damnatus & è Sede Antiochena pulsus est.

44 *Julianus*, Sede Antiochenâ justè deposito *Petro Fulloni* substitutus est, rexit Ecclesiam Antiochenam sex annis, hoc est ab anno quadringentesimo septuagesimo primo usque ad annum quadringentesimum septuagesimum sextum, quo anno *Petrus Fullo*, Hæreticus Eutychianus, à *Basilisco* Tyranno fuit ab exilio revocatus, & in Sedem Antiochenam restitutus. Sed Imperator *Zeno*, cæso *Basilisco* Tyranno, & recuperato Imperio anno quadringentesimo septuagesimo septimo, rursùs *Petrum Fullonem* Antiochiâ expulit.

45 *Joannes*, post expulsum Antiochiâ *Petrum Fullonem*, ordinatus est Episcopus Antiochenus, sedit tantùm tribus mensibus, & è Sede Antiochenâ fuit itidèm dejectus.

46 *Stephanus Senior*, deturbato è Sede Antiochena *Joanne*, ordinatus est Episcopus Antiochenus, sedit annis tribus, & obiit anno quadringentesimo octogesimo primo.

47 *Stephanus Junior* successit in Sede Antiochena *Stephano Seniori*, sed ab Hæreticis Eutychianis in Baptisterio Sancti Martyris *Barlaam* acutis calamis perfossus, & occisus, in Orentem fluvium projectus est anno quadringentesimo octogesimo secundo.

48 *Calendio*, post mortem *Stephani Junioris*, consecratus est Episcopus Antiochenus ab *Acacio*, Episcopo Constantinopolitano, seditque quatuor annis, hoc est, ab anno quadringentesimo octogesimo secundo, usque ad annum quadrin-

gentesimum octogesium quintum, quo anno *Calendio*, Episcopus Antiochenus, ab Imperatore *Zenone* in exilium ablegatus est, & *Petrus Fullo*, Hæreticus Eutychianus, denuò in Sedem Antiochenam restitutus est, & in ea permansit usque ad annum quadringentesimum octogesimum octavum, quo scelestus ille Hæreticus, & Sedis Antiochenæ invasor, extinctus est.

49 *Palladius*, mortuo *Petro Fullone*, Hæretico & Sedis Antiochenæ invasore, consecratus est Episcopus Antiochenus, sedit annos decem, & è vita migravit an. quadringentemo nonagesimo octavo.

50 *Flavianus* successit *Palladio*, & rexit Ecclesiam Antiochenam usque ad annum quingentesimum duodecimum, quo ab Imperatore *Anastasio* in exilium missus est, ubi intrepidus Fidei Catholicæ defensor obdormivit in Domino.

51 *Severus*, Hæreticus Eutychianus, *Flaviano*, Orthodoxo Episcopo ab Imperatore *Anastasio* Sede Antiochenâ dejecto, hanc Sedem occupavit annis quinque ac mensibus decem, eamque deserere coactus est anno quingentesimo decimo octavo, ut potè damnatus ac depositus in Synodo Constantinopolitanâ eodem anno celebratâ.

52 *Paulus*, abdicato *Severo*, ad Sedem Antiochenam provectus, sedit tribus annis incompletis, & Episcopatui Antiocheno cessit anno quingentesimo vigesimo primo.

53 *Euphrasius* successit *Paulo*, & rexit Ecclesiam Antiochenam annis quinque, obiitque anno quingentesimo vigesimo sexto.

54 *Euphremius* ordinatus est Episcopus Antiochenus anno quingentesimo vigesimo septimo, & præfuit Ecclesiæ Antiochenæ annis septem-

de-

decim, hoc eſt ad annum uſque quingenteſimum quadrageſimum quintum.

55 *Domnus*, ſeu *Domninus*, ſucceſſit in Sede Antiochena *Euphremio*, ſeditque quatuordecim annis, & mortuus eſt anno quingenteſimo quinquageſimo nono.

56 *Anaſtaſius* I. mortuo *Domno*, conſecratus eſt Epiſcopus Antiochenus, & hanc Eccleſiam rexit annis undecim, hoc eſt, uſque ad annum quingenteſimum ſeptuageſimum, quo anno à *Juſtino juniore*, Imperatore, è Sede Antiochenâ dejectus eſt. Hunc *Anaſtaſium*, Patriarcham Antiochenum, perperàm Cardinalis *Baronius* confudit cum *Anaſtaſio Sinaita*.

57 *Gregorius*, Monachus, abdicato *Anaſtaſio I.* ordinatus eſt Epiſcopus Antiochenus, ſed, poſtquàm ſediſſet annis viginti tribus, & è vivis exceſſiſſet anno quingenteſimo nonageſimo tertio, rursùm *Anaſtaſius I.* in Sedem Antiochenam à *Mauricio* Imperatore reſtitutus eſt die xxv. menſis Martii anni nonageſimi tertii, ſeditque poſt reſtitutionem ſuam ſex annis incompletis, ideſt, ad finem uſque anni quingenteſimi nonageſimi octavi, quo anno migravit è vita.

58 *Anaſtaſius II.* poſt mortem *Anaſtaſii primi*, inauguratus eſt Epiſcopus Antiochenus, & ineunte anno ſui Epiſcopatus duodecimo à Judæis per ſummam immanitatem excarnificatus eſt anno ſexcenteſimo nono, ſub *Phoca* Imperatore.

In hoc *Anaſtaſio II.* Epiſcopo Antiocheno, *Nicephorus* claudit Catalogum Patriarcharum Eccleſiæ Antiochenæ, tùm quia oppreſsâ ſemel à Barbaris ſeptimo Eccleſiæ Sæculo Antiochiâ, tam craſſa Græcos Antiochenos invaſit ignorantia, ut nullus de texendâ accuratâ Patriarcha-

rum Antiochenorum ſerie cogitarit: tum quia etiam ex eo tempore, quo Antiochia ſub jugo Barbarorum gemere cœpit, Epiſcopi plerùmque Hæretici Sedem Antiochenam invaſerunt, quorum nulla ad nos notitia pervenit. Quò fit, ut ſucceſſio Patriarcharum Eccleſiæ Antiochenæ à ſeptimo Sæculo ex certis Monumentis nullâ ratione texi poſſit, ne Græcorum quidem, cùm hiulci ſint multis in locis eorum Catalogi. Sed nullus dubito, quin denſas ejuſmodi tenebras, Patriarcharum Antiochenorum ſucceſſioni offuſas, diſſipaturus ſit clariſſimus noſter *Michael Le Quien*, Linguarum Orientalium peritiſſimus, qui propediè̀m Pariſiis egregium Opus editurus eſt, duobus Tomis in Folio comprehenſum, cui Titulus: *Oriens Chriſtianus*, in quo Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, Alexandrinorum, Antiochenorum, Hieroſolymitanorum, necnon præcipuarum Orientis Eccleſiarum ſucceſſiones Epiſcoporum, ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis, ex probatæ fidei Authoribus, & indubitatis Monumentis deſcribet, & in præclaro ordine atque optimo lumine collocabit. Miſſis itaque Patriarchis Græcis, qui à ſeptimo Eccleſiæ Sæculo ad noſtra uſque tempora Sedem Antiochenam tenuerunt, & quorum nomina, propter locorum diſtantiam, nobis prorsùs ignota ſunt, ſeriem hìc dumtaxàt inſeremus Latinorum Patriarcharum, qui exeunte Sæculo Undecimo, ſeu anno milleſimo nonageſimo octavo (quo Latini in ſuam poteſtatem Antiochiam redegerunt) expulſis Patriarchis Græcis, Sedem Antiochenam occuparunt.

SE

SERIES

Patriarcharum Latinorum,

Qui anno millesimo nonagesimo octavo, quo à Latinis capta est Antiochia, Sedem Antiochenam occuparunt.

QUamvis Antiochia à Latinorum exercitu, cui præerat *Boamundus*, Roberti Guiscardi Apulię & Calabriæ Ducis filius, capta fuerit anno millesimo nonagesimo octavo, nihilosecius *Joannes*, Græcus Patriarcha Antiochenus, per biennium adhuc, post captam Antiochiam, Sedem Antiochenam tenuit, hoc est, usque ad annum millesimum centesimum, quo *Joannes*, Græcus Patriarcha Antiochenus, videns, non utilitèr præesse Latinis, sese ultrò abdicavit.

1 Primus Patriarcha Antiochenus, Latinus (vacante eâ Sede per liberam cessionem *Joannis* Patriarchæ Græci) *Bernardus*, natione Gallus, electus est à Latinis, suæque Ecclesiæ jura acerrimè defendit contra Latinum Patriarcham Hierosolymitanum, qui jurisdictionis suæ fines latiùs protendere nitebatur. Sedit *Bernardus*, Latinorum primus Patriarcha Antiochenus, annos triginta sex, & obiit anno millesimo centesimo trigesimo sexto.

2 *Rodulphus*, seu *Radulphus*, cognomine *Mamistra-*

ſtranus, natione Gallus, poſt mortem *Bernardi*, Sedem Antiochenam occupavit, qui tamen ab *Alberico*, Legato in Oriente Summi Pontificis *Innocentii II.* damnatus ac depoſitus eſt, ſed Romam profectus, & gratiam Sedis Apoſtolicæ aſſecutus, dùm ad Sedem ſuam revertitur, ex hac vita veneno ſublatus eſt anno milleſimo centeſimo quadrageſimo.

3 *Aimericus*, ſeu *Haimericus*, in locum demortui *Rodolphi* ſuffectus eſt. Sub hoc Patriarcha Latino Antiocheno Maronitæ ſuos ejurarunt errores, & ad Eccleſiæ Latinæ gremium redierunt. Sedit *Aimericus* annos quadraginta ſeptem, hoc eſt, uſque ad annum milleſimum centeſimum octogeſimum ſeptimum, quo in vivis eſſe deſiit.

4 *Rodulphus* hujus nominis II. ſucceſſit *Aimerico* in Sede Antiochena, & hanc Eccleſiam rexit annos triginta tres, ideſt, uſque ad annum milleſimum ducenteſimum vigeſimum.

5 *Rainerius* in Sede Antiochena excepit *Rodulphum II.* ſeditq; annis viginti & obiit anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo.

6 *Elias Robertus* ſucceſſit *Rainerio*, ac Sedem Antiochenam tenuit per annos octo, & abiit è vivis anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Qui verò poſt hunc *Eliam Robertum* ex Latinis Patriarcha Antiochenus fuerit? adhùc planè incompertum eſt. Sed propediè m, ut ſperamus, mox citatus clariſſimus noſter *Michael Le Quien* Patriarcharum Latinorum Eccleſiæ Antiochenæ, qui *Eliæ Roberto* ſucceſſerunt, nomina, ſeriem ac geſta deſcribet in ſuo eruditiſſimo Opere, quod eſt jam prælo maturum, cuique titulus eſt: *Chriſtianus Oriens*.

Ad-

Advertere tamen debes, quòd, licèt Latini, dùm Sæculo Ecclesiæ duodecimo summâ rerum in Oriente potiti sunt, Patriarchas dumtaxat Latinos Ecclesiæ Antiochenæ præfecerint, non desierunt tamen Græci suos in Ecclesia Antiochena eligere, instituere ac consecrare Græcos Patriarchas, eorumque seriem continuare. Verùm, hi Patriarchæ Græci Antiocheni, quamdiù supremum Latini Sæculo XII. in Oriente dominium obtinuerunt, fuerunt dumtaxàt Patriarchæ nomine tenùs, omnique jurisdictione privati, sicut patet exemplo *Theodori Balsamonis*, qui à Græcorum Imperatore ad Patriarchatum Antiochenum designatus, nunquàm tamen illum occupare potuit, quia tum temporis *Aimericus*, Latinus Patriarcha Antiochenus, Ecclesiam Antiochenam regebat, & ad hanc Patriarchalem Sedem *Theodoro Balsamoni*, Patriarchæ Græco, omnem præclusit aditum. Cæterùm, cùm nomina eorum, quos Græci Antiocheni Sæcul. XII. dùm Latini in Oriente dominabantur, elegerunt ac ordinarunt Patriarchas Græcos Antiochenos, nobis prorsus ignota sint, consultius est, ut ipse, qui oberrare, & sine ullo laboris effectu per illas inextricabiles tenebras vagari nolo, hanc seriem Patriarcharum Græcorum Ecclesiæ Antiochenæ in præsentia prætermittam, maximè, cùm hanc duram provinciam susceperit sæpè jam laudatus *Michael Le Quien*, qui in suo Opere, quod inscribitur: *Christianus Oriens*, plenam & accuratam Patriarcharum Ecclesiæ Antiochenæ, cùm Græcorum, tùm Latinorum, notitiam traditurus est.

QUAR-

QUARTA TABULA CHRONOLOGICA

Patriarcharum Græcorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ.

1 J*Acobus Alphæi*, cognomento *Justus*, & Christi Domini frater dictus, primus ab Apostolis ordinatus est Episcopus Hierosolymitanus, hancque Ecclesiam rexit usque ad annum Christi sexagesimum, quo à Judæis lapidibus oppressus Martyrium passus est.

2 *Simeon* in Sede Hierosolymitana, successit *Jacobo Alphæi* anno Christi sexagesimo, eamque tenuit usque ad annum Christi centesimum septimum, quo, annos natus centum viginti, Martyrium consecutus est tempore *Trajani* Imperatoris, hoc est anno decimo ejus Imperii.

3 *Justus* ordinatus est Episcopus Hierosolymitanus anno Christi centesimo septimo, & sedit ad annum usque centesimum undecimum.

4 *Zacchæus*, seu *Zacharias*, suffectus est in locum *Justi*, & sedit unum dumtaxàt annum, obiitque anno centesimo duodecimo.

5 T*obias* ad Sedem Hierosolymitanam provectus est anno centesimo duodecimo, sedit annis quinque.

6 *Benjamin* Pontificatum iniit anno centesimo decimo septimo, seditque annis duobus.

7 *Joannes* cepit Pontificatum anno centesimo decimo nono, seditque annis duobus.

8 *Matthias* cepit Pontificatum anno centesimo vigesimo primo, & sedit annum unum.

9 *Philippus* ordinatus est Episcopus Hierosolymi-

mitanus anno centeſimo vigeſimo ſecundo, & ſedit annis quatuor.

10 *Seneca* ſucceſſit *Philippo* anno centeſimo vigeſimo ſexto, ſedit annum unum.

11 *Juſtus*, hujus nominis II. iniit Pontificatum anno centeſimo vigeſimo ſeptimo, ſeditque annum unum.

12 *Levi* ordinatus eſt Epiſcopus Hieroſolymitanus anno centeſimo vigeſimo octavo, & ſedit annum unum.

13 *Ephras*, ſeu *Ephraim*, ſucceſſit *Levi* anno centeſimo vigeſimo nono, & ſedit annos duos.

14 *Joſes*, ſeu *Joſephus*, creatus eſt Epiſcopus Hieroſolymitanus anno centeſimo trigeſimo primo, & ſedit annum unum.

15 *Judas* Sedem Hieroſolymitanam tenere cæpit anno centeſimo trigeſimo ſecundo, & ſedit annos duos, hoc eſt, ad annum uſque centeſimum trigeſimum quartum.

Hi omnes Epiſcopi Hieroſolymitani, quos hactenùs enumeravi, fuerunt, teſte *Euſebio* in Chronico, ex Circumciſione, ſeu Judæi ad Chriſtianam Religionem converſi, qui Eccleſiam Hieroſolymitanam rexerunt uſq; ad annum centeſimum trigeſimum quartum, quo anno, *Hadrianus*, Imperii ſui decimo octavo, tumultuantes Judæos è Hieroſolymorum Urbe expulit, & ſicut ait *Zonaras* in Vita *Hadriani* Imperatoris, *Urbem in Paleſtina, pro everſis Hieroſolymis conditam, Æliam Capitolinam nominavit; & quo in loco Dei templum olim fuerat, eo in loco poſt Jovis lucum condidit*. Ceſſantibus igitur in Eccleſia Hieroſolymitana Epiſcopis, qui erant ex Circumciſione, ſeu Judæi, Chriſtianæ Fidei lumine colluſtrati, cæteri, quos hìc ſubjiciam, Epi-

Episcopi Hierosolymitani, fuerunt ex Gentibus, seu ex his, qui orti erant ex Ethnicis ad Fidem Christianam adductis.

16 *Marcus*, exclusis Judæis, primus ex gentibus ordinatus est Episcopus Hierosolymitanus anno centesimo trigesimo quarto, & hanc Ecclesiam gubernavit usque ad annum centesimum quadragesimum sextum.

17 *Cassianus* successit *Marco* anno centesimo quadragesimo sexto, & sedit annis octo.

18 *Publius* subrogatus est in locum *Cassiani* anno centesimo quinquagesimo quarto, & sedit annis quinque.

19 *Maximus* cepit Pontificatum anno centesimo quinquagesimo nono, & sedit annis quatuor.

20 *Julianus* consecratus est Pontifex Hierosolymitanus anno centesimo sexagesimo tertio, & sedit annis duobus.

21 *Gajanus* successit *Juliano* anno centesimo sexagesimo quinto, & sedit annis tribus.

22 *Symmachus* ordinatus est Episcopus Hierosolymitanus anno centesimo sexagesimo octavo, & sedit annis duobus.

23 *Gajus* Ecclesiæ Hierosolymitanæ clavum gubernare cæpit anno centesimo septuagesimo, & sedit annis tribus.

24 *Julianus* hujus nominis II. inauguratus est Episcopus Hierosolymitanus an. centesimo septuagesimo tertio, & sedit annis quinque.

25 *Capito* in Sede Hierosolymitana *Julianum* excepit anno centesimo septuagesimo octavo, & sedit annis quatuor.

26 *Maximus* Ecclesiæ Hierosolymitanæ Præfectus est anno centesimo octuagesimo secundo, & sedit annis quatuor.

27 *Antonius* in Sede Hierosolymitana successit *Maximo* anno centesimo octuagesimo sexto, & sedit annis quinque.

28 *Valens* iniit Pontificatum Hierosolymitanum anno centesimo nonagesimo primo, & sedit annis tribus.

29 *Dolichianus* consecratus est Episcopus Hierosolymitanus anno centesimo nonagesimo quarto, & sedit annis duobus.

30 *Narcissus* ad Sedem Hierosolymitanam provectus est anno centesimo nonagesimo sexto. Fuit Vir, teste *Eusebio*, eximiâ pietate, & miraculorum dono insignis, qui tamen, postquàm sedisset annis quatuor, Sede suâ privatus est, & in solitudinem secessit.

31 *Dius*, post abdicationem *Narcissi* ordinatus est Episcopus Hierosolymitanus anno centesimo nonagesimo nono, & sedit annis octo.

32 *Germanius* successit *Dio* anno ducentesimo septimo, & sedit annis quatuor.

33 *Gordius* Sedem Hierosolymitanam obtinuit anno ducentesimo undecimo, & sedit annis quinque. Post mortem *Gordii*, Sedi Hierosolymitanę *Narcissus*, qui injustè abdicatus fuerat, restitutus est anno ducentesimo decimo sexto, sedit adhuc annis viginti, & Martyr coronatus est anno ducentesimo trigesimo septimo.

34 *Alexander* successit *Narcisso* anno ducentesimo trigesimo septimo, sedit annos quatuordecim, & in Deciana persecutione Martyrii palmam consecutus est anno ducentesimo quinquagesimo primo.

35 *Maxabanus* in Sede Hierosolymitana suffectus est *Alexandro* anno ducentesimo quinquagesimo primo. Interfuit duobus Conciliis Antiochenis,

nis, quæ contra *Paulum Samosatenum* fuerunt celebrata annis 264. & 270. seditque annis viginti quatuor.

36 *Hymenæus* successit *Mazabano* anno ducentesimo septuagesimo sexto, seditque annis vigintiduobus.

37 *Zabdas*, seu *Labdas* ordinatus est Episcopus Hierosolymitanus anno ducentesimo nonagesimo octavo, & sedit annis duobus.

38 *Hermon* anno trecentesimo sublectus fuit Episcopus Hierosolymitanus, & decem circiter annis hanc Ecclesiam gubernavit.

39 *Macarius* successit *Hermoni*. Interfuit Concilio Nicæno contra Hæresiarcham *Arium* celebrato, & sedit usque ad annum trecentesimum trigesimum quintum, quo excessit è vivis.

40 *Maximus* substitutus est in locum *Macarii*. Fuit insignis, tempore persecutionis *Maximini* Imperatoris, Fidei Catholicæ contra Hæreticos Arianos defensor, & eâ de causâ *Acacius*, Cæsareæ Episcopus Arianus, & totius Palestinæ Metropolitanus, illum è Sede Hierosolymitana dejecit anno trecentesimo quinquagesimo.

41 *Cyrillus* eodem anno, quo *Maximus* ab Arianis è Sede sua pulsus est, creatus est, vivente adhuc *Maximo*, Episcopus Hierosolymitanus, sed *Acacius*, Cæsareæ Episcopus Arianus, in Concilio à se convocato anno trecentesimo quinquagesimo octavo, illum Sede Hierosolymorum deposuit.

42 *Herennius*, Arianus, amoto ab *Acacio* è Hierosolymorum Sede *Cyrillo*, Episcopo Orthodoxo, & *Maximi* successore, ordinatus est ab Arianis Hierosolymorum Episc. seditq; usq; ad an. trecentesimum sexagesimum primũ, quo anno, cùm

Con-

Constantius, Imperator Arianus, è vivis excessisset, ad suam Hierosolymorum Sedem rediit *Cyrillus*, injustè ab Arianis depositus, eamque tenuit per tres annos, hoc est, usque ad annum trecentesimum sexagesimum quartum, quo anno à *Valente*, Imperatore Orientis Ariano, iterùm in exilium ablegatus est.

43 *Hilarius*, itidèm Arianus, pulso in exilium, *Cyrillo* anno trecentesimo sexagesimo quarto, intrusus est ab Arianis in sedem Hierosolymitanam, eamque occupavit per quindecim annos, idest, usque ad annum trecentesimum septuagesimum, nonum, quo anno *Cyrillus*, jam è Sede sua Hierosolymitana semel ac iterùm ab Arianis dejectus, restitutus est, & Ecclesiam Hierosolymitanam rexit usque ad annum trecentesimum, octogesimum sextum, quo ad Deum migravit.

44 *Joannes*, hujus nominis II. mortuo S. *Cyrillo* anno trecentesimo octuagesimo sexto, creatus est Hierosolymorum Episcopus. Sedit annos triginta, & ex hac vita discessit anno quadringentesimo decimo sexto. Hic in Concilio Hierosolymitano anno ccccxv. convocato nimiùm Hæresiarchæ *Pelagio* favit.

45 *Praylius* in Sede Hierosolymitana successit *Joanni II.* anno trecentesimo decimo sexto, & hanc Ecclesiam rexit usque ad annum quadringentesimum vigesimum quartum, quo mortuus est.

46 *Juvenalis* suffectus est *Praylio*. Interfuit Concilio Generali Ephesino, & postquàm sedisset annis triginta quatuor, obiit anno quadringentesimo quinquagesimo octavo.

47 *Anastasius* Hierosolymorum Sedem iniit anno quadringentesimo quinquagesimo octavo. Sedit

annos viginti, & in vivis esse desiit anno quadringentesimo septuagesimo octavo.

48 *Martyrius* in locum demortui *Anastasii* consecratus est Hierosolymorum Episcopus anno quadringentesimo septuagesimo octavo, sedit annis octo, & mortuus est anno quadringentesimo octuagesimo sexto.

49 *Salustius* successit *Martyrio* anno quadringentesimo octogesimo sexto, Ecclesiam Hierosolymitanam octo annis gubernavit, & è vivis abiit anno quadringentesimo nonagesimo quarto.

50 *Elias* Hierosolymorum Episcopus consecratus est anno quadringentesimo nonagesimo quarto, & Sedem Hierosolymitanam tenuit usque ad annum Christi quingentesimum decimum tertium, quo anno, instigante *Severo*, Antiocheno Episcopo Hæretico, jussu Imperatoris *Anastasii*, Sede Hierosolymitanâ dejectus est.

51 *Joannes*, hujus nomini III. in locum *Eliæ*, Sede Hierosolymitanâ ab Hæreticis Eutychianis dejecti, subrogatus est anno quingentesimo decimo tertio. Sedit annis undecim, & supremum diem obiit anno quingentesimo vigesimo quarto

52 *Petrus Eleutheropolita* successit in Sede Hierosolymitanâ *Joanni III.* anno quingentesimo vigesimo quarto, sedit annos viginti, ac subinde mortuus est anno quingentesimo quadragesimo quarto.

53 *Macarius*, hujus nominis II. successit *Petro Eleutheropolitæ* anno quingentesimo quadragesimo quarto, qui tamen anno quingentesimo quinquagesimo secundo accusatus tanquàm errorum Origenis assertor ac defensor, Sede Hierosolymitana privatus est.

54 *Eustochius* in locum abdicati *Macarii II.* sub-
sti

ſtitutus eſt anno quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, præfuit Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ſuperſtite adhùc *Macario II.* per annos undecim. Sed anno quingenteſimo ſexageſimo tertio, *Euſtochio* è Sede Hieroſolymitanâ pulſo, iterùm *Macarius*, hujus nominis II. poſtquàm *Origenem*, *Didymum*, atque *Evagrium* damnaſſet, & Fidei Catholicæ profeſſionem edidiſſet, in priſtinam Hieroſolymitanam Sedem reſtitutus eſt, eamque tenuit uſque ad annum quingenteſimum ſeptuageſimum ſecundum.

55 *Joannes* hujus nominis IV. ſucceſſit in Sede Hieroſolymitana *Macario II.* defuncto anno quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Sedit annos viginti duos, & ex hac vita migravit anno quingenteſimo nonageſimo quarto.

56 *Amos* in Sede Hieroſolymitana excepit *Joannem* IV. Eccleſiam Hieroſolymitanam gubernavit annis octo, & exceſſit è vivis anno ſexcenteſimo primo.

57 *Iſichius*, vel, ut alii dicunt, *Iſaacius*, in Sede Hieroſolymitana ſucceſſit *Amos* anno ſexcenteſimo primo, ſedit annis octo, & mortuus eſt anno ſexcenteſimo nono.

58 *Zacharias* ſuffectus eſt in locum *Iſichii*, ſeu *Iſaacii*, anno ſexcenteſimo nono, ſed captâ à Perſis Hieroſolymorum Urbe anno ſexcenteſimo decimo quarto, *Zacharias*, Patriarcha Hieroſolymitanus, captivus ductus eſt, eoque in captivitatem abducto, *Modeſtus*, Presbyter, Eccleſiam Hieroſolymitanam, tanquàm Vicarius Patriarchæ *Zachariæ* rexit uſque ad annum ſexcenteſimum vigeſimum nonum, quo anno Patriarcha *Zacharias*, è captivitate redux, Sedi ſuæ Hieroſolymitanæ reſtitutus eſt, & hanc Eccleſiam

gubernavit usque ad annum sexcentesimum trigesimum primum, quo mortuus est.

59 *Modestus* demortuo *Zachariæ* Patriarchæ Hierosolymitano successit anno sexcentesimo trigesimo primo, Sedemque tenuit usque ad annum sexcentesimum trigesimum tertium, quo in vivis esse desiit.

60 *Sophronius* ordinatus est Episcopus Hierosolymitanus anno sexcentesimo trigesimo tertio. Monothelitarum Hæresis fuit acerrimus insectator, seditque usque ad annum sexcentesimum trigesimum septimum, quo à Saracenis Hierosolymorum Urbs capta est. Hinc *Nicephorus* in suo Chronico Catalogum Patriarcharum Ecclesiæ Hierosolymitanæ clausit in *Sophronio*, ita ut modò seriem Patriarcharum Hierosolymitanorum, qui hanc Sedem tenuerunt usque ad Latinorum, Duce *Godefrido Bullionio*, in Terram Sanctam Sæculo XI. adventum, ignotam penè habeamus. Id autem accidit, quia gementibus sub duro & barbarico Saracenorum jugo Ecclesiis Syriæ & Ægypti, atque cumprimis Ecclesiâ Hierosolymitanâ, quæ, ut mox diximus, anno DCXXXVII. capta est, nemo fuit, qui seriem Patriarcharum Hierosolymitanorum investigarit, nisi postquàm Sæculo XI. victricibus Latinorum armis Hierosolymorum Urbs à tyrannide Saracenorum liberata est, cultusque Christianorum, tandiù hìc intermissus, reflorescere cæpit. Legendus tamen est *Tractatus Præliminaris*, quem *Papebrochius* præmisit ad Tomum tertium de *Actis Sanctorum* mensis Maii, in quo Catalogum texuit Patriarcharum Hierosolymitanorum à S. *Jacobo*, cognomento *Justo*, fratre Christ Domini, usque ad *Dositheum*, Græcum Patriar-

chan

cham Hierosolymitanum, qui anno millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo Synodum Hierosolymis celebravit pro asserendis contra Hæreticos Lutheranos & Calvinistas, qui illum consuluerant, dogmatibus de Transubstantiatione & reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Cæterùm, quamvis *Papebrochius* seriem Patriarcharum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Tractatu, mox à me laudato, haud parùm illustraverit, gravissimæ tamen adhùc supersunt difficultates, in quibus explanandis, & excutiendis tenebris, quibus obsita est Patriarcharum Hierosolymitanorum successio, magno rei Literariæ emolumento insudat doctissimus noster *Michael Le Quien*, qui, sicut anteà præmonui, Opus à se concinnatum, duobus Tomis in Folio comprehensum, & cui Titulus est *Christianus Oriens &c.* propedièm publicam in lucem Parisiis editurus est, atque Episcoporum non solùm Hierosolymitanorum, sed etiam Antiochenorum, Alexandrinorum, & Constantinopolitanorum, aliarumque præcipuarum Ecclesiarum Orientis Episcoporum seriem ac successiones accuratissimâ diligentiâ describet. Prætermissâ itaque serie Græcorum Patriarcharum, qui Ecclesiam Hierosolymitanam post *Sophronium*, hoc est, post captam à Saracenis anno sexcentesimo trigesimo septimo Hierosolymorum Urbem, rexerunt Ecclesiam Hierosolymitanam usque ad Latinorum in Orientem sub finem Sæculi XI. adventum, contexam hìc dumtaxat Catalogum Patriarcharum Hierosolymitanorum Latinorum, qui Sedem Hierosolymitanam tenuerunt, postquàm sub finem Sæculi XI. Latini, Duce *Godefrido Bullio-*

nio, victricibus armis Palæstinam occuparunt, Saracenos expulerunt, & Regnum Hierosolymitanum instituerunt.

CATALOGUS

Patriarcharum Latinorum,

Qui Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerunt, postquàm Latini sub finem Sæculi Undecimi in Orientem appulsi, Saracenis expulsis, Regnum Hierosolymitanum instituerunt.

GAlli sub finem Sæculi XI. Duce *Godefrido Bullionio*, in Orientem ad recuperandam Terram Sanctam, à Saracenis occupatam, cum numeroso exercitu venerunt, Saracenos expugnarunt, Hierosolymorum Urbem anno millesimo nonagesimo nono liberarunt, Regnum Hierosolymitanum instituerunt, atque Ecclesiæ Hierosolymitanæ Patriarchas Latinos præfecerunt, quorum nomina, initium & annos illorum Pontificatûs brevitèr hìc indicabo.

1 *Daibertus*, seu *Daymbertus*, Pisanus Episcopus, & Sedis Apostolicæ in Latinorum Expeditione Hierosolymitana Legatus, electus fuit primus Patriarcha Hierosolymitanus eodem anno, quo Latini Hierosolymorum Urbem ceperunt, hoc est, anno millesimo nonagesimo nono. Ab hoc pri-

primo inter Latinos Patriarchâ Hierosolymitano *Godefridus Bullionius*, Hierosolymorum Rex à Latinis proclamatus, Regni Hierosolymitani Investituram accepit. Sed mortuo *Godefrido Bullionio* anno millesimo centesimo, *Balduinus*, frater *Godefridi*, ejusque in Regno Hierosolymitano successor, è Sede Hierosolymitana *Daymbertum* anno millesimo centesimo tertio dejecit.

2 *Ebremarus*, post *Daymberti* depositionem, in Sedem Hierosolymitanam à *Balduino*, Rege Hierosolymitano, intrusus est anno millesimo centesimo tertio, seditque annis quatuor, idest, usque ad annum millesimum centesimum septimum, quo à *Gobelino*, seu *Gibelino*, Arelatensi Archiepiscopo, qui tunc in Oriente erat Sedis Apostolicæ Legatus, è Sede Hierosolymorum pulsus est, eò quòd hanc Sedem, vivente adhuc *Daymberto* Patriarcha Hierosolymitano, qui à *Balduino* Rege suâ Sede depositus ad Summum Pontificem *Paschalem II.* provocaverat, Romamque, ut suam causam peroraret, accesserat, invasisset.

3 *Gobelinus*, seu *Gibelinus*, Archiepiscopus Arelatensis, & Sedis Apostolicæ in Oriente Legatus, post depositionem *Ebremari*, electus est Patriarcha Hierosolymitanus anno millesimo centesimo septimo, sedemque tenuit usque ad annum millesimum centesimum duodecimum, quo abiit è vivis.

4 *Arnulphus* in Sede Hierosolymitana successit *Gobelino*, seu *Gibelino*, anno millesimo centesimo duodecimo. Fuit quidèm eâ Sede depositus in Concilio Hierosolymis anno millesimo centesimo decimo quinto celebrato, eam tamen tenuit usque ad annum millesimum centesimum

 de-

decimum octavum, quo vitâ functus est.

5 *Germundus*, mortuo Arnulpho, Hierosolymorum Patriarcha electus est anno millesimo centesimo decimo octavo. Sedit annis decem, & obiit anno millesimo centesimo vigesimo octavo.

6 *Stephanus* in Sede Hierosolymitana *Germundum* excepit an. millesimo centesimo vigesimo octavo. Sedit annis duobus, & mortuus est anno millesimo centesimo trigesimo.

7 *Willelmus*, Prior Ecclesiæ Dominici Sepulchri, ad Sedem Hierosolymitanam provectus est anno millesimo centesimo trigesimo, eamque tenuit annis quindecim, hoc est, ad annum usque millesimum centesimum quadragesimum quintum, quo vitâ functus est.

8 *Fulcherius* suffectus est in locum *Willelmi* anno millesimo centesimo quadragesimo quinto, Ecclesiam Hierosolymitanam rexit an. duodecim, & obiit anno millesimo centesimo quinquagesimo septimo.

9 *Almaricus*, Ecclesiæ Dominici Sepulchri Prior, electus est Patriarcha Hierosolymitanus anno millesimo centesimo quinquagesimo septimo. Sedit annis viginti tribus, & viam universæ carnis ingressus est anno millesimo centesimo octuagesimo.

10 *Heraclius* in Sede Hierosolymitana successit *Almarico* anno millesimo centesimo octuagesimo, seditque usque ad annum millesimum centesimum octuagesimum septimum, quo anno Hierosolymorum Urbs à Turcis capta est, & *Heraclius*, Patriarcha Hierosolymitanus, omnesque Latini, absque ullo ætatis vel sexus discrimine, ab eâ Urbe expulsi sunt. Mortuus est

He-

Heraclius, Patriarcha Hierosolymitanus, post captam à Turcis Hierosolymorum Urbem, in obsidione Acræ, hoc est, anno millesimo centesimo nonagesimo primo.

11 *Albertus*, Eremita, à Latinis, qui, amissis Hierosolymis, aliquam adhùc Palestinæ partem retinebant, electus est Patriarcha Hierosolymitanus anno millesimo centesimo nonagesimo primo, seditque usque ad annum millesimum centesimum nonagesimum quartum, quo anno, cùm *Albertus* in vivis esse desiisset, electus est Patriarcha Hierosolymitanus *Michael*, Decanus Parisiensis, sed, antequàm illùc iter arriperet, factus est in Galliis Archiepiscopus Senonensis.

12 *Monachus*, in Diœcesi Florentinâ natus, electus est Patriarcha Hierosolymitanus eodem anno millesimo centesimo nonagesimo quarto, seditque usque ad annum millesimum ducentesimum quartum, quo ex hac vita migravit.

13 *Albertus*, hujus nominis II. anteà Episcopus Vercellensis, electus est Patriarcha Hierosolymitanus anno millesimo ducentesimo quarto, qui tamen in Orientem dumtaxat pervenit anno millesimo ducentesimo sexto, & Patriarchatum tenuit usque ad annum millesimum ducentesimum decimum quartum, quo in solemni supplicatione à Saracenis occisus est.

14 *Rodulphus*, mortuo *Alberto*, hujus nominis II. electus est Patriarcha Hierosolymitanus an. millesimo ducentesimo decimo quarto. Sedit annis tredecim, & obiit anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo.

15 *Lotharius*, post mortem *Rodulphi*, creatus est Patriarcha Hierosolymitanus, an. millesimo ducentesimo vigesimo septimo, & sedit tribus annis, seu

usque

uſq; ad an.millesimum ducentesimũ trigesimum.

16 *Gerondus* ſucceſſit *Lothario* anno millesimo ducentesimo trigesimo, & Patriarchatum tenuit uſque ad an. milleſimum ducentesimum trigesimum quintum.

17 *Jacobus de Vitriaco* ſuffectus eſt in locum *Gerondi*, & poſteà creatus à *Gregorio IX.* Summo Pontifice, S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Tuſculanus, obiitque Romæ anno millesimo ducentesimo quadragesimo quarto.

18 *Robertus*, anteà in Galliis Epiſcopus Nannetenſis, mortuo *Jacobo de Vitriaco*, Patriarcha Hieroſolymitano, ordinatus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus an. milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quarto, eumq; Patriarchatum tenuit uſque ad annum millesimũ ducenteſimum quinquagesimum quintum.

19 *Jacobus Pantaleo*, natione Gallus, patriâ Trecensis, creatus eſt ab *Alexandro IV.* Pontifice, Maximo, Patriarcha Hieroſolymitanus an. millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, ſed anno ſexto à creatione ſua electus eſt anno millesimo ducentesimo ſexagesimo primo Romanus Pontifex, dictus *Vrbanus IV.*

20 *Guillelmus*, natione Gallus, Epiſcopus Aginnensis in Aquitania, Patriarchatum Hieroſolymitanum anno millesimo ducentesimo ſexagesimo primo obtinuit ab *Vrbano IV.* Pontifice, Maximo, qui etiam ei curam commisit Ecclesiæ Acconensis, tunc pariter Paſtore viduatæ per translationem *Florentii* in Sedem Arelatenſem. Obiit *Guillelmus* Patriarcha Hieroſolymitanus anno millesimo ducentesimo ſexagesimo tertio.

21 *Thomas*, Meſſanensis Ecclesiæ Adminiſtrator, ad Patriarchatum Hieroſolymitanum promotus

eſt anno millesimo ducentesimo ſexagesimo tertio, migravitque è vita anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo.

22 *Thomas de Lentino*, Ordinis Prædicatorum & Archiepiſcopus Coſentinus, ad Patriarchatum Hieroſolymitanum aſſumptus eſt anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, eumque tenuit uſque ad annum milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum ſextum.

23 *Joannes Vercellenſis*, ſextus, poſt S. *Dominicum*, Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, à *Nicolao III.* deſignatus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo. Sed hunc Patriarchatum Hieroſolymitanum ſibi oblatum *Joannes Vercellenſis*, uni ſoli curæ ſui Ordinis vacare volens, modeſtè recuſavit.

24 *Elias* Patriarchatum Hieroſolymitanum, quem *Joannes Vercellenſis* pertinaci modeſtiâ ſuſcipere detrectaverat, adeptus eſt anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo, eumque tenuit uſque ad annum milleſimum ducenteſimum octuageſimum ſeptimum, quo mortuus eſt.

25 *Nicolaus de Anapiis*, Ordinis Prædicatorum, ad Patriarchatum Hieroſolymitanum à *Nicolao Quarto* Pontifice Maximo provectus eſt anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſeptimo, & obiit anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo, quo anno Urbs Acconenſis, quæ eſt in Phænicia, & totius Orientis opulentiſſima, à Turcis capta eſt, omneſque Chriſtiani non ſolùm ex hac Civitate, ſed è totâ Terrâ Sanctâ pulſi, ac exterminati ſunt.

26 *Rodulphus de Grandivilla*, Ordinis Prædicatorum, poſt captam à Turcis Urbem Acconenſem an-

anno millesimo ducentesimo nonagesimo primo, jussu *Cœlestini V.* Summi Pontificis, consecratus est Patriarcha Hierosolymitanus, sed Pontificali illâ dignitate à *Bonifacio VIII.* successore *Cœlestini V.* exutus est.

27 *Antonius*, Dunelmensis Episcopus, à *Clemente V.* Summo Pontifice creatus est anno millesimo trecentesimo quinto Patriarcha Hierosolymitanus, & in vivis esse desiit anno millesimo trecentesimo decimo quarto.

28 *Petrus*, Ruthensis Episcopus, ab eodem Pontifice *Clemente V.* institutus est Patriarcha Hierosolymitanus anno millesimo trecentesimo decimo quarto, & è vivis ereptus est anno millesimo trecentesimo vigesimo quarto.

29 *Raymundus*, Ordinis Prædicatorum, Patriarchatu Hierosolymitano à *Joanne XXII.* Summo Pontifice fuit exornatus anno millesimo trecentesimo vigesimo quarto, eumque tenuit usque ad annum millesimum trecentesimum vigesimum nonum, quo ex hac vitâ discessit.

30 *Petrus de Palude*, Ordinis Prædicatorum, ab eodem Summo Pontifice *Joanne XXII.* ordinatus est Patriarcha Hierosolymitanus anno millesimo trecentesimo vigesimo nono, & confestim in Syriam profectus, ibi per biennium mansit, indèque Parisios reversus anno millesimo trecentesimo trigesimo primo, vixit usque ad annum millesimum trecentesimum quadragesimũ secundum, quo anno Parisiis mortuus est, & in Majori Conventu ac Collegio FF. Prædicatorum sepultus.

Demortuo *Petro de Palude* anno millesimo trecentesimo quadragesimo secundo alios Latinos in Patriarchatu Hierosolymitano successisse, in dubium

bium revocari non poteſt, ſed cùm iſti ſucceſſores, quos in Patriarchatu Hieroſolymitano habuit *Petrus de Palude*, ſint Viris eruditis omninò ignoti, ſupervacaneum omninò eſſet in illorum ſtudioſiùs perquirere nomina, quibus nudus tantùm Patriarchæ Hieroſolymitani titulus, abſque ulla recuperandæ poſſeſſionis ſpe, datus eſt à Summis Pontificibus, qui, à tempore, quo Latini Orientem amiſerunt, jus hactenùs retinuerunt providendi Eccleſiis tam Patriarchalibus, quàm Archiepiſcopalibus in Oriente conſtitutis, & titulum alicujus Eccleſiæ, quæ eſt in partibus Infidelium, Legatis Apoſtolicis, & nonnullis Ordinatis Epiſcopis conferendi. Miſſis itaque aliis Patriarchis, qui, poſt *Petrum de Palude*, Ordinis Prædicatorum, titulo dumtaxat tenùs Patriarchæ Hieroſolymitani fuerunt, paucas hìc ſubjiciam Obſervationes, quæ, ad habendam Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ejuſque Patriarcharum pleniorem notitiam, haud parùm conducere poſſunt.

Primò, obſervare debes, Eccleſiam Hieroſolymitanam, licèt fuerit origine omnium Eccleſiarum mater (quippè quæ Chriſti Domini prædicatione, miraculis, morte & reſurrectione decorata, Spiritus Sancti in Diſcipulos illapſu commendata, & S. *Jacobi* Apoſtoli, qui primus in ea Sedem Epiſcopalem fixit, proprio martyrio conſecrata atque illuſtrata) alias tamen Eccleſias dignitate, loco & ordine non præceſſiſſe, ſed antiquitùs Eccleſiæ Cæſareæ Metropoli ſubjectam ac ſuffraganeam fuiſſe, adeò ut Metropolites Cæſareæ in Paleſtina in Synodis Provincialibus Paleſtinæ ſupra Hieroſolymorum Epiſcopum

prę-

pręſideret, primuſque ſubſcriberet, quamvis tamen Epiſcopus Hieroſolymitanus, juxta privilegium ei à Concilio Generali Nicæno I. conceſſum, in Conciliis Generalibus præcederet omnes Metropolitas, ac ſubindè Metropolitem Cæſarienſem.

Secundò, obſervare debes, à tempore Concilii Generalis Chalcedonenſis, quod Actione octavâ univerſam Paleſtinam in tres Provincias diſtributam Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ſubdidit, cœpiſſe Epiſcopos Hieroſolymitanos pleno jure Patriarchatus potiri. *Juvenalis* ſiquidem, Hieroſolymorum Epiſcopus, qui interfuit Concilio Œcumenico Chalcedonenſi, anno 451. habito, univerſæ Paleſtinæ Synodum, paulò poſt Chalcedonenſis Concilii celebrationem, indixit, eique, tanquàm Patriarcha, præfuit, quamvis in præcedentibus Provincialibus Paleſtinæ Synodis præeſſet, primuſque ſubſcriberet Metropolitanus Cæſarienſis. Eadem Hieroſolymorum Eccleſiæ Jura Patriarchica confirmavit, aſſeruit ac vindicavit Synodus quinta, Generalis, quæ anno quingenteſimo quinquageſimo tertio fuit celebrata.

Tertiò, obſervare debes, poſt captam à Saracenis anno ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo Hieroſolymorum Urbem, non deſtitiſſe Eccleſiam, Hieroſolymitanam ſuos habere Patriarchas Gręcos, uſque ad adventum Latinorum in Paleſtinam ſub finem undecimi Sæculi, eorum tamen ſeriem adeò eſſe obſcuram, ut ex his paucorum admodùm vix nomina nota habeamus; quò fit, ut Viri eruditi ſummo applauſu excepturi ſint iſtud ſæpè laudatum Opus, cui titulus: *Chriſtia-*

ſtianus Oriens, quod propediè̀m in lucem Pariſiis editurus eſt doctiſſimus noſter *Michael Le Quien*, qui ſeriem Patriarcharum Græcorum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, nec non Patriarcharum Græcorum Alexandrinorum, Antiochenorum, Conſtantinopolitanorum, & aliarum præcipuarum Orientis Eccleſiarum Epiſcoporum Catalogum ex probatis Authoribus, & indubitatis monumentis concinnabit, eorumque nomina, Geſta, initium, annoſque Pontificatus accurato ordine percenſebit. Quam certè duram, faſtidii ac moleſtiæ plenam provinciam nemo ante clariſſimum illum Scriptorem hactenus ſuſceperat, ſi tamen excipias doctiſſimum *Euſebium Renaudotium*, in Orientalium linguarum notitia verſatiſſimum, qui Seriem, & Hiſtoriam Patriarcharum Alexandrinorum à S. *Marco* Evangeliſta uſque ad finem Sæculi decimi tertii ex Scriptoribus Arabibus, Sectæ Jacobitarum addictis, contextam paucis abhinc annis publicavit Pariſiis in libro, cui titulus eſt: *Hiſtoria Patriarcharum Alexandrinorum*.

Denique, obſervare debes, Eccleſiam Hieroſolymitanam, poſt adventum Latinorum in Orientem ſub finem Sęculi undecimi ſuos quidem habuiſſe Patriarchas Latinos, quos ſuperiùs in medium produximus, ſed nihiloſeciùs Græcos Hieroſolymitanos non deſtitiſſe ſuos in Eccleſia Hieroſolymitana habere Patriarchas Græcos, quorum nomina, res geſtas, initium & annos Pontificatus (quæ omnia hactenùs Viris eruditis planè ignota fuerunt) in apertam lucem proferet jam ſæpè citatus Vir clariſſimus *Michael Le Quien*, qui in digerendis ac rectè ordinandis

Pa-

Patriarcharum, cùm Græcorum, tùm Latinorum, & præcipuarum Orientis Ecclesiarum Episcòporum successionibus, herculeo & indefesso labore nunc Parisiis insudat. Digitum ad fontem intendisse sufficiat, neque certè is ego sum, qui tam densas tenebras, Patriarcharum, & Ecclesiarum Orientis Episcoporum successionibus offusas, discutere velim, aut possim.

QUINTA TABULA CHRONOLOGICA,

In qua exibibetur ſucceſſio Epiſcoporum, ſeu Patriarcharum Græcorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſub Conſtantino Magno *Imperatore, uſque ad captam à Turcis Conſtantinopolim anno* MCCCCLIII.

COnſtantinopolitana Civitas, quæ olim *Byzantium* dicebatur, poſteà Sæculo Eccleſiæ quar-o ab Imperatore *Conſtantino Magno* quàmplurimis ecorata ornamentis appellari cæpit *Conſtantinopolis*, oc videlicet nomen ab ipſomet Imperatore *Conſtantino* mutuata. Sedes ac Solium Imperatorum Orienis conſtituta eſt, ejuſque Epiſcopi ampliori honore tque Juriſdictione fuerunt donati. At enim, Epiſcoi hujus Urbis, quandiù dicta eſt *Byzantium*, hoc eſt, ſque ad tempora *Conſtantini Magni*, Imperatoris, rant dumtaxàt Suffraganei, ſubjecti Juriſdictioni Meropolitani Heracleæ in Thracia; poſtquàm verò Imerator *Conſtantinus* ſuum huic Urbi indidit nomen, in ea Imperii Sedem ac Solium fixit, celebriores vaſerunt Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui freti uctoritate Imperatorum Orientalium, obtinuerunt Patribus Concilii Generalis Conſtantinopolitani cimi anno CCCLXXXI. celebrati, ut deinceps *Epiſcous Conſtantinopolitanus haberet priores honoris partes oſt Romanum Epiſcopum, eò quòd Conſtantinopolis ſit ova Roma*. Ita ſtatuerunt Græci Canone tertio iſtius Concilii. Eumdem Canonem, qui tamen apertè

Decreto Concilii Generalis Niceni Primi adverſaba-batur, renovarunt ambitioſi Græci in Concilio Generali Chalcedonenſi, quod anno CCCCLI. habitum eſt. In eo quippè Græci non ſolùm Primatum honoris, poſt Romanum Pontificem, conceſſerunt Epiſcopo Conſtantinopolitano, ſed etiam juriſdictionem, ſeu Jura Patriarchica in Provincias Aſiæ, Ponti, & Thraciæ ei adjudicarunt. Huic novæ authoritati ac juriſdictioni Epiſcopo Conſtantinopolitano à Græcis aſſertæ interceſſerunt Romani Pontificis Legati, qui præerant Concilio Generali Chalcedonenſi, &, quibus abſentibus, Patres Græci in Actione decimâ quintâ ejuſdem Concilii novam hanc authoritatem & juriſdictionem Epiſcopo Conſtantinopolitano conceſſerant, ſeu potiùs confirmaverant; Legati, inquam, Summi Pontificis in Actione XVI. & ultima, Concilii Chalcedonenſis poſtularunt, ut relegeretur Canon de Sede Conſtantinopolitanâ, qui, ipſis abſentibus, conditus fuerat. Eo recitato cum omnium fermè Patrum ſubſcriptionibus, *Lucentius*, Sedi Apoſtolicæ Legatus, Judices interpellans, ait: *Primò Gloria veſtra perpendite, qua circumventione cum Sanctis Epiſcopis geſtum ſit, ut non conſcriptis Canonibus, quorum mentionem fecerunt, ſubſcribere ſint coacti* Conclamarunt omnes: *Nemo coactus eſt*. Tunc *Actius*, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archidiaconus Legatorum Summi Pontificis oppoſitiones eludere conatus, ipſos convenit, eoſque rogavit, ut Synodo exponerent, an id accepiſſent in mandatis, quod obtinere tam acriter pertendebant. Legit *Bonifacius* alter Summi Pontificis Legatus, hæc verba ex Diplomate Legationis: *Sanctorum quoque Patrum Conſtitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari vel imminui, ſervantes omnibus modis perſonæ noſtræ in Vobis, quos vice noſtra tranſmiſimus, dignitatem; ac ſi qu*

for

ortè civitatum ſuarum ſplendore confiſi, aliquid ſibi tentaverint uſurpare, hoc, qua dignum eſt conſtantia, retundatis. His lectis, juſſerunt Patres Græci, ut Canones ab utraque parte proferrentur, quod cùm factum fuiſſet, hunc Canonem de Sede Conſtantinopolitana iterùm recenſitum ſuâ authoritate firmaverunt, Patribus Græcis acclamantibus: *Hæc juſta ſententia. Hæc omnes dicimus, &c.* Sed reclamavit *Lucentius*, Sedis Apoſtolicæ Legatus, & poſteà eumdem de Sede Conſtantinopolitana Canonem improbarunt Summi Pontifices *Leo Magnus*, *Gregorius Magnus & Leo IX.* Progreſſu tamen temporis ſic invaluit Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum authoritas ac juriſdictio, ut tandèm Summus Pontifex *Innocentius III.* in Concilio IV. Generali Lateranenſi, quod anno milleſimo ducenteſimo decimo quinto habitum eſt, indulſerit Epiſcopo Conſtantinopolitano primum, poſt Romanum Pontificem, locum, quo Orientis Patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum ordine præcederet. Hanc Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum juriſdictionem haud parùm, poſt Imperatorem *Conſtantinum*, & Concilia Conſtantinopolitanum I. ac Concilium Chalcedonenſe, auxit ſeptimo Sæculo *Heraclius* Imperator. Refert ſiquidem *Juſtellus* Tomo 2. Veteris Juris Canonici pag. 1361. Novellam Imperatoris *Heraclii*, cujus hæc ſubſcriptio: *Dat. xii. Kalend. Aprilis Imperii Heraclii piiſſimi anno xix. & Heraclii Novi Conſtantini anno xvii.* ſeu anno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo nono. Inſcripta eſt hæc Novella *Sergio*, Epiſcopo Conſtantinopolitano, quâ *Heraclius* Imperator ſancit, ut qui recenſentur inter Clericos Urbis Auguſtæ, ſeu Conſtantinopolis, quique ſolitariam in ea vitam amplexi ſunt, ac qui peregrè veniunt in eam Præſides, Clerici, nec non Monachi Civitatum,

quarum Diœceſes Sedi Conſtantinopolitanæ ſubjacent; cùm civilitèr conveniuntur, apud *Sergium*, Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & ad hos ab illo deputatos Judices cauſas dicant, & ſi appellatio ſequatur, ad eum recurrant, prohibetque iis, quos ſibi putant obnoxios, ad civile vel militare tribunal ipſos trahere. Si verò quidam alterius Diœceſis Sanctiſſimi Præſides, Clerici, aut vitæ ſolitariæ ſectatores ad Urbem Auguſtam, ſeu Conſtantinopolim, profecti, à quovis civiliter conveniantur, decernit Imperator *Heraclius*, ut hi quoque, *ſiquidem ita velint*, apud ſolum Epiſcopum Conſtantinopolitanum conſimili modo reſpondeant, nec ampliùs apud Præfectos Orientalibus Prætoriis inviti cauſas agant. His honoribus, privilegiis & ampliſſimâ juriſdictione aucti Epiſcopi Conſtantinopolitani inſuperbire cœperunt, ſeque ſupra cæteros Orientis Patriarchas, ne excepto quidem in Occidente Romano Pontifice, intolerabili ambitione extollere præſumpſerunt. Quò tandèm factum eſt, ut Conſtantinopolitana Sedes, ob Græcorum ambitionem & in Catholica Fide inconſtantiam, ſæpè ſæpiùs ab Epiſcopis Arianis, Macedonianis, Neſtorianis, Eutychianis, Monothelitis, & Iconoclaſtis occupata, ac poſtremò diro Schiſmate fuerit ab Eccleſia Latina, ſeu à Romanæ Eccleſiæ communione ſeparata. Huic funeſto Schiſmati initium nono Eccleſiæ Sæculo dedit *Photius*, qui, anno octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, è Sede Conſtantinopolitana pulſo S. *Ignatio* legitimo Epiſcopo hanc Sedem Patriarchalem invaſit, & quandiù vixit Eccleſiæ Latinæ hoſtis infenſiſſimus fuit. At, mortuo *Photio*, Patriarcha Conſtantinopolitano, anno octingenteſimo nonageſimo primo, ſopitum eſt Schiſma, & coaluit pax & utriuſque Eccleſiæ, Græcæ & Latinæ, concordia uſque ad *Michaelem Cerularium*

P

'atriarcham Constantinopolitanum, qui undecimo :cclesiæ Sæculo Schisma Photianum innovavit, ac lenuò Ecclesiam Græcam à Latinæ communione diulsit. Testantur enim *Manuel Calecas*, Scriptor Græus Ordinis FF. Prædicatorum, libro quarto adverus Græcos, & Author Anonymus libelli MS. *de 'ranslationibus Episcoporum* apud *Leonem Allatium* lb. 2. *De perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis & rientalis*, testantur, inquam, duo isti Scriptores, :ptemdecim Sedis Constantinopolitanæ Episcopos, :u Patriarchas, qui *Photio*, Schismatis Authori, in 1 Sede successerunt usque ad *Michaelem Cerularium*, atriarcham Constantinopolitanum, qui, ut mox diimus, Schisma Photianum Sæculo Ecclesiæ undeciio redintegravit, pacem & communionem cum Eclesia Latina habuisse; quod quidem argumento est, iortuo *Photio* Schisma, quod conflaverat, fuisse ɔpitum, nec illud, nisi undecimo Sæculo, fuisse ıstauratum à *Michaele Cerulario*, qui Romani Ponficis nomen è Sacris Diptychis expunxit, & Ecclesam Græcam à Latina penitùs separavit. Advertere ımen debes, quosdam Patriarchas Constantinopoli.nos, qui *Photio* in ea Sede antè *Michaelem Cerula'um*, hoc est, ante undecimum Sæculum, successerunt, ro virili tentasse Schisma *Photii* restaurare, sed ad ihilum recidisse evanidos illorum conatus. *Sisinnius* uippè hujus nominis II. qui anno nongentesimo no1gesimo sexto inauguratus est Patriarcha Constantiɔpolitanus, acerrimo quidem odio Ecclesiam Latiım prosecutus est, misitque suo nomine Epistolam ncyclicam *Photii* ad Patriarchas Orientis adversùs atinorum de Spiritus Sancti à Patre Filioque pro:ssione doctrinam, sed tamen oleum & operam per.dit, nec illud Schisma, cujus instaurationem in Ecesia Græca meditabatur, suscitare potuit, nec

 utriusq-

utriusque Ecclesiæ, Græcæ & Latinæ, abrumpere concordiam, quæ sarta tecta permansit. Similitèr, *Sergius*, qui *Sisinnii II.* in Sede Constantinopolitana anno nongentesimo nonagesimo nono successit, cùm esset ejusdem generis ac *Photius*, nihil intentatum reliquit, ut Ecclesiam Latinam infamaret, easdem in eam à *Photio* jactatas calumnias refricando, & coactâ Synodo confirmando; non potuit attamen negotium separationis Ecclesiæ Græcæ à Latina, sicut vehementer optabat, ad exitum perducere, nec unquàm nomen Romani Pontificis è Sacris Diptychis erasit; idque certissimè constat ex testimonio *Petri*, Patriarchæ Antiocheni, qui circà annum millesimum quinquagesimum quartum scribens ad *Michaelem Cerularium* testatur, se ante annos quadraginta quinque Constantinopolim appulisse, sedente *Sergio*, Patriarcha Constantinopolitano, ibique audivisse, inter Sacra Missarum solemnia *Joannem*, Romanum Pontificem, unà cum aliis Patriarchis in Sacris Diptychis commemorari, seque planè ignorare, quomodò postèa ejus commemoratio, & quam ob causam erasa sit. Hanc *Petri*, Patriarchæ Græci Antiocheni, ad *Michaelem Cerularium*, Patriarcham Constantinopolitanum, Epistolam refert *Leo Allatius* cap. 1. lib. 2. *De perpetua utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis consensione*. Præterquàm quòd, tantùm abest, ut *Sergius*, Patriarcha Constantinopolitanus, Photianum Schisma restaurarit, ut potiùs sub *Eustathio*, qui post *Sergium*, ad Patriarchatum Constantinopolitanum ab Imperatore *Basilio Bulgaricida* provectus est, pax & concordia inter utramque Ecclesiam Græcam & Latinam adhuc vigeret. Refert enim *Leo Allatius* ex *Glabro Rodulpho*, Monacho Cluniacensi, qui hac ipsâ ætate florebat, *Eustathium*, Patriarcham Constantinopolitanum, & *Sergii* successorem, aliosque

Græ

Græcos Romam missos esse, & à Summo Pontifice *Joanne XIX.* postulasse, ut liceret Constantinopolitanam Ecclesiam in suo Orbe, velut Ecclesiam Romanam in toto, quà latè patet, Orbe, appellari *Universalem*, idq; ne id Græcis concederet, deterritum & prohibitum fuisse *Joannem XIX.* Pontificem Maximum gravissimis Litteris *Willelmi*, Abbatis Monasterii S. *Benigni* Divionensis. Ex quibus momentis manifestò, ni mea me fallat mens, patet, Schisma Photii, post ejus mortem fuisse sopitum, & à septemdecim Episcopis, qui in Sede Constantinopolitana ei successerunt, non fuisse innovatum, usque ad *Michaelem Cerularium*, ejusdem Sedis Constantinopolitanæ Patriarcham, quem undecimo Sæculo Photiani Schismatis instauratorem ac propagatorem fuisse in confesso est apud omnes. Porrò, in hoc Schismate *Michaelis Cerularii*, Græci permanserunt à Sæculo undecimo usque ad Sæculum decimum tertium, idest, usque ad annum MCCLXI. quo Græcorum Imperator *Michael Palæologus*, postquàm Urbem Regiam Constantinopolim, quam Latini, expulsis Græcis, ab anno millesimo ducentesimo quarto occupabant, recepisset, Orientaleque Imperium à Latinis ad Græcos reduxisset, irruentem sibi cum exercitu *Carolum*, Siciliæ Regem, extimescens, Romanum Pontificem sibi conciliandum duxit, adeòque utriusque Ecclesiæ, Græcæ & Latinæ, unionem promovendam decrevit. Quamobrem, cùm *Gregorius X.* anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto Generale Concilium Lugdunense II. convocasset, Oratores suos illùc destinavit, quorum præcipui erant *Germanus*, quondàm Patriarcha Constantinopolitanus, *Theophanes*, Metropolita Nicænus, *Joannes*, Imperatoris frater, & *Georgius Acropolita*. In hoc secundo Concilio Lugdunensi inita est concordia Ecclesiæ Græcæ cum La-

tina, cui *Josephus* hujus nominis *primus*, tum temporis Patriarcha Constantinopolitanus, cùm denegasset præbere consensum, in ordinem à *Michaele Palæologo*, Imperatore, actutùm redactus est, & in ejus locum *Joannes Beccus*, seu *Veccus*, eximiæ Vir integritatis & eruditionis subrogatus, qui coactâ frequenti Græcorum Episcoporum Synodo, quę in Conc. Lugdunensi Generali II. gesta ac definita fuerant, confirmavit, & complures Græcorum, qui hanc reconciliationem admittere obstinatiùs detrectabant, carceribus, plagis & exiliis, ac tandem in altera Synodo communionis privatione multati sunt. Horumce omnium notitiam necessariò præmittendam esse duxi, antequàm exhiberem Tabulam Chronologicam Episcoporum, seu Patriarcharum, qui à tempore *Constantini Magni*, Imperatoris, Ecclesiam Constantinopolitanam rexerunt usq; ad an. millesimum quadringentesimũ quinquagesimũ tertium, quo, à Turcis extincto Græcorum Imperio, captâq; Urbe Constantinopoli, Græci in Schisma relapsi, & ab Ecclesiæ Romanæ communione divulsi, Episcopos, seu Patriarchas Constantinopolitanos Schismaticos ad hæc usque nostra tempora habuerunt, de quibus (cùm illorum series ac nomina mihi planè ignota ac incomperta sint) nihil omninò dicam, sicut nec de illis, qui in eadem Urbe Constantinopoli, quandiù ante *Constantinum Magnum*, Imperatorem, dicta est *Byzantium*, Episcopalem dignitatem obtinuerunt, tum quia illi Episcopi Urbis Constantinopolis, quandiù, antè *Constantinum* Imperatorem, dicta est *Byzantium*, jurisdictionem valdè limitatam habebant, nec Patriarchali erant dignitate exornati, sed erant dumtaxat, ut superiùs observavimus, Episcopi Suffraganei, subjecti jurisdictioni Metropolitani Heracleæ in Thracia; tum quia etiam illi Episcopi Urbis Constantinopolis, quandiù, ante

Con-

Constantinum Imperatorem, dicta est *Byzantium*, minùs noti sunt, eorumque successio multùm obscura.

1 *Metrophanes* ad Thronum Constantinopolitanum evectus est anno trecentesimo decimo septimo. Sedit annis decem, & obiit anno trecentesimo vigesimo septimo.

2 *Alexander* in locum demortui *Metrophanis* substitutus est anno trecentesimo vigesimo septimo. Sedit annis tredecim, & è vivis excessit anno trecentesimo quadragesimo.

3 *Paulus*, egregius Fidei Catholicæ contra Hæreticos Arianos defensor, ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus an. trecentesimo quadragesimo, sed statim à *Constantio*, Imperatore Ariano, Episcopali Sede dejectus est.

4 *Eusebius*, Episcopus Nicomediensis Arianus, eodem anno trecentesimo quadragesimo, quo *Paulus*, Episcopus Constantinopolitanus, depositus est, Sedem Constantinopolitanam invasit, eamque tenuit usque ad annum trecentesimum quadragesimum secundum, quo mortuuus est.

5 *Macedonius* ab Arianis in locum *Eusebii* subrogatus est, seditque usque ad annum trecentesimum sexagesimum, quo exauctoratus est. Hic ille est Hæresiarcha *Macedonius*, qui negavit divinitatem Spiritus Sancti, & cujus error proscriptus est in Concilio Œcumenico Constantinopolitano primo, quod anno CCCLXXXI. còactum est.

6 *Eudoxius*, Arianus, exauctorato *Macedonio* suffectus est anno trecentesimo sexagesimo, seditque annos decem, & obiit anno trecentesimo septuagesimo.

7 *Evagrius* anno trecentesimo septuagesimo electus

ctus est à Catholicis Episcopus Constantinopolitanus. Ariani tamen sibi eodem anno Episcopum Constantinopolitanum præfecerunt *Demophilum* Arianum. Sedit *Evagrius*, Episcopus Catholicus Constantinopolitanus, annis octo, & mortuus est anno trecentesimo septuagesimo octavo.

8 S. *Gregorius Naz.* an. trecentesimo septuagesimo octavo Constantinopolim se contulit, ubi per triennium Episcopale munus obivit, & anno trecentesimo octuagesimo primo Sedi Constantinopolitanæ nuncium remisit.

9 *Nectarius* anno trecentesimo octuagesimo primo consecratus est Episcopus Constantinopolitanus, seditque usque ad annum trecentesimum nonagesimum octavum, quo è vita ereptus est.

10 S. *Joannes Chrysostomus* anno trecentesimo nonagesimo octavo in locum *Nectarii* ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus, & hanc Ecclesiam rexit usque ad annum quadringentesimum quartum, quo anno in exilium ab Imperatore *Theodosio Juniore* missus est, ubi ad Deum migravit die XIV. mensis Septembris anni quadringentesimi septimi.

11 *Arsacius*, deposito S. *Joanne Chrysostomo* & in exilium ablegato anno quadringentesimo quarto, consecratus est Episcopus Constantinopolitanus die XXV. mensis Junii ejusdem anni quadringentesimi quarti. Sedit uno anno, mensibus quatuor, & diebus septemdecim, & migravit è vita die XI. mensis Novembris anni quadringentesimi quinti.

12 *Atticus* in Sede Constantinopolitana successit *Arsacio*, sedit annos viginti, & mortuus est anno

no quadringentesimo vigesimo quinto:

13 *Sisinnius*, post mortem *Attici* ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus, sedit duobus annis, & mortalitatem exuit anno quadringentesimo vigesimo septimo.

14 *Nestorius*, post obitum *Sisinnii*, ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus, sed cùm Hæresim suam de duabus in Christo personis disseminaret, ac graves in Ecclesia turbas excitaret, Sede suâ fuit depositus in Concilio Generali Ephesino, quod anno CCCCXXXI. convocatum est.

15 *Maximianus*, abdicato *Nestorio*, nefando Hæresiarchâ, Episcopus Constantinopolitanus consecratus est die XXV. mensis Octobris anni quadringentesimi trigesimi primi. Sedit an. tres, & obiit die XII. mensis Aprilis anni quadringentesimi trigesimi quarti, quâ die colitur à Græcis.

16 *Proclus* in Sede Constantinopolitana *Maximiano* successit, sedit an. tredecim & aliquot menses, & ad Dominum migravit die XXVII. mensis Octobris an. quadringentesimi quadragesimi septimi, quâ die colitur à Græcis.

17 *Flavianus* in locum demortui *Procli* subrogatus est. Fuit acerrimus Eutychianæ Hæresis insectator. Sedit annum unum & menses decem, atque à *Dioscoro*, Episcopo Alexandrino, Hæretico Eutychiano, ac Pseudo Concilii, dicti *Latrocini Ephesini*, Præside, Sede Constantinopolitanâ dejectus est anno CCCCXLIX. & eodem anno in tutanda contra Hæreticos Eutychianos Catholicâ Fide Martyr occubuit.

18 *Anatolius* trucidato ab Hæreticis Eutychianis *Flaviano* substitutus est in Sedem Constantinopolitanam, & ab Episcopis ejusdem Sectæ Euty-

tychianæ Ordinatus. Nihilosecius ab Eutychiana Hæresi semper abhorruit, Fidemque Catholicam constanter professus, Constantinopolitanam rexit Ecclesiam ab anno quadringentesimo quadragesimo nono usq; ad annum quadringentesimum quinquagesimum octavum, quo mortuus est.

19 *Gennadius* successit *Anatolio* anno quadringentesimo quinquagesimo octavo, & præfuit Ecclesiæ Constantinopolitanæ tredecim annis, migravitque ex hac vita anno quadringentesimo septuagesimo primo.

20 *Acacius* in Sede Constantinopolitana *Gennadium* excepit. Multas in Ecclesia Orientali tragædias excitavit. Hæreticis Eutychianis *Petro Mongo*, Episcopo Alexandrino, & *Petro Fulloni*, Episcopo Antiocheno, adhæsit, authorque fuit *Zenoni* Imperatori, ut conderet ac promulgaret in gratiam Eutychianorum Edictum suum, dictum *Henoticon*, quod diù Catholicam afflixit Ecclesiam. Sedit *Acacius*, Patriarcha Constantinopolitanus, ab anno quadringentesimo septuagesimo primo usque ad annum quadringentesimum octuagesimum octavum, quo mortuus est, damnatus & à Summis Pontificibus anathemate perculsus.

21 *Flavianus*, sive, ut alii dicunt, *Flavita*, vel *Phravita*, aut *Phraita*, post mortem *Acacii* ad Sedem Constantinopolitanam sublimatus est, eamque tenuit dumtaxat per tres menses & aliquot dies, obiitque anno quadringentesimo octuagesimo nono.

22 *Euphemius* eodem anno quadringentesimo octuagesimo nono Ecclesiam Constantinopolitanam regere cæpit, sed anno quadringentesimo no-

nonagesimo sexto ab Imperatore *Anastasio*, qui Hæreticis Eutychianis impensissimè favebat, Sede Constantinopolitanâ dejectus est, & in exilium ablegatus. Hunc Patriarcham Constantinopolitanum nonnulli inter Schismaticos & Hæreticos recensent, sed perperàm; cùm ejus Orthodoxiam doctissimi Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores multis invictis momentis asserant ac vindicent.

23 *Macedonius* hujus nominis II. misso in exilium *Euphemio*, Sede Constantinopolitana potitus est anno quadringentesimo nonagesimo sexto, & Ecclesiam Constantinopolitanam rexit an. quindecim, idest usque ad annum quingentesimum undecimum, quo anno ab Imperatore *Anastasio*, intùs & in cute Hæretico Eutychiano, Sede Constantinopolitanâ expulsus in exilium missus est, ubi multis calamitatibus pro Fidei Catholicæ defensione ab Eutychianis Hæreticis oppressus, animam Deo reddidit. Græci Sacrum cultum ei exhibent, ex quo facilè colligitur, eos à vero abludere, qui *Macedonium* hujus nominis II. Patriarcham Constantinopolitanum, Schismaticorum, aut Hæreticorum Eutychianorum numero accensent.

24 *Timotheus*, Hæreticus Eutychianus, dejecto & in exilium misso *Macedonio*, Sedem Constantinopolitanam occupavit per sex annos, idest, à fine anni quingentesimi undecimi, quo depositus & in exilium pulsus est *Macedonius*, usque ad annum quingentesimum decimum septimum.

25 *Joannes* hujus nominis II. Cappadox, post mortem *Timothei*, Hæretici Eutychiani, Ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus. Ab Eutychiana Hæresi alienum se præbuit, sed inter

ter Episcopos Constantinopolitanos primus fuit, qui Patriarchæ Œcumenici, seu *Universalis* nomen usurpaverit. Sedem Constantinopolitanam tenuit *Joannes* annum unum, menses decem, & aliquot dies, obiitque die xxv. mensis Februarii anni quingentesimi vigesimi.

26 *Epiphanius* in Sede Constantinopolitana successit *Joanni*, seditque annos quindecim, & menses tres, ac mortuus est die v. mensis Junii anni quingentesimi trigesimi quinti.

27 *Anthimus*, Episcopus Trapezuntinus, Hæreticus Eutychianus, defuncto *Epiphanio*, ad Sedem Constantinopolitanam, agente *Theodora* Augusta, Eutychianorum partibus vehementèr addictâ, translatus est. Sed *Anthimum*, postquàm hanc Sedem mensibus decem incompletis occupasset, *Agapetus*, Summus Pontifex, qui tum temporis Constantinopoli degebat, tanquam Hæreticum, & injustum illius Sedis invasorem exauctoravit.

28 *Mennas*, abdicato *Anthimo*, ordinatus est ab eodem Summo Pontifice *Agapeto* Patriarcha Constantinopolitanus die XIII. mensis Martii anni quingentesimi trigesimi sexti, sedit annos sexdecim, menses sex, & mortuus est ineunte mense Augusto anni quingentesimi quinquagesimi secundi. Colitur *Mennas* tam in Martyrologio Romano, quàm in Menologio Græcorum, die xxv. mensis Augusti.

29 *Eutychius*, mortuo *Menna*, electus est Episcopus Constantinopolitanus anno quingentesimo quinquagesimo secundo. Rexit Ecclesiam Constantinopolitanam per ann. duodecim & menses circiter quinque, hoc est, usque ad annum quingentesimum sexagesimum quintum, quo anno ab

ab Imperatore *Justiniano* à Sede Constantinopolitana amotus, & in exilium pulsus est.

30 *Joannes* hujus nominis III. dictus *Scholasticus*, amoto à Sede Constantinopolitana *Eutychio*, ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus die XII. mensis Aprilis anni quingentesimi sexagesimi quinti. Præfuit Ecclesiæ Constantinopolitanæ annis duodecim, & menses quinque, obiitq; anno quingentesimo septuagesimo septimo. Eodem anno *Eutychius*, qui ab Imperatore *Justiniano* anno quingentesimo sexagesimo quinto è Sede Constantinopolitana amotus fuerat, & in exilium missus, post annos duodecim exilii ab Imperatore *Tiberio* revocatus est, & in Sedem Constantinopolitanam die tertiâ mensis Octobris anni quingentesimi septuagesim septimi restitutus, quam tenuit usque ad annum quingentesimum octuagesimum tertium, quo vitâ functus est die septimâ mensis Aprilis.

31 *Joannes* hujus nominis IV. dictus *Jejunator*, consecratus est Episcopus Constantinopolitanus die duodecima mensis Aprilis an. quingentesimi octuagesimi tertii. Fuit justè reprehensus à S. *Gregorio Magno*, Pontifice Maximo, quòd *Œcumenici*, seu *Universalis* Patriarchæ titulum usurparet. Sedit annos undecim, menses quinque, & obiit anno quingentesimo nonagesimo quinto.

32 *Cyriacus* in Sede Constantinopolitana sucessit *Joanni Jejunatori* anno quingentesimo nonagesimo quinto, rexitque Ecclesiam Constantinopolitanam annis undecim, & mortuus est an. sexcentesimo sexto.

33 *Thomas* hujus nominis *primus* in locum demortui *Cyriaci* subrogatus est anno sexcentesimo sexto.

ſexto. Præfuit Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ annis duobus, & exceſſit è vivis anno ſexcenteſimo octavo.

34 *Sergius*, Hæreticus Monothelita, thronum Apoſtolicum conſcendit an. ſexcenteſimo octavo. Graves in Eccleſia excitavit tragædias occaſione illius, quam proprio marte condidit, ſed nomine *Heraclii*, Imperatoris Monothelitæ, vulgandam curavit, Fidei Formulæ, quæ *Ecthesis* dicitur, quæque Monothelitarum de una tantùm in Chriſto voluntate virulentum Dogma complectitur. Per triginta annos peſſimè adminiſtravit Eccleſiam Conſtantinopolitanam, & pervicax in Hæreſi mortuus eſt anno ſexcenteſimo trigeſimo octavo.

35 *Pyrrhus*, Hæreticus paritèr Monothelita, poſt Interpontificium unius circitèr anni à morte *Sergii*, in Sedem Conſtantinopolitanam intruſus eſt, ſed anno ſexcenteſimo quadrageſimo primo è Sede dejectus eſt.

36 *Paulus* hujus nominis II. Hæreticus etiam Monothelita, abdicato *Pyrrho*, Sedem Conſtantinopolitanam invaſit ac tenuit per annos tredecim & menſes aliquot, vitâque functus eſt anno ſexcenteſimo quinquageſimo quinto. Eodem anno Imperator *Conſtans*, Hæreticus Monothelita, *Pyrrhum* in Sedem Conſtantinopolitanam reſtituit, quem tamen mors eodem anno ſexcenteſimo quinquageſimo quinto è vivis rapuit.

37 *Petrus*, Hæreticus itidem Monothelita, anno ſexcenteſimo quinquageſimo quinto Sedem Conſtantinopolitanam occupavit, eamque tenuit undecim annis, hoc eſt, uſque ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum ſextum, quo mortuus eſt.

38 *Thomas* hujus nominis II. Catholicus, Patriar-
cha-

chatum Constantinopolitanum obtinuit an. sexcentesimo sexagesimo sexto, seditque annis duobus, & obiit anno sexcentesimo sexagesimo octavo.

39 *Joannes* hujus nominis V. Catholicus, successit in Sede Constantinopolitana *Thomæ* anno sexcentesimo sexagesimo octavo, seditque annos quinque, menses novem, & obiit anno sexcentesimo septuagesimo quarto.

40 *Constantinus*, Catholicus, Sedem Constantinonpolitanam iniit anno sexcentesimo septuagesimo quarto, eamque tenuit uno dumtaxat anno, mensibus octo, diebus septem, & in vivis esse desiit anno sexcentesimo septuagesimo sexto.

41 *Theodorus*, pessimus Hæreticus Monothelita, in Sedem Constantinopolitanam anno sexcentesimo septuagesimo sexto intrusus est, sed post duos annos, hoc est, anno sexcentesimo septuagesimo octavo, ab Imperatore *Constantino Pogonato* è Sede Constantinopolitana dejectus est.

42 *Georgius* in locum depositi *Theodori* subrogatus est, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit annis quinque, idest, ad annum usque sexcentesimum octuagesimum tertium, quo mortuus est, eodemque anno *Theodorus*, Patriarcha Hæreticus Monothelita, qui antehàc depositus fuerat, in Sedem Constantinopolitanam restitutus est, seditque post suam restitutionem annos tres, & pervenit usque ad annum sexcentesimum octuagesimum sextum, quo è vita discessit.

43 *Paulus* hujus nominis II. Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfectus est an. sexcentesimo octuagesimo sexto, eam rexit septem annis, & obiit anno sexcentesimo nonagesimo tertio.

44 *Callinicus* Clavum Ecclesiæ Constantinopoli-

tanæ regere cæpit anno ſexcenteſimo nonageſimo tertio. Sedit annis duodecim, hoc eſt, ab anno ſexcenteſimo nonageſimo tertio uſque ad annum ſeptingenteſimum quintum, quo anno *Callinicus*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, à *Juſtiniano* in Imperium reſtituto, oculis privatus eſt, Romamque in exilium miſſus, eò quòd adhæſiſſet *Leontio*, qui *Juſtinianum* Imperatorem è Solio dejecerat.

45 *Cyrus*, Sedem Conſtantinopolitanam, amoto *Callinico*, obtinuit anno ſeptingenteſimo quinto, ſeditque annis ſex, ideſt, ab anno ſeptingenteſimo quinto uſque ad annum ſeptingenteſimum undecimum, quo anno ab Imperatore *Philippico* è Patriarchatu Conſtantinopolitano dejectus, ad ſuum Monaſterium redire compulſus eſt.

46 *Joannes* hujus nominis VI. quem alii Hæreticum Monothelitam aſſerunt, alii à Monothelitarum Hæreſi vindicant, depulſo *Cyro*, ad thronum Conſtantinopolitanum evectus eſt, seditq annis tribus, & mortuus eſt anno ſeptingenteſimo decimo quinto.

47 S. *Germanus*, Cyzici anteà Epiſcopus, ad Sedem Conſtantinopolitanam translatus eſt ann ſeptingenteſimo decimo quinto. Hæreticorur Monothelitarum, & Iconoclaſtarum fuit acerri mus inſectator, eâque de causâ, à *Leone Iſauri* Imperatore Hæretico Iconoclaſta, è Sede Cor ſtantinopolitanâ ejectus & in exilium amanda tus eſt anno ſeptingenteſimo trigeſimo, poſ quàm Eccleſiam Conſtantinopolitanam rexiſſ annis quatuordecim, menſibus quinque, diebı ſeptem.

48 *Anaſtaſius*, Hæreticus Iconoclaſta, anno ine unte ſeptingenteſimo trigeſimo à *Leone Iſauri* Ir

Imperatore Hæretico Iconoclastâ, in Sedem Constantinopolitanam fuit intrusus, seditque annos viginti quatuor, hoc est, ab ineunte anno septingentesimo trigesimo usque ad annum septingentesimum quinquagesimum tertium.

49 *Constantinus* hujus nominis II. successit *Anastasio* anno septingentesimo quinquagesimo tertio, & sedit annis tredecim, hoc est, usque ad annum septingentesimum sexagesimum sextum, quo diem supremum obiit.

50 *Nicætas* in Sede Constantinopolitana Patriarcham *Constantinum* excepit, seditque annis quatuordecim, seu ab anno septingentesimo sexagesimo sexto usque ad annum septingentesimum octuagesimum.

51 *Paulus* hujus nominis III. natione Cyprius, egregius Fidei Catholicæ Confessor, Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfectus est anno septingentesimo octuagesimo, eamque rexit quatuor annis, idest, ad annum usque septingentesimum octuagesimum quartum.

52 *Tharasius*, Vir Sanctissimus, & cultus Sacrarum Imaginum contra Hæreticos Iconoclastas invictus propugnator, ad thronum Constantinopolitanum sublimatus est anno septingentesimo octuagesimo quarto, seditque annos viginti duos, ac subindè Ecclesiam Constantinopolitanam rexit ab anno septingentesimo octuagesimo quarto usque ad annum octingentesimum sextum.

53 *Nicephorus* Patriarcha Constantinopolitanus inauguratus est die XII. mensis Aprilis an. octingentesimi sexti. Novem annos Constantinopolitanam rexit Ecclesim, cùmque cultus Sacrarum Imagium esset egregius Assertor ac Vindex, à *Leone Armeno* Imperatore, qui in omnes Sa-

crarum Imaginum cultores immanitèr ſæviebat, miſſus eſt in exilium anno octingenteſimo decimo quinto, ubi cúm annos quatuordecim tranſegiſſet, migravit ad Dominum anno octingenteſimo vigeſimo octavo.

54 *Theodorus* hujus nominis II. dictus *Caſſitera*, Iconomachorum Hæreſi infectus, deportato in exilium *Nicephoro* anno octingenteſimo decimo quinto, intruſus eſt in Sedem Conſtantinopolitanam à *Leone Armeno* Imperatore, qui eamdem Hæreſim impenſiſſimè fovebat. Peſſimè per ſex annos Patriarchatum Conſtantinopolitanum geſſit *Theodorus Caſſitera*, obiitque anno octingenteſimo vigeſimo primo.

55 *Antonius*, cognominatus *Caſſimatas*, Hæreticus Iconoclaſta, in locum demortui *Theodori Caſſiteræ* ab Hæreticis Iconoclaſtis ſubrogatus eſt anno octingenteſimo vigeſimo primo, & in Sedem Conſtantinopolitanam intruſus, quam per duodecim annos occupavit, atque è vivis ſublatus eſt anno octingenteſimo trigeſimo ſecundo.

56 *Joannes* hujus nominis VII. Hæreticus Iconoclaſta nequiſſimus, mortuo *Antonio Caſſimata*, Sedem Conſtantinopolitanam invaſit, quam pe[r] integros novem annos cùm tenuiſſet, à *Michael[e]* Imperatore, ejuſque Matre *Theodora*, religio[ſi]ſſima fœminâ, è Sede Conſtantinopolitana de[]jectus ac in exilium relegatus eſt anno octingen[]teſimo quadrageſimo ſecundo.

57 S. *Methodius*, invictus Catholicæ Fidei, [&] Sacrarum Imaginum cultus defenſor, abdicat[o] & in exilium pulſo Pſeudo Patriarcha *Joanne* conſecratus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitan[us] anno octingenteſimo quadrageſimo ſecund[o]. Eccleſiam Conſtantinopolitanam per quadrie[n]niu[m]

nium ſanctiſſimè rexit, & ad Deum, ſempiternâ potiturus pace, migravit an. octingenteſimo quadrageſimo ſexto.

58 S. *Ignatius* in Sede Conſtantinopolitana, defuncto Sancto *Methodio* ſuffectus eſt anno octingenteſimo quadrageſimo ſexto. Sedit annis undecim, hoc eſt, uſque ad annum octingenteſimum quinquageſimum ſeptimum, quo anno Sanctiſſimus ille Patriarcha ab Imperatore *Michaele* Sede Patriarchali dejectus, in Inſulam *Terebintham* miſſus eſt in exilium.

59 *Photius*, pulſo S. *Ignatio*, Sedem Conſtantinopolitanam invaſit. Eccleſiæ Latinæ, quæ S. *Ignatii*, legitimi Patriarchæ Conſtantinopolitani, defensionem ſuſcepit, hoſtis fuit acerrimus, & Schiſma conflavit, quo Græcam Eccleſiam à Latina ſeparavit. Sedem Conſtantinopolitanam occupavit per decem annos, hoc eſt, ab anno octingentesimo quinquagesimo ſeptimo uſque ad annum octingentesimum ſexagesimum ſeptimum, quo anno *Baſilius* Imperator *Photium*, Sedis Conſtantinopolitanæ violentum invaſorem, è Patriarchali throno deturbavit, & Sedi Conſtantinopolitanæ reſtituit S. *Ignatium*, qui adhùc Conſtantinopolitanam Ecclesiam Sanctiſsimè rexit uſque ad annum octingentesimum, ſeptuagesimum ſeptimum, quo meritis plenus, ad cœleſtem patriam evolavit. Mortuo S. *Ignatiò*, Imperator *Baſilius*, annuente *Joanne VIII.* Romano Pontifice, in Patriarchatum Conſtantinopolitanum reſtituit *Photium*, qui eo Patriarchatu potitus eſt uſq; ad mortem *Baſilii* Imperatoris, quæ incidit in an. octingentesimum octuageſimum ſextum. Sed, mortuo *Baſilio* Imper. iterùm *Photius*, ab Imperatore *Leone*, qui *Sapiens* di-

dicebatur, Sede Constantinopolitanâ dejectus est & in exilium missus; in quo secundo exilio, *Photius*, variam, dùm viveret, fortunam expertus, diem ultimum clausit anno octingentesimo nonagesimo primo.

60 *Stephanus*, frater Imperatoris *Leonis*, qui cognominabatur *Sapiens*, amoto & in exilium, abducto *Photio* anno octingentesimo octuagesimo sexto, Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfectus est, eamque magnâ cum laude & Sanctitatis famâ, rexit per sex annos, menses quinque, & ad Deum migravit anno octingentesimo nonagesimo tertio.

61 *Antonius* hujus nominis II. cognomento *Caulea*, Vir Sanctitate insignis, successit *Stephano* in Sede Constantinopolitanâ anno octingentesimo nonagesimo tertio. Sedit annis duobus, & ad immortalem vitam transiit anno octingentesimo nonagesimo quinto.

62 *Nicolaus*, dictus *Mysticus*, consecratus est Patriarcha Constantinopolitanus anno octingentesimo nonagesimo quinto. Sedit annos undecim, ac subinde Ecclesiam Constantinopolitanam gubernavit ab anno octingentesimo nonagesimo quinto usque ad annum nongentesimum sextum, quo anno à *Leone* Imperatore, dicto *Sapiente*, in exilium ablegatus est.

63 *Euthymius*, dejecto atque in exilium misso *Nicolao Mystico*, ab Imperatore *Leone*, dicto *Sapiente*, ad Sedem Constantinopolitanam evectu est anno nongentesimo sexto, sed mortuo illo Imperatore anno nongentesimo undecimo, *Euthymius* è Sede Constantinopolitanâ dejectus est & in Patriarchatum Constantinopolitanum restitutus *Nicolaus Mysticus*, quem, post restitutione

ne

nem ſuam, per annos quatuordecim optimè geſſit, & abiit è vivis anno nongentesimo vigesimo quinto.

64 *Stephanus*, anteà Amaſeæ Metropolita, mortuo *Nicolao Myſtico*, Patriarchatu Conſtantinopolitano potitus eſt anno nongentesimo vigesimo quinto, eumque per duos annos & menſes undecim tenuit, atque migravit è vita anno nongentesimo vigesimo octavo.

65 *Trypho*, Monachus religiosis moribus, vitæque ſanctimoniâ probatus, ordinatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus anno nongentesimo vigesimo octavo, ſeditque annos tres, hoc eſt, uſque ad annum nongentesimum trigesimum primum, quo anno *Trypho* è Solio Patriarchali à *Romano Lacapeno* Imperatore exturbatus eſt.

66 *Theophylactus*, filius *Romani Lacapeni* Imperaroris, abdicato *Tryphone*, ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum promotus eſt anno nongentesimo trigesimo primo. Peſſimus fuit Patriarcha, mollitiei & luxuriæ penitùs deditus. Sedit annis viginti tribus, & diebus viginti quinque, obiitque anno nongentesimo quinquagesimo quinto.

67 *Polyeuctus*, Monachus doctrina & pietate conſpicuus, ſucceſſit in Sede Conſtantinopolitana *Theophylacto* anno nongentesimo quinquagesimo quinto, eamque tenuit uſque ad annum nongentesimum ſeptuagesimum, quo mortuus eſt, ejuſque nomen in Græcorum Menæis adſcriptum eſt ad diem quintam mensis Februarii.

68 *Baſilius*, omni virtutum genere exornatus, poſt obitum *Polyeucti*, thronum Conſtantinopolitanum conſcendit an. nongentesimo ſeptuagesimo, qui tamen anno LXXIV. invidiâ Epiſcopo-

rum apud *Joannem Tzemiscem* Imperatorem calumniam passus, ab eo Sede Constantinopolitanâ privatus, in exilium missus est.

69 *Antonius* hujus nominis III. *Studita*, Monachus præclaris virtutibus cumulatissimè instructus, post abdicationem *Basilii*, ad Patriarchatum Constantinopolitanum an. nongentesimo septuagesimo quarto sublimatus est, sed an. nongentesimo septuagesimo nono huic dignitati nuncium ultrò remisit, & Ecclesia Constantinopolitana, post illius abdicationem, mansit per annos quatuor & dimidium viduata Pastore.

70 *Nicolaus* hujus nominis II. dictus *Chrysoberges*, postquàm Ecclesia Constantinopolitana per annos quatuor & dimidium, ab *Antonii Suditæ* abdicatione, Pastore viduata mansisset, constitutus est Patriarcha Constantinopolitanus paulò post medium anni nongentesimi octogesimi tertii, & per annos duodecim ac menses octo Patriarchatum Constantinopolitanum tenuit, vitâque functus est anno nongentesimo nonagesimo sexto.

71 *Sisinnius* II. Ecclesiæ Latinæ valdè infensus, demortuo *Nicolao Chrysobergi* successit in Sede Constantinopolitana anno nongentesimo nonagesimo sexto. Præfuit Ecclesiæ Constantinopolitanæ annis tribus, & obiit anno nongentesimo nonagesimo nono.

72 *Sergius*, acerrimus itidèm Ecclesiæ Latinæ adversarius, post mortem *Sisinnii*, throno Constantinopolitano potitus est anno nongentesimo nonagesimo nono, & postquàm Ecclesiam Constantinopolitanam rexisset per viginti annos, abiit è vivis anno millesimo decimo nono.

73 *Eustathius*, post mortem *Sergii*, consecratus est

est Patriarcha Constantinopolitanus anno millesimo decimo nono, seditque usque ad annum millesimum vigesimũ quintum, quo mortuus est.
74 *Alexius*, Studiani Collegii Magister, in Solio Patriarchali Constantinopolitano ab Imperatore *Basilio* collocatus est anno millesimo vigesimo quinto, gubernavitque Ecclesiam Constantinopolitanam usque ad annum millesimum quadragesimum tertium, quo è rebus humanis ereptus est.
75 *Michael Cerularius* in locum demortui *Alexii* suffectus est anno millesimo quadragesimo tertio. Schisma, jam à *Photio* Patriarcha Constantinopolitano conflatum, innovavit ac firmavit, pacisque vinculum, Ecclesiam Græcam inter & Latinam penitùs abrupit. Ecclesiam Constantinopolitanam per annos sexdecim & menses circitèr tres administravit, hoc est, ab anno millesimo quadragesimo tertio usque ad annum millesimum quinquagesimum nonum, quo anno *Michael Cerularius* Patriarchatu Constantinopolitano ab *Alexio Comneno* Imperatore dejectus & in exilium fuit relegatus.
76 *Constantinus Lichudes*, post amotum *Michaelem Cerularium*, Patriarchatum Constantinopolitanum adeptus est anno millesimo quinquagesimo nono, illumque tenuit usque ad annum millesimum sexagesimũ quartum quo obiit, postquàm Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisset annis quatuor & mensibus sex.
77 *Joannes* hujus nominis VIII. dictus *Xiphilinus*, Vir omni doctrinę genere eruditus, post obitum *Constantini Lichudis*, consecratus est Patriarcha Constantinopolitanus anno millesimo sexagesimo quarto. Rexit Ecclesiam Constantinopolita-
ta-

tanam annis undecim, & mortuus eſt die ſecundâ menſis Auguſti anni milleſimi ſeptuageſimi quinti.

78 *Coſmas*, Monachus pietate inſignis, *Joannem Xiphilinum* in Patriarchatu Conſtantinopolitano excepit anno milleſimo ſeptuageſimo quinto, ſeditque annis quinque, & menſibus novem, hoc eſt, uſque ad annum milleſimum octogeſimum primum, quo Patriarchalem dignitatem ultrò abdicavit, & in Monaſterium receſſit.

79 *Euſtratius Garida* anno milleſimo octogeſimo primo, quo *Coſmas* Patriarchalem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ dignitatem abdicavit, invaſit Patriarchatum Conſtantinopolitanum, quem per tres annos occupavit, eoque dejectus eſt anno milleſimo octogeſimo quarto.

80 *Nicolaus* hujus nominis III. Monachus, cognomento *Grammaticus*, in locum dejecti è Sede Conſtantinopolitanâ *Euſtratii* ſubrogratus eſt anno milleſimo octogeſimo quarto. Eccleſiam Conſtantinopolitanam rexit per annos viginti ſeptem, & è vivis ſublatus eſt anno milleſimo centeſimo undecimo.

81 *Joannes* hujus nominis IX. dictus *Hieromnemon*, cognomento *Chalcedonius*, eò quòd anteà Eccleſiæ Chalcedonenſi præfuiſſet, ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum, poſt obitum *Nicolai III.* patrui ſui, ab *Alexio Comneno* Imperatore provectus eſt anno milleſimo centeſimo undecimo, rexitque Eccleſiam Conſtantinopolitanam per annos viginti tres, hoc eſt, uſque ad annum milleſimum centeſimum trigeſimum quartum.

82 *Leo Styopita* inauguratus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus anno milleſimo centeſimo trige-

gesimo quarto, & præfuit Ecclesiæ Constantinopolitanæ annis octo & mensibus octo, obiitque anno millesimo centesimo quadragesimo tertio.

83 *Michael* hujus nominis Secundus, cognomento *Oxita*, eò quòd alumnus esset Monasterii, quod in Insula *Oxia* situm erat, post obitum *Leonis Styopitæ* consecratus est Patriarcha Constantinopolitanus, sed, postquàm sedisset annos duos & menses octo, suæ solitudinis repetendæ desiderio flagrans, oneri & honori cessit, & ad suum Monasterium, quod erat in Insula *Oxia*, sese recepit anno millesimo centesimo quadragesimo sexto.

84 *Cosmas Atticus*, post liberam abdicationem *Michaelis Oxitæ*, ordinatus est Patriarcha Constantinopolitanus, & Patriarchatum cùm per menses decem tenuisset, Sede pulsus est anno millesimo centesimo quadragesimo septimo.

85 *Nicolaus* hujus nominis IV. Monachus, *Muzalo* dictus, vacante Sede Constantinopolitanâ per depositionem *Cosmæ Attici*, ad illam Sedem provectus est, quam tamen reliquit, & ad vitam rursùs privatam rediit anno millesimo centesimo quinquagesimo primo.

86 *Theodotus*, Monachus, post abdicationem *Nicolai Muzalonis*, Patriarcha Constantinopolitanus renunciatus est anno millesimo centesimo quinquagesimo primo, seditque usque ad annum millesimum centesimum quinquagesimum tertium, quo ex hac vita migravit.

87 *Neophytus Inclusus* successit *Theodoto*, & Ecclesiam Constantinopolitanam rexit uno anno, obiitque anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto.

88 *Con-*

88 *Constantinus Chliarenus* suffectus est in locum *Neophyti Inclusi* anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto, & uno tantùm anno præfuit Ecclesiæ Constantinopolitanæ, hoc est, usque ad annum millesimum centesimum quinquagesimum quintum.

89 *Lucas Chrysoberges* Ecclesiam Constantinopolitanam regere cæpit anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto, seditque duodecim annis, hoc est, usque ad annum millesimum centesimum sexagesimum septimum.

90 *Michael* hujus nominis III. Patriarchatum Constantinopolitanum suscepit anno millesimo centesimo sexagesimo septimo, sedit annis novem, & obiit anno millesimo centesimo septuagesimo sexto.

91 *Charito* in Sede Constantinopolitana *Michaeli* successit. Sedit uno dumtaxàt anno & duobus mensibus, diemque ultimum clausit anno millesimo centesimo septuagesimo septimo.

92 *Theodosius*, Monachus, ordinatus est Patriarcha Constantinopolitanus anno millesimo centesimo septuagesimo septimo, præfuitque Ecclesiæ Constantinopolitanæ usque ad annum millesimum centesimum octogesimum tertium, quo anno Patriarchatu Constantinopolitano sese abdicavit.

93 *Basilius Cameterus*, post abdicationem *Theodosii*, fuit ab *Andronico*, Græcorum Imperatore, ad thronum Constantinopolitanum provectus anno millesimo centesimo octogesimo tertio. Sedit annis tribus & mensibus sex, ac tandem anno millesimo centesimo octuagesimo sexto Sede Constantinopolitanâ dejectus est ab *Isaacio*, Græcorum Imperatore.

94 *Ni-*

94 *Nicetas Muntanes*, seu *Mundanus*, in locum dejecti *Basilii Cameteri* subrogatus est anno millesimo centesimo octuagesimo sexto. Sedit per annos sex & menses sex, & anno millesimo centesimo nonagesimo secundo è Sede Constantinopolitana pulsus est.

95 *Leontius*, Monachus, thronum Constantinopolitanum conscendit anno millesimo centesimo nonagesimo secundo, sed anno sequenti, seu millesimo centesimo nonagesimo tertio, ab *Isaacio Angelo*, Græcorum Imperatore, abdicatus est, Sedeque Constantinopolitanâ dejectus.

96 *Dositheus* è Sede Hierosolymitana ad Constanstinopolitanam ab Imperatore Græcorum *Isaacio Angelo* translatus est anno millesimo centesimo nonagesimo tertio, sed anno sequenti, seu millesimo centesimo nonagesimo quarto, tanquàm alienæ Ecclesiæ, contra Sacros Canones, invasor, ejectus est.

97 *Georgius Xiphilinus*, amoto *Dositheo*, ordinatus est Patriarcha Constantinopolitanus anno millesimo centesimo nonagesimo quarto, rexitque Ecclesiam Constantinopolitanam usque ad annum millesimum ducentesimum.

98 *Joannes*, hujus nominis IX. dictus *Camaterus*, successit in Sede Constantinopolitana *Georgio Xiphilino* anno millesimo ducentesimo, & Ecclesiam Constantinopolitanam gubernavit annis quinque, hoc est, usque ad annum millesimum ducentesimum quintum, quo anno è vivis sublatus est in Didymothilo, Civitate Thraciæ.

99 *Michael*, hujus nominis IV. dictus *Autorianus*, postquàm ab obitu *Joannis Camateri* Sedes Constantinopolitana apud Græcos vacasset per annum unum & menses decem, designatus est à

Theo-

Theodoro Lascari, Græcorum Imperatore, Patriarcha Constantinopolitanus anno millesimo ducentesimo septimo, sed, quia Galli cum Venetis Fæderati anno millesimo ducentesimo quarto Urbem Constantinopolim armis cepissent, eâque potirentur, Sedem suam Nicææ in Asia minori fixit *Michael Autorianus*, Patriarcha Græcorum Constantinopolitanus, ibique vitâ functus est anno millesimo ducentesimo mo decimo tertio, postquam sedisset annos quinque & menses sex.

100 *Theodorus*, hujus nominis III. successit *Michaeli Autoriano* anno millesimo ducentesimo decimo tertio, sedit duobus annis, & è vivis excessit anno millesimo ducentesimo decimo quinto.

101 *Maximus*, Monachus, post obitum *Theodori*, à Grecis ordinatus est Patriarcha Constantinopolitanus, qui tantùm septem mensibus sedit, & obiit anno millesimo ducentesimo decimo sexto.

102 *Manuel Charitopulus*, Monachus, in locum *Maximi* à Græcis substitutus est anno millesimo ducentesimo decimo sexto, sedit annis quatuor, & mensibus septem, obiitque anno millesimo ducentesimo vigesimo primo.

103 *Germanus*, hujus nominis II. post mortem *Manuelis Charitopuli*, electus est à Græcis Patriarcha Constantinopolitanus anno millesimo ducentesimo vigesimo primo, sedit annis septemdecim, & menses sex, suâque tandèm Sede expulsus fuit anno millesimo ducentesimo trigesimo nono.

104 *Methodius*, hujus nominis II. dejecto suâ Sede *Germano* à Græcis subrogatus est, sed sedit tantùm tribus mensibus.

105 *Ma-*

105 *Manuel* hujus nominis II. mortuo *Methodio*, thronum Constantinopolitanum conscendit, sedit annis quatuordecim, & obiit anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto. Post illius mortem, *Germanus II.* qui è Sede Constantinopolitana deturbatus fuerat, in eam restitutus est, ac per annum integrum tenuit, hoc est, usq; ad an millesimum ducentesimum quinquagesimumquintum, quo an; in vivis esse desiit, eoq; mortuo, Græcorum Imperator *Theodorus Lascaris* Patriarchatum Constantinopolitanum obtulit Abbati *Nicephoro Blemmydæ*, Viro id ætatis apud Græcos magnâ pietate, & sacræ prophanæque eruditionis famâ percelebri, qui sublimem illam dignitatem pertinaci modestiâ suscipere detrectavit.

106 *Arsenius*, Monachus, jubente Græcorum Imperatore *Theodoro Lascari*, inauguratus est Patriarcha Constantinopolitanus anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, seditque usque ad mortem *Theodori Lascaris*, Græcorum Imperatoris, hoc est, usque ad annum millesimum ducentesimum quinquagesimum nonum, quo anno Sede Constantinopolitana *Arsenius* extrusus est à *Michaele Palæologo*, Græcorum Imperatore.

107 *Nicephorus* hujus nominis II. anteà Metropolita Ephesinus, in locum depositi *Arsenii* suffectus est anno millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, seditque usque ad annum millesimum ducentesimum sexagesimum primum, quo *Michael Palæologus*, Græcorum Imperator, Urbem Constantinopolim Græcorum subjecit Imperio, Latinos ex ea fugavit, & *Arsenium* in Sedem Constantinopolitanam restituit, & rursùs il-

illum eodem anno Patriarchali Sede dejectum in exilium ablegavit.

108 *Germanus* hujus nominis III. qui erat Metropolita Hadrianopolitanus, dejecto & in exilium misso Patriarcha *Arsenio* anno millesimo ducentesimo sexagesimo primo, in Sedem Constantinopolitanam à *Michaele Palæologo*, Græcorum Imperatore, intrusus est, qui tamen videns, se injuriis ac contumeliis à vulgo proscindi, quòd *Arsenii*, adhuc viventis, Sedem occuparet, sese Patriarchali dignitate eodem anno millesimo ducentesimo sexagesimo primo abdicavit.

109 *Josephus*, Monachus, post abdicationem *Germani*, ordinatus est Patriarcha Constantinopolitanus anno millesimo ducentesimo sexagesimo primo, seditque annos tredecim, hoc est, usq; ad annum millesimum ducentesimum septuagesimum quartum, quo anno à *Michaele Palæologo*, Græcorum Imperatore, è Solio Patriarchali dejectus est, quòd Concordiæ Ecclesiam Græcam inter & Latinam initæ in Concilio Generali Lugdunensi II.celebrato eodem anno MCCLXXIV. consensum præbere pertinacitèr denegaret.

110 *Joannes*, hujus nominis X. dictus *Beccus*, seu *Veccus*, Vir apud Græcos eximiæ integritatis & eruditionis, consecratus est, post depositionem *Josephi*, Patriarcha Constantinopolitanus anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto. Unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina, in Concilio II. Lugdunensi initam, probavit, confirmavit, &, quandiù vixit, semper fovit ac strenuè defendit. Hinc, postquàm Ecclesiam Constantinopolitanam per decem annos sanctissimè rexisset, tandèm Sede suâ anno millesimo ducentesimo octuagesimo quarto dejectus est ab

An-

Andronico, Græcorum Imperatore, qui Latinos acerrimo odio proſequebatur, ac vehementer improbabat unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina factam in Concilio Generali Lugdunenſi ſecundo.

111 *Gregorius*, ſeu *Georgius Cyprius*, Græcus Schiſmaticus, & Latinorum infenſiſſimus hoſtis, poſt abdicationem *Joannis Becci*, ſeu *Vecci*, fuit ab *Andronico*, Græcorum Imperatore, in Sedem Conſtantinopolitanam intruſus anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo quarto, eamque tenuit ſex annis, ideſt, uſque ad annum milleſimum ducenteſimum nonageſimum, quo anno Patriarchatu ceſſit.

112 *Athanaſius*, ſeu *Anaſtaſius*, anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo Sedem Conſtantinopolitanam occupavit, & poſtquàm ſediſſet annis quatuor, è Sede expulſus eſt anno milleſimo duceteſimo nonageſimo quarto.

113 *Joannes* hujus nominis XI. dictus *Sozopalites*, Monachus, poſt depoſitionem *Athanaſii*, ſeu *Anaſtaſii*, ordinatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto, & per ſex annos Patriarchatu Conſtantinopolitano potitus eſt, obiitque anno milleſimo trecenteſimo. Poſt illius mortem, *Athanaſius*, ſeu *Anaſtaſius*, in thronum Conſtantinopolitanum, quo dejectus fuerat, reſtitutus eſt anno milleſimo trecenteſimo, ſedit, poſt ſuam in Patriarchatum Conſtantinopolitanum reſtitutionem, annis octo, ideſt, uſque ad annum milleſimum trecenteſimum octavum, quo anno ſeſe Patriarchali dignitate abdicavit, vacavitque, poſt illius abdicationem, Sedes Conſtantinopolitana annis duobus.

114 *Nipho*, anteà Metropolita Cyzicenus, electus est Patriarcha Constantinopolitanus anno millesimo trecentesimo decimo, sedit annos tres, menses decem, & anno millesimo trecentesimo decimo quarto Patriarchali dignitate se exuit, atque post ejus cessionem vacavit Sedes Constantinopolitana annum unum.

115 *Joannes* hujus nominis XII. dictus *Glycis*, Ecclesiam Constantinopolitanam regere cæpit anno trecentesimo decimo sexto, sedit annis quatuor, & obiit anno millesimo trecentesimo vigesimo.

116 *Gerasinus*, Monachus Cænobii Montis Mangani, successit in Sede Constantinopolitana *Joanni XII.* anno trecentesimo vigesimo seditque uno anno & aliquot mensibus.

117 *Esaias*, Monachus, post obitum *Gerasini*, in Throno Constantinopolitano collocatus est anno millesimo trecentesimo vigesimo secundo, seditque annis octodecim, & aliquot menses. idest, usque ad annum millesimum trecentesimum quadragesimum primum, quo anno vitâ functus est.

118 *Joannes* hujus nominis XIII. successit *Esaiæ* anno millesimo trecentesimo quadragesimo primo, seditque annis novemdecim, seu ad annum usque millesimum trecentesimum sexagesimum, quo migravit è vita.

119 *Callistus*, Monachus, suffectus est in locum *Joannis XIII.* Sedit annis quatuor, & mortalitatem exuit anno millesimo trecentesimo sexagesimo quarto.

120 *Philotheus*, seu *Philetus*, post obitum *Callisti* Ecclesiam Constantinopolitanam regere cæpi anno millesimo trecentesimo sexagesimo quarto eique præfuit annis tredecim, mensibus sex, &

die

diebus aliquot, ideſt, ad annum uſque milleſimum trecenteſimum ſeptuageſimum octavum, quo è vivis ereptus eſt.

121 *Nilus* in Sede Conſtantinopolitana ſucceſſit *Philotheo*, ſeu *Phileto* anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octavo. Sedit annis viginti, & diem ultimum clauſit anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo.

122 *Antonius*, hujus nominis IV. poſt mortem *Nili*, Eccleſiæ Conſtantinopolitanę præfectus eſt, eamque annis quinque gubernavit, ideſt, ab anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo, uſq; ad annum milleſimum quadringenteſimum tertium.

123 *Calliſtus* hujus nominis II. in locum demortui *Antonii* Patriarchæ Conſtantinopolitani ſubſtitutus eſt anno milleſimo quadringenteſimo tertio, ſeditque annos tredecim, ideſt, ad annum uſque millesimum quadringentesimũ decimum ſextum.

124 *Joſephus* hujus nominis II. anteà Metropolita Ephesinus, poſt obitum *Calliſti*, Sedem Patriarchalem Conſtantinopolitanam obtinuit an. millesimo quadringentesimo decimo ſexto. Interfuit Concilio Generali Florentino, quod anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono ad conciliandam Ecclesiam Græcam cum Latina celebratum eſt. Sedit annis viginti tribus, & mortuus eſt Florentiæ eodem anno, quo habebatur Concilium, ſeu anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono, poſtquàm ore & Scripto propediè̀m moriturus palàm profeſſus fuiſſet, ſe lubenti animo ſubſcribere concordiæ Ecclesiæ Græcæ cum Latina, atque conſtanter tenere ac propugnare omnia & ſingula dogmata, quæ cre-

denda proponit Sancta Romana Ecclesia.

125 *Metrophanes Cyzicenus*, qui Generali Concilio Florentino interfuit, & unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina approbavit, in locum *Josephi*, Patriarchæ Constantinopolitani, Florentiæ demortui, subrogatus est à *Joanne Palæologo*, Græcorum Imperatore, cùmque Patriarchatum per aliquot annos summâ cum laude gessisset, discessit ex hac vita anno incerto.

126 *Gregorius* hujus nominis III. Hieromonachus vitæ Sanctimoniâ insignis, post *Metrophanem*, electus, & ordinatus est Patriarcha Constantinopolitanus, seditque usque ad annum millesimum quadringentesimum quinquagesimum tertium, quo anno captâ à Turcis Urbe Constantinopoli, sese Patriarchali dignitate abdicavit.

127 *Georgius Scholarius*, dictus etiam *Gennadius*, post captam à Turcis Urbem Constantinopolim anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, electus est Patriarcha Constantinopolitanus, qui licèt in Concilio Generali Florentino, cui interfuit, unioni Græcos inter & Latinos ineundæ ac promovendæ egregiam navarit operam, nihiloseciùs post solutum Concilium, & ad patrium solum reversus, pro suâ congenitâ levitate, Græcâque fide, ad vomitum rediit, Græcos à Latinorum unione distraxit, & creatus Patriarcha Constantinopolitanus renovavit, fovit, latèque propagavit Schisma, in quo ejus in Sede Constantinopolitana successores ad hæc usque nostra tempora obstinatis animis perseverarunt, quorum seriem ac catalogum hìc non describemus, quia non solùm illorum res nobis parùm notæ, sed & ipsa nomina non

non ſatis certò cognita ſunt; *Philippus* tamen *Cyprius*, in ſuo *Chronico Eccleſiæ Græcæ* Catalogum Patriarcharum Græcorum Schiſmaticorum, qui, poſt captam à Turcis Urbem Conſtantinopolim anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, *Georgio Scholario*, Græco Patriarchæ Conſtantinopolitano Schiſmatico, ad hanc uſque ætatem noſtram ſucceſſerunt, utcùmque continuavit uſque ad *Parthenium*, qui apud Græcos Sedem Conſtantinopolitanam tenuit anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo. Eamdem, arduam licèt & operoſam provinciam, in publicum rei Literariæ commodum, ſuſcepit doctiſſimus noſter *Michael Le Quien*, qui nunc Pariſiis Opus immenſi laboris & ampliſſimæ eruditionis, duobus Tomis in Folio comprehenſum, cui titulus eſt: *Chriſtianus Oriens*, prælo mandat, in quo non ſolùm accuratiſſimè deſcribet ſeriem Epiſcoporum cùm Orthodoxorum, tum Hæreticorum, vel Schiſmaticorum, qui Sedibus Patriarchalibus Orientis, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ, & Conſtantinopolitanæ ad hæc uſque noſtra tempora præfuerunt, ſed etiam exhibebit ſucceſſiones aliorum Epiſcoporum Græcorum, qui præcipuas Orientis Eccleſias ad hanc uſque ætatem rexerunt. Ipſe verò, qui tot in tenebris micare non poſſum, claudam Catalogum Patriarcharum Græcorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in *Georgio Scholario*, qui, ut mox diximus, Schiſmatis fautor ac propagator, electus eſt à Græcis Schiſmaticis, poſt captam à Turcis Conſtantinopolim anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, Patriarcha Conſtantinopolitanus, cujus deinceps in Sede Conſtantinopolitana

tana Successores, in Schismate perseverantes, & duro Turcarum jugo oppressi, ad Patriarchalem Ecclesiæ Constantinopolitanæ dignitatem, non scientiâ, non pietate, sed humano favore, & Turcarum Imperatori, ejusque Ministris, enumeratâ pecuniâ, pervenerunt, adeò ut apud Gręcos Schismaticos, post captam à Turcis Urbem Constantinopolim, Patriarchatus Constantinopolitanus vęnalis esse cæperit, non secus ac olim apud Judæos, postquàm à Romanis sub jugum missi sunt, ad capessendam Pontificiam dignitatem non eruditio, non morum probitas, sed nummí, & gratia Præfectorum Judææ, quos mittebant Romani Imperatores, flagitabantur, ut videre est apud *Josephum* in Libris *De Antiq. Jud.* & in Libris *De Bello Judaico*. Missis itaque his Græculis Patriarchis Schismaticis, qui, post captam à Turcis Urbem Constantinopolim anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, *Georgio Scholario* in Sede Constantinopolitana ad hæc usque nostra tempora successerunt, hìc dumtaxat inseram Catalogum Patriarcharum Latinorum, qui præfuerunt Ecclesiæ Constantinopolitanæ ab an. millesimo ducentesimo quarto, quo Franci cum Venetis Fæderati Urbem Constantinopolim ceperunt, & Imperium Orientis obtinuerunt usque ad annum millesimum ducentesimum sexagesimum primum, quo anno *Michael Palæologus*, Græcorum Imperator, Constantinopolim obsedit, armis occupavit, Latinos ex hac Regia Urbe ejecit, & Orientale Imperium ipsis ereptum ad Græcos revocavit.

CATALOGUS

Patriarcharum Latinorum,

Qui Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuerunt ab anno MCCIV. *quo Franci cum Venetis Fæderati Urbem Constantinopolim ceperunt, usque ad annum* MCCLXI. *quo anno* Michael Palæologus, *Græcorum Imperator, Constantinopolim occupavit, Latinos inde ejecit, ipsisque ereptum Orientale Imperium ad Græcos reduxit.*

FRanci cum Venetis Fæderati hoc pactum ante expugnationem Urbis Constantionpolis inierunt, ut ex illa gente, seu Francorum, seu Venetorum, quæ Imperatorem Constantinopolitanum, seu Orientis, non haberet, assumeretur aliquis, qui Patriarchatum Constantinopolitanum obtineret. Captâ igitur à Francis cum Venetis Fæderatis Urbe Constantinopoli anno millesimo ducentesimo quarto, electus est è Gente Francorum primus Latinorum Imperator Constantinopolitanus *Balduinus*, ac subindè, juxta pacta, ante Urbis Constantinopolitanæ expugnationem Francos inter & Venetos conventa, assumptus ac designatus fuit ex Gente Veneta, quæ Imperatorem Constantinopolitanum non habuerat, primus La-

tinorum Patriarcha Constantinopolitanus isque fuit:

Primus Latinorum Patriarcha Constantinopolitanus.

Thomas Maurocenus, natione Venetus, qui unanimi Francorum ac Venetorum consensu ordinatus est primus Latinorum Patriarcha Constantinopolitanus anno millesimo ducentesimo quarto, seditque sex annis, hoc est, usque ad annum millesimum ducentesimum undecimum, quo migravit è vita.

Secundus Latinorum Patriarcha Constantinopolitanus.

Matthæus successit in Sede Constantinopolitana *Thomæ Mauroceno* anno millesimo ducentesimo undecimo, & sedit annos novemdecim, ad annum usq; millesimum ducentesimum trigesimum, quo mortuus est.

Tertius Latinorum Patriarcha Constantinopolitanus.

Nicolaus, post obitum *Matthæi* Thronum Constantinopolitanum conscendit anno millesimo ducentesimo trigesimo, seditque paulò ultra annos viginti, idest, usque ad annum millesimum ducentesimum quinquagesimum primum, quo vitâ functus est.

Quartus Latinorum Patriarcha Constantinopolitanus.

Pantaleon Justinianus demortuo *Matthæo* suffectus est anno millesimo ducentesimo quinquagesimo pri-

primo, eoque sedente Latinorum Patriarcha Constantinopolitano, *Michael Paleologus*, Græcorum Imperator, Urbem Constantinopolim, quam Latini die XII, mensis Aprilis anni millesimi ducentesimi quarti ceperant, obsedit, armisque occupavit die XXV. mensis Julii anni millesimi ducentesimi sexagesimi primi, Latinos indè expulit, & Orientis Imperium, quod per spatium quinquaginta septem annorum, trium mensium & dierum undecim obtinuerant Latini, ipsis ademptum, ad Græcos revocavit. Pulsis itaque Constantinopoli Latinis anno millesimo ducentesimo sexagesimo primo, Græci Imperium Orientis & Patriarchatum Constantinopolitanum recuperarunt, quò fit, ut deinceps Latini, qui Patriarcharum Constantinopolitanorum titulo à Romanis Pontificibus ad hæc usque nostra tempora donati sunt, magni nominis umbram, seu nudum absque re titulum habuerint, quorum proindè seriem, seu Catalogum hìc describere supervacaneum omninò esset. Missis igitur illis Titularibus dumtaxat Latinis Patriarchis Constantinopolitanis, aliquas Observationes hìc subjiciam, quæ ad pleniorem habendam notitiam Institutionis Sedium Orientis Patriarchalium, & jurisdictionis, seu locorum & Provinciarum, ad quas protendebatur jurisdictio Patriarcharum Orientis, quorum successiones in præcedentibus Tabulis Chronologicis exhibuimus, sunt maximè necessariæ.

In primis, observare debes cum *Petro de Marca* libri *6. De Concordia Sacerdotii & Imperii*, cap. 1. §. 3. quòd sicut olim in Imperio Romano Provinciæ contributæ essent cuidam Civitati primariæ, quæ Metropolis dicebatur, apud quam Magistratus subjectorum causas judicabant, & quò propterea populi frequentiùs conveniebant, quòd singulari quodam jure Civitates à Matrice pendêrent; ita Apostoli Episcopos

in Civitatibus constituerunt, eo videlicèt ordine, ut pendêrent ab Episcopo in Metropoli, sive in Urbe primaria collocato. Id apertè colligitur ex Epistola *Pauli* ad *Titum* cap. 1. ubi sic ad eum scribit Apostolus: *Reliqui te Cretæ, ut constitutas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi*. Per Presbyteros autem eò loci Apostolum *Paulum* intelligere voluisse Episcopos, observant *Ambrosius*, *Chrysostomus*, & ipsemet Apostolus hoc loco declarat, cùm immediatè addat nomen *Episcopi*. Reliquit ergò *Paulus* discipulum suum *Titum* in Creta Insula, quæ & una fuit ex Provinciis Macedonię, sicut legitur in *Notitia Imperii*, quam hìc mox subjiciam, eumque illo fine in ea Insulâ reliquit, ut ibidèm per Civitates ordinaret Episcopos, quod certè, juxta Canonem IV. Concilii Nicæni, ad Metropolitas in sua Provincia spectat, & hinc est, quod ab Apostolo *Paulo* semel instituto in Creta Insula, quæ nunc Candiæ nomen obtinuit, *Tito*, ut Metropolitana auctoritate Civitatibus ad fidem Christianam recens conversis Episcopos constitueret & ordinaret, Gortina Cretæ Metropolis jus sequentibus Sæculis habuerit ac retinuerit, sicut ostendit *Emmanuel Schelstratius* in secunda parte *Antiquitatis Illustratæ* Dissertatione IV. cap.4. art.1. & in Dissertatione V. cap.3. ubi Diœceses & Provincias in Imperii Notitia memoratas exhibet & explicat. Cùm igitur, juxta divisionem Diœcesum & Provinciarum, quas olim complectebatur Imperium Romanum, institutæ sint in majoribus Imperii Civitatibus præcipuę Sedes Ecclesiæ Patriarchicæ, in aliis verò Imperi Civitatibus, juxtà earum dignitatem, erectæ Ecclesiasticæ Metropoles, aut fundati exarchatus, vel Episcopatus; necesse est ad habendam notitiam Civitatum, in quibus initio Ecclesiæ institutæ sunt potissimæ dignitates Ecclesiæ, & præcipuæ Patriarchales Sedes, ere-

ctæ

ctæ Metropoles, & fundati Exarchatus, necesse, inquam, est ut hìc ex *Notitia Imperii*, quæ ultrà tempora Imperatorum *Arcadii*, & *Honorii* scripta est, ut in Operis Inscriptione dicitur, apponam Diœceses & Provincias, quæ per totum Imperium subjectæ erant quatuor Præfectis, videlicèt Præfecto Prætorio Orientis; Præfecto Prætorio Illyrici; Præfecto Prætorio Italiæ; & Præfecto Prætorio Galliarum. Porrò Diœceses, quas continebat Imperium, erant omninò tredecim, sex Orientis, & Occidentis septem, illæque comprehendebant centum & octodecim Provincias, ut videre est in hac Notitia Imperii, quam post *Schelstratium* tum loco mox à me laudato, tum in *Appendice ad Opus Geographicum*, & in lib. *De Sacro Concilio Antiocheno* pag. 450. & seq. exhibet etiam Cl. *Antonius Pagius* in sua *Critica in Annales Baronii*, Tom. 1. pag. 49. & seq.

NOTI-

N O T

IMPERII

Complectens Diœc

Quæ subjectæ erant, quatuor Præfectis, videlicèt
lyrici, Præfecto Prætorio Italiæ, Præfecto
Diœcesum, & Provinciarum Imperii
rum, Exarcharum, Metropo
cipuarum Eccle

PRÆFECTUS PRÆT

Et sub ipso Di

	ORIENTIS. *Sub Diœc. Orientis Provinciæ XV.*	ÆGYPTI. *Sub Diœc. Ægypti, Provinciæ VI.*
Provincię subjectæ Præfecto Prætorio Orientis.	Palestina,	Lybia Superior,
	Phænice,	Lybia Inferior,
	Syria,	Thebais,
	Cilicia,	Ægyptus,
	Cyprus,	Arcadia,
	Arabia,	Augustanica.
	Isauria,	
	Palæstina Salutaris,	
	Palæstina II.	
	Phenice Libani,	
	Euphratensis,	
	Syria Salutaris,	
	Osrohena,	
	Mesopotamia,	
	Cilicia II.	

I T I A
ROMANI
eſes, & Provincias,

Præfecto Prætorio Orientis, Præfecto Prætorio Il-
Prætorio Galliarum, ad quarum Civilium
diviſiones, inſtitutæ ſunt Patriarcha-
litanorum, & Aliarum Præ-
ſiarum Sedes.

ORIO ORIENTIS,
œceſes quinque.

ASIÆ.	PONTI.	THRACIÆ.
Sub Diœceſi Aſiæ Provinciæ X.	*Sub Diœceſi Ponti Provinciæ X.*	*Sub Diœc. Thraciç Provinciæ VI.*
Pamphilia,	Galatia,	Europa,
Helleſpontus,	Bithynia,	Thracia,
Lydia,	Honorias,	Hemimontis,
Piſidia,	Cappadocia prima,	Rhodope,
Lycaonia,	Paphlagonia,	Mæſia II.
Phrygia Pacatina,	Cappadocia,	Scythia.
Phrygia Salutaris,	Pontus Polemoniacus,	
Lycia,	Hellenopontus,	
Caria,	Armenia I.	
Inſulæ.	Armenia II.	
	GalatiaSalutaris.	

PRÆ-

PRÆFECTUS PRÆTORIO ILLYRICI.

Et sub ipso Diœceses duæ.

	MACEDONIÆ.	ET DACIÆ.
	Sub Diœcesi Macedoniæ Provinciæ VI.	*Sub Diœcesi Daciæ Provinciæ V.*
Provinciæ subjectæ Præfecto Prætorio Illyrici.	Achaja, Macedonia, Creta, Thessalia, Epirus Vetus, Epirus Nova.	Dacia Mediterranea, Dacia Ripensis, Mæsia prima, Dardania Prævalitiana, Pars Macedoniæ Salutaris.

PRÆ-

PRÆFECTUS PRÆTORIO ITALIÆ.

Et sub ipso Diœceses tres.

	ITALIÆ.	ILLYRICI.	AFRICÆ.
Provinciæ subjectæ Præfecto Prætorio Italiæ.	*Sub Diœc. Italiæ Provinciæ XVII.*	*Sub Diœc. Illyrici Provinciæ VI.*	*Sub Diæc. Africæ Provinciæ VI.*
	Venetiæ,	Pannonia II.	Byzacium,
	Æmilia,	Savia,	Numidia,
	Liguria,	Dalmatæ,	Mauritania Sitifensis,
	Flaminia & Picenum Annonarium,	Pannonia I.	Mauritania Cæsareensis,
	Tuscia & Umbria,	Noricum Mediterraneum,	Tripolis,
	Picenum Suburbicarium,	Noricum Ripense.	Africa Proconsularis.
	Campania,		
	Sicilia,		
	Apulia & Calabria,		
	Lucania & Brutii,		
	Alpes Cottiarum,		
	Rhętia I.		
	Rhætia II.		
	Samnium,		
	Valeria,		
	Sardinia,		
	Corsica.		

PRÆ-

PRÆFECTUS PRÆTORIO GALLIARUM.

Et ſub ipſo Diœceſes tres.

	HISPANIÆ. *Sub Diœc. Hiſpaniæ Provinciæ VII.*	GALLIARUM. *Sub Diœc. Galliarum Provinciæ XVII.*	BRITANNIARUM. *Sub Diœc. Britanniarũ Provinciæ V.*
Provinciæ ſubjectæ Præfecto Prætorio Galliarum	Bætica, Luſitania, Gallæcia, Tarraconēſis, Carthaginenſis, Tingitana, Baleares.	Viennenſis, Lugdunen. I. Germania I. Germania II. Belgica I. Belgica II. Alpes Maritimæ, Alpes Penninę & Grajæ, Maxima Sequanorum, Aquitania I. Aquitania II. Novépopuli Narbonen. I. Narbonen. II. Lugdunen. II. Lugdun. III. Lugdunen. Senonia.	Maxima Cæſareenſis, Valentia, Britannia I. Britannia II. Flavia Cæſareenſis.

Præ-

Prætereà, obſervare debes, in tribus majoribus, ſeu magis conſpicuis Imperii Civitatibus fuiſſe initio Eccleſię inſtitutas tres Patriarchales Sedes. Prima inſtituta eſt Romæ in Italiæ Diœceſi, quæ ut videre eſt in Notitia Imperii, quam mox deſcripſimus, ſubjecta erat Præfecto Prætorio Italiæ. Altera Sedes Patriarchalis inſtituta eſt Alexandriæ in Ægypti Diœceſi, quæ ſubdita erat Præfecto Prætorio Orientis. Tertia Sedes Patriarchalis inſtituta eſt Antiochiæ in Orientis Diœceſi, quæ itidèm erat ſub juriſdictione & dominio Præfecti Prætorio Orientis. Harum trium Sedium Patriarchalium, Romanæ ſcilicèt, Alexandrinæ, & Antiochenæ auctoritatem firmarunt Patres Concilii Nicæni primi Canone ſexto, ubi ſic ſtatuunt: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Urbis Romæ parilis mos eſt, ſimiliter & apud Antiochiam*. Quibus verbis Patres Concilii Nicæni definierunt, Epiſcopum Alexandrinum in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, necnon Epiſcopum Antiochenum in ſua Orientali Diœceſi, omnibus juribus ac privilegiis Patriarchicæ dignitatis, ſive in celebrandis Ordinationibus, ſive in confirmandis electionibus Epiſcoporum, frui debere, quibus Romanus Pontifex in omnibus Eccleſiis totius Occidentis, quæ ejus Patriarchatui ſubjiciuntur, potiri ſolet. Pratèr tres iſtas Patriarchales Sedes, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, inſtitutæ inſupèr fuerunt initio Eccleſiæ tres Exarcharum, ſeu Primatum Sedes in tribus aliis Orientis Diœceſibus. Nam, cùm ſub Præfecto Prætorio Orientis quinque eſſent Diœceſes, ut conſtat ex Notitia Imperii, mox à me deſcriptâ, & in Diœceſi Ægyptiacâ fuiſſet inſtitutus Patriarcha Alexandrinus, & in Orientali Diœceſi Patriarcha Antiochenus; reſtabant

adhùc tres Orientis Diœceſes, nimirùm Aſia, Pontus, & Thracia, in quibus conſtitutæ ſunt tres Sedes Exarcharum, ſeu Primatum, qui ab omni Patriarchali juriſdictione exempti ac liberi, pari gaudebant poteſtate in ſubjectas ſibi Provincias. Hi autem tres Exarchæ, ſeu Primates, erant Epiſcopus Epheſinus, qui juriſdictionem habebat in totam Dięceſim Aſiaticam; Epiſcopus Heracleenſis, cui parebat tota Diœceſis Thracica; & Epiſcopus Cæſareenſis, cujus juriſdictioni ſubjecta erat Pontica Diœceſis. Authoritatem, juriſdictionem, & privilegia, quibus jam ex antiqua conſuetudine fruebantur tres illi Exarchæ, ſeu Primates Aſiæ, Ponti, & Thraciæ, confirmarunt eodem laudato Canone ſexto Patres Concilii Nicæni. Cùm enim Epiſcopo Alexandrino juxtà formam Romani Patriarchatûs jus ſuum attribuiſſent: *Similiter*, inquiunt, *& apud Antiochiam cæteraſque* Provincias, *ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis*. Per *cæteras Provincias*, ait eruditus P. *Chriſtianus Lupus* in expoſitione iſtius Canonis, Concilium Nicænum *intelligit præſertim tres Diœceſes Autocephalas*, ſeu Aſiam, Pontum, & Thraciam, *ab omni* P*atriarchali poteſtate liberas & exemptas*, *habenteſque* P*rimatem poteſtate pari gaudentem in ſubjectas ſibi* P*rovincias*, *nempè Diœceſim Aſiaticam ſub Epheſino*, Epiſcopo, *Thracicam ſub Heraclienſi*, Epiſcopo, P*onticam ſub* P*rimatu Cæſareenſis Antiſtitis*. Tres itaque erant Orientis Diœceſes Autocephalæ, nec Patriarchis Alexandrino vel Antiocheno ſubjectę, eæque erant Aſia, Pontus, & Thracia, quæ ſuis Synodis, & Exarchis, ſeu Primatibus adminiſtrandæ permanſerunt. At, poſtquàm à Græcis in Concilio Generali Conſtantinopolitano I. Patriarchatus Conſtantinopolitanus fuiſſet inſtitutus, & in Concilio Generali Chalcedonenſi ſtatutum eſſet, ut tres Exarchatus Aſiæ, Cappadociæ & Thraciæ juriſdictioni Pa-

Patriarchæ Constantinopolitani subjicerentur, desiit omninò authoritas Exarcharum Asiæ, Ponti, & Thraciæ. Denique, in Concilio Chalcedonensi, quod habitum est anno 451. Palæstina, in tres Provincias distributa, à Patriarchatu Antiocheno divulsa est, & Episcopo Hierosolymitano adjudicata, indèq; factum est, ut Episcopus Hierosolymitanus, post Concilium Chalcedonense, pleno jure Patriarchicâ dignitate, juribus ac privilegiis potiri cæperit, sicut constat exemplo *Juvenalis*, Hierosolymorum Episcopi, qui, paulò post Concilii Chalcedonensis celebrationem, Synodum ex universa Palæstina convocavit, eique præfuit tanquàm Patriarcha. Jura etiam & Privilegia Patriarchica Ecclesiæ Hierosolymorum confirmavit quinta Synodus Generalis, quæ indicta est anno quingentesimo quinquagesimo tertio, sicque ad tres primarias Patriarchales Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, & Antiochenam, quæ à primordiis Ecclesiæ institutæ fuerunt, duæ aliæ Sedes Patriarchales in Oriente Sæculo quarto adjectæ sunt, Constantinopolitana nimirùm, & Hierosolymitana, ac subindè Ecclesia habuit tùm temporis quinque Patriarchales Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Constantinopolitanam, & Hierosolymitanam, quarum successionem Episcoporum in præcedentibus Tabulis Chronologicis descripsimus. Jam verò, quibus terminis circumscriberentur quinque istæ Patriarchales Sedes, seu quot Metropoles & Episcopatus haberent? nunc investigandum superest. Sed, ne longior sim, de terminis harumce quinque Patriarchalium Sedium singillatim quidem, sed breviter disseram.

De terminis Patriarchatus Romani.

Patriarchatum Romanum ſe ſe protendere ad omnes totius Occidentis Eccleſias, multis, iiſque planè invictis momentis, doctiſſimi Scriptores, *Christianus Lupus*, *Emmanuel Schelſtratius*, *Henricus Valeſius*, *Sirmondus*, & *Antonius Pagius* evincunt contra nonnullos, qui Patriarchatum Romanum limitabant ad quatuor Italiæ Regiones, videlicèt *Tuſciam Suburbicariam*, *Picenum Suburbicarium*, *Latium Vetus*, & *Latiũ Novũ*, vel ad ſummum, extendebant Patriarchatum Romanũ ad decem Provincias Urbicarias, ita dictas, quòd regerentur à Vicario Urbis Romæ ſub Præfecto Prętorio Italię, idq; pręſertim probabant ex Interpretatione *Rufini*, Presbyteri Aquilejenſis, qui Canonem ſextum Concilii Nicæni his verbis expoſuit: *Ut apud Alexandriam & in Urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.* Undè inferebant, Patriarchatum Romanum, juxta Canonem ſextum Concilii Nicæni, non latiùs quàm ad quatuor Italiæ Regiones, vel ad ſummum ad decem Provincias ſuburbicarias patuiſſe. At, præterquàm quòd abſurdum omninò eſt dicere, Jura Patriarchalia Romani Antiſtitis intra quatuor regiones, aut decem Provincias, quæ Italiâ continentur, fuiſſe concluſa; certum eſt in Canone ſexto Concilii Nicæni nullam prorsùs *Urbicariarum* & *Suburbicariarum Eccleſiarum* fieri mentionem. Hæc quippè ſunt verba hujus Canonis ſexti juxta genuinam *Dionyſii Exigui* verſionem: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam cæteraſque*

Pro-

Provincias suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter Metropolitani sententiam factus fuerit Epsscopus, hunc magnam Synodus definivit Episcopum esse non oportere. Quid, amabo, hìc *Vrbicarias & Suburbicarias Ecclesias* somniare opus est, de quibus nec vola aut vestigium est in verbis Canonis sexti Concilii Nicæni. Hinc jure optimo *Henricus Valesius* in suis Observationibus Ecclesiasticis in *Socratem* & *Sozomenum* lib. 3. scribit, doctissimos quosdam homines, qui de Ecclesiis ac regionibus Suburbicariis acriùs inter se contendunt, & magno animorum æstu digladiantur, *Rufini* interpretationem potiùs, quàm ipsius Canonis sexti Concilii Nicæni verba exposuisse, cùm in prædicto Canone *de Vrbicariis, & Suburbicariis Ecclesiis* altum sit silentium. Quod si tamen aliquis *Rufini* Expositionem *de Ecclesiis Suburbicariis* vindicandam pertenderet, dicendum esset, *Rufinum* per *Ecclesias Suburbicarias* intellexisse totius Occidentis Ecclesias, speciali jure Romano Patriarchatui subditas. Per Suburbicarias siquidem Ecclesias, inquit jam laudatus *Valesius*, intelligit *Rufinus* eas Ecclesias, quæ sunt sub Episcopo Urbis Romæ. Nam Suburbicariæ Ecclesiæ eodem modo dicuntur, quo Suburbicariæ Provinciæ. Sicut ergò Suburbicariæ Provinciæ appellantur, quæ erant sub Vicario Urbis Romæ, ita Ecclesiæ Suburbicariæ dicuntur à *Rufino*, quæcumque subjacebant Episcopo Urbis Romæ, & quemadmodùm Provinciæ Suburbicariæ constituebant Diœcesim Vicarii Urbis Romæ, sic Ecclesiæ Suburbicariæ per totum Occidentem diffusæ constituunt Diœcesim Patriarchæ Romani. Sed quid Opus est argumentis, cùm res ipsa luculentèr pateat ex ipso fine, quem in condendo sexto illo Canone sibi præscripserunt Patres Concilii Nicæni. Conditus quippè est prædictus ille Canon ad repa-

randa Ecclesiæ Alexandrinæ Patriarchica privilegia per *Meletium*, Lycopolitanum Episcopum, invasa, læsa & mutilata. *Meletius* siquidem, sicut legitur in Apologia S. *Athanasii*, ob idololatricum in *Diocletiani* Imperatoris persecutione lapsum, à S. *Petro* Alexandrino Patriarcha, in Synodo damnatus, non solùm non resipuit, sed Schisma conflavit, & excusso obedientiæ jugo, Thebaidis ac vicinæ Ægypti Provincias, omniaque Jura Patriarchica, quæ Patriarchę Alexandrino competebant, temerario ausu invasit, sibi arrogavit, novumque se illìc ostentavit Patriarcham. Graves eâ de re ad Generalem Synodum Nicænam *Alexander*, Patriarcha Alexandrinus, detulit querelas, quas cùm audissent Patres Nicæni, ad potestatē Patriarchę Alexandrini plenè restaurandam, eique sua Jura Patriarchica asserenda ac vindicanda, Canonem sextum condiderunt, in quo comparationem instituunt Episcopum Alexandrinum, quatenus est Patriarcha Ægypti, Lybiæ & Pentapolis, inter & Episcopum Urbis Romæ, quatenùs est Patriarcha totius Occidentis, eâque factâ comparatione, definiunt, quòd quemadmodùm Episcopus Urbis Romæ, quatenùs est Patriarcha totius Occidentis, potestatem Patriarchalem habet in omnes Ecclesias suo Patriarchatui subjectas, ita similiter Episcopus Alexandrinus, quatenus est Patriarcha Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis, juribus & privilegiis Patriarchalibus frui debet in omnibus Ecclesiis, quæ in sui Patriarchatus ambitu continentur. Sedes namque Patriarchalis Alexandrina instituta est ad exemplar Sedis Patriarchalis Romanæ (cùm S. *Marcus* Evangelista, S. *Petri*, Apostolorum Principis, discipulus, ex ejusdem auctoritate Alexandriam pergens, ad exemplar Sedis Patriarchalis Romanæ Patriarchatum Alexandrinum instituerit) rectè ergò Patres Nicæni instituunt compara-

parationem Episcopum Alexandrinum, quatenus est Patriarcha Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis, inter & Episcopum Urbis Romæ, quatenùs est Patriarcha totius Occidentis, eâdemque operâ statuunt, quòd sicut Sedes Patriarchalis Romana habet potestatem per omnes Provincias, seu Ecclesias totius Occidentis Juri suo Patriarchico subditas, pari modo Sedes Patriarchica Alexandrina potestatem habere debet in omnes Ecclesias Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis suo Juri Patriarchico subjectas. Hic est verus ac germanus sexti Canonis Concilii Generalis Niceni sensus, cujus sola explicatio abundè sufficere debet ad explodendas vanas & sinistras interpretationes, in quas *Salmasius*, Hæreticus Calvinista, & *Joannes Launojus*, Sac. Fac. Parisiensis Doctor, verba sexti Canonis Concilii Niceni prępostere detorserunt, ut Romanæ Sedis Patriarchalis jurisdictionem elevarent, eamque angustioribus terminis coarctarent. Urbis itaque Romæ Episcopus, quatenùs est Patriarcha, habet omnes totius Occidentis Ecclesias suo Juri Patriarchico subjectas, sed, ut est Romanus Pontifex, & Christi Domini in terris Vicarius, habet Primatum in universa Ecclesia, seu potestatem jurisdictionis in omnes totius Orbis Christiani, tàm Orientis, quàm Occidentis Ecclesias. Quem Romani Pontificis non solùm honoris, sed & jurisdictionis Primatum, Sacris Litteris, unanimi SS. patrum, cùm Græcorum, tum Latinorum traditione, & Conciliorum Canonibus firmatum, soli Hæretici, ac Schismatici, à vera Christi Ecclesia extorres, inficiantur.

De terminis Patriarchatuum Antiocheni, & Alexandrini.

Nilus, cognomento *Doxopatrius*, Ecclesiæ Gręcæ Archimandrita, qui undecimo Ecclesiæ Sæculo, ideſt, circà annum milleſimum quadrageſimum tertium floruit, rogatus per Litteras à *Rogerio*, Siciliæ Rege, ſcripſit breviter *de Majorum Patriarcharum Sedibus*, quod poſteà fuſiori Opere proſecutus eſt, in quo *de quinque Thronis Patriarchalibus*, iiſque ſubjectis Archiepiſcopis, Metropolitanis, Epiſcopis, de Sedium Patriarchalium inſtitutione, ordine, & propriis nominibus diſſerit. Ex illius itaque Scriptoris Græci Opere, quod Græco-Latinum anno milleſimo ſexcenteſimo undecimo *Stephanus Moynius* Tomo 1. *Variorum Sacrorum* pag. 215. in lucem emiſit, excerpam quęcumque de terminis Patriarchatuum Antiocheni, Alexandrini, Hieroſolymitani, & Conſtantinopolitani hìc dicturus ſum, ut pateat, quot Metropolitas, & epiſcopos Sęculo Eccleſię undecimo Patriarchæ Orientis ſub ſe habuerint, quot Patriarcha Hieroſolymitanus, contra Sedis Apoſtolicæ judicium, uſurpaverit, & quot Patriarcha Conſtantinopolitanus ex Patriarchatu Romano injuſtè avulſerit. Non ſolùm enim tres Exarchatus, Aſię, Ponti, & Thraciæ, ſicut ſuperiùs obſervavimus, ſibi ſubjecit Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſed & integram Illyrici Diœceſim, & totam Siciliæ Provinciam, quæ primis Eccleſiæ Sæculis Patriarchatui Romano parebant, in Jus ſuum tranſcripſit, ſibique vendicavit. Incipiam autem, juxta ordinem, quem tenet *Nilus Doxopatrius*, à Patriarchatu Antiocheno, qui, ut verbis utar ejuſdem Scriptoris, poſſidebat univerſam Aſiam & Orientem, Indiamque ipſam, in quam ad

hęc

hęc usque tempora (ideſt, uſque ad undecimum Sęculum, quo ſcribebat *Nilus Doxopatrius*) Catholicum ordinans mittit, *Romogyreos* vocatum, & Perſiam, & Babylonem, cui nunc nomen *Bagda* eſt: eò etiam mittebat Antiochenus Patriarcha Catholicum in Urbem Irenupolim, *Irenupoleos* dictum, & Armenias, & Abaſgiam, & Iberiam, & Mediam, Chaldęam, & Parthiam, & Elamitas, & Meſopotamiam. Habet autem Patriarcha Antiochenus Metropoles tredecim. Primò, *Metropolim Tyri*, quæ habet Epiſcopatus tredecim. Secundò, *Metropolim Tharſi*, quę habet Epiſcopatus ſex. Tertiò, *Metropolim Edeſſæ*, quæ habet Epiſcopatus undecim. Quartò, *Metropolim Apameæ*, quę habet Epiſcopatus ſeptem. Quintò, *Metropolim Hierapoleos*, quæ habet Epiſcop. undecim. Sextò, *Metropolim Boſtri*, quæ habet Epiſcop. viginti. Septimò, *Metropolim Anazarbi*, quæ habet Epiſcop. novem. Octavò, *Metropolim Seleuciæ*, quæ habet Epiſcop. viginti quatuor. Nonò, *Metropolim Damaſci*, quę habet Epiſcop. undecim. Decimò, *Metropolim Amidæ*, quę habet Epiſcop. octo. Undecimò, *Metropolim Hagiopoleos*, quę habet Epiſcop. quinque. Duodecimò, *Metropolim Daras*, quę habet Epiſcop. decem. Decimo tertiò, *Metropolim Emeſæ*, quę habet Epiſcop. quatuor. Habet pręterea Patriarcha Antiochenus (proſequitur idem Scriptor Græcus *Nilus Doxopatrius*) alias Metropoles, quæ ſub ſe nullos habent Epiſcopatus, numero octo, quæ cùm priùs eſſent Epiſcopatus aliis Metropolitanis obnoxię, in dignitatem Metropolitanam provectę ſunt, decretumque, ne aliis Metropolitanis ſubderentur, ſed tantummodò Patriarchæ Antiocheno. Hæ autem octo Metropoles, quę nullos ſub ſe habent Epiſcopatus ſunt iſtæ: 1. *Beryti*. 2. *Heſieupoleos*. 3. *Laodicea*. 4. *Samoſatorum*. 5. *Martyropoleos*. 6. *Mopſveſtæ*.

 7. *Ada-*

7. *Adanæ*, 8. *Pompejuleos*. Adhùc etiam Patriarcha Antiochenus habet ingentes Archiepiſcopatus octo: 1. *Berræam*. 2. *Chalcedonem*. 3. *Agabellam*. 4. *Seleuciam Pieriæ*. 5. *Anaſartham*, quę & *Theodorupolis* dicitur. 6. *Palton*. 7. *Gabulam*. 8. *Balaamam*. Prę-ter hos, habet Patriarcha Antiochenus alios Archiepiſcopatus tenues & liberos quinque. 1. *Salamiam*. 2. *Bercum*. 3. *Rhaſon*. 4. *Agatem*. 5. *Bareuſorum*. Hæ omnes Eccleſiæ Patriarchæ Antiocheno ſubduntur, inquit *Nilus Doxopatrius*.

Patriarcha Alexandrinus totam Lybiam, ſicut ſcribit idem *Nilus Doxopatrius*, poſſidebat, & Æthiopiam, & Marmaricam uſque ad Tripolim Africanam, necnon univerſam Ægyptum, & Palæſtinam ipſam, in qua eſt Hieroſolyma. Habet Provinciam primam *Stamnicæ*, in qua eſt prima Metropolis, quæ eſt *Peluſiũ* varios ſub ſe habens Epiſcopatus; & ſecundam Provinciam *Stamnicæ*, in qua eſt ſecunda Metropolis *Leonto*, habens diverſos Epiſcopatus; & primam Provinciam *Ægypti*, in qua Alexandria, quæ cæterarum caput, & ſecundam Provinciam Ægypti, & Provinciam *Arcadiæ*, in qua tertia eſt Metropolis *Oxirichus*, habens ſub ſe varios Epiſcopatus; & ſecundam Provinciam *Thebaidis*, in qua eſt Metropolis *Ptolamais*, habens ſub ſe Epiſcopatus diverſos, & Provinciam Lybiæ, in qua eſt Metropolis *Darinco*, habens nonnullos Epiſcopatus. Adhùc habet Patriarcha Alexandrinus aliam Metropolim, quæ fuerit ſeptima *Marico*, & octavam *Toneſim*, in ſeptimo Nili oſtio ſitam. Septem enim oſtiis Nilus in Mare infunditur, in quibus variæ Civitates jacent. Hæ itaque ſunt octo Patriarchæ Alexandrini Metropoles, quę varios ſub ſe Epiſcopos habent; quamvis ſint & aliæ quinque nullis Epiſcopatibus conſpicuę, nempè *Damiata*, *Maris rubris*, *Pharas*, *Are* . . . . . . omnes ſimul tredecim,

cim, seu Metropoles, Patriarchatui Alexandrino subditę. Erant Patriarchę Alexandrino, subdit *Nilus Doxopatrius*, & alii *Throni diversi*, sed post *Severi* Hæresim, à Severianis sublati sunt. Per *Thronos* autem intelligit *Nilus Doxopatrius* Metropoles, quæ ante *Severi* Hęresim, jurisdictioni Patriarchę Alexandrini erant subjectæ, sed post *Severi* Hęresim fuerunt ab ejus Patriarchatu avulsæ.

De terminis Patriarchatuum Hierosolymitani, & Constantinopolitani.

Thronus Hierosolymitanus, ut ait, *Nilus Doxopatrius*, *avulsus ex Diœcesi ac Potestate Patriarchæ Alexandrini* (veriùs dixisset Antiocheni, cùm Palæstina in tres Provincias distributa, quam sicut superiùs observavimus, Patres Concilii Chalcedonensis Actione octava attribuerunt Patriarchę Hierosolymitano, antehàc esset subjecta Patriarchatui Antiocheno) Thronus Hierosolymitanus, inquit *Nilus Doxopatrius*, elatus per se caput aliarum Ecclesiarum extitit, & tribus aliis Thronis facultate par. Sancitum nihilominùs est, post Antiochenum honore frui, & referri in Diptychis, & Sedem occupare, nomenque Patriarchæ, qui Throno Hierosolymitano præfectus erat, habere cępit, licèt anteà Episc. esset sub Metropolitano Cęsareensi Palęstinę, cùm illius Metropolis Cęsarea esset, eique Cęsareensi Metropoli Sedes Hierosolymorum subderetur. Habuit verò, ait idem *Nilus Doxopatrius*, Patriarchalis Hierosolymorum Sedes alias Metropoles, quę varios Episcopatus sub se habent, nempè secundam *Scytopolim*, sive *Basan*, *tertiam Petram*, *quartam Bostram*, sive *Arabiam*. Habet pręterea & Archiepiscopatus nemini obnoxios viginti quinque, nullis Episcopatibus nobiles, & qui sub-

jacent Throno Hierosolymitano, videlicèt I. *Diospolim*, sive *Gergiupolim*. II. *Ascalonem*. III. *Joppem*. IV. *Gazam*. V. *Anthedonem*. VI. *Diocletianupolim*. VII. *Eleutheropolim*. VIII. *Neapolim*. IX. *Sebasten*. X. *Jordanem*. XI. *Tiberiadem*. XII. *Diocæsaream*. XIII. *Maximianupolim*. XIV. *Capetoliadem*. XV. *Myrum*. XVI. *Gadarum*. XVII. *Nazaret*. XVIII. *Thaborium montem*. XIX. *Cyriacupolim*. XX. *Adriam*. XXI. *Gabalam*. XXII. *Æliam*. XXIII. *Pharas*. XXIV. *Helenupolim*. XXV. *Montem Sina*.

De Patriarchatu Constantinopolitano, eique subjectis Metropolibus hęc habet sępè citatus *Nilus Doxopatrius*: Nunc itaque (sunt verba illius Scriptoris Gręci, juxta versionem Latinam) possidet à Deo conservatus Thronus Constantinopolitanus, quem primus vocatus Andreas fundavit, primum Episcopum in eo constituens; cùm adhùc Urbs Byzantium esset, partem non minimam Asię, Europęque. Quę sunt circà Illyricum usque ad Propontidem, in qua est Constantinopolis, indèque usque ad Chersonem & Chazariam & Chaldiam, & Gotthiam, & Abasgiam, & Iberiam, & Alaniam; namque in eam à Patriárcha Constantinopolitano Metropolitę mittuntur. Sed & omnes Istrię adjacentes Civitates ipsi subjiciuntur, necnon & Danubii fluminis & Cappadocię Urbes, & partes Armenię, & Cyclades Insulę, & reliquæ omnes, quæ subsunt Imperio Constantinopolitano, multæ illę quidem, & maximę Insulę duę, *Creta* & *Eubœa*, in qua est *Euryppus*: sed & *Peloponesus* & *Græcia*: namque Cyprus sui juris est. Quin immò & in magnam Russiam à Patriarcha Constantinopolitano mittitur Metropolita. Sunt itaque Provinciæ & Metropoles Constantinopolitano Patriarchę subjectę in Oriente, Occidente, & in aliis Regio-

gionibus istę: I. *Cæsaræa Cappadociæ* habens Episcopatus octo. II. *Ephesus Asiæ* habens Episcopatus triginta quatuor. III. *Heraclea Thraciæ* habens Episcopatus viginti quinque. IV. *Ancyra Galatiæ* habens Episcopatus octo. V. *Cyzius Hellesponti* habens Episcopatus duodecim. VI. *Sardes Asiæ* habens Episcopatus viginti quinque. VII. *Nicomedia Bithyniæ* habens Episcopatus duodecim. VIII. *Nicæa* ejusdem *Bithyniæ* habens Episcopatus sex. IX. *Chalcedon* ejusdem Provincię sine subditis. X. *Side* Pamphyliæ habens Episcopatus sexdecim. IX. *Sebastia secundæ Armeniæ* habens Episcopatus septem. XII. *Amasia Hellenoponti* habens Episcopatus septem. XIII. *Melitene Armeniæ* habens Episcopatus novem, ex quibus est Episcopatus *Cucusus*, quò in exiliũ missus est S. *Joannes Chrysostomus*. XIV. *Tyana secundæ Cappadociæ* habens Episcopatus tres. XV. *Gangra Paphlagoniæ* habens Episcopatus tres. XVI. *Thessalonica Thessaliæ* habens Episcopatus octo. XVII. *Claudionopolis Honoriadis* habens Episcopatus quinque. XVIII. *Neocæsarea Ponti Polemoniaci* habens Episcopatus septem. XIX. *Sisinus secundæ Galatiæ* habens Episcopatus septem. XX. *Myra Lyciæ* habens Episcopatus triginta tres. XXI. *Stauropolis Cariæ* habens Episcopus viginti sex. XXII. *Laodicea Phrigiæ Pacatianæ* habens Episcopatus viginti & unum. XXIII. *Synada Phrygiæ Salutaris* habens Episcopatus viginti. XXIV. *Iconium Lycaoniæ* habens Episcopatus quindecim. XXV. *Antiochia Pisidiæ* habens Episcopatus viginti & unum. XXVI. *Perge*, sive *Syleum Pamphyliæ* habens Episcopatus viginti septem. XXVII. *Corinthus Peloponesi* habens Episcopatus septem. XXVIII. *Athenæ Græciæ* habens Episcopatus undecim. XXIX. *Mocesus Cappadociæ* habens Episcopatus quatuor. XXX. *Creta* habens Episcopatus decem. XXXI. *Rhegium Calabriæ* ha-

habens Epiſcopatus tredecim. XXXII. *Patræ Peloponeſi* habens Epiſcopatus quinque. XXXIII. *Trapezus Lazicæ* habens Epiſcopatus quindecim. XXXIV. *Lariſſa Græciæ* habens Epiſcopatus ſeptemdecim. XXXV. *Naupactus Nicopoleos* habens Epiſcopatus novem. XXXVI. *Philippopolis Thraciæ* habens Epiſcopatus decem. XXXVII. *Trajanopolis Rhodopes* habens Epiſcopatus ſeptem. XXXVIII. *Rhodos Cycladum Inſularum* habens Epiſcopatus duodecim. XXXIX. *Philippi Macedoniæ* habens Epiſcopatus ſeptem. XL. *Hadrianopolis Hemimonti* habens Epiſcopatus undecim. XLI. *Hieropolis Phrygiæ Pacatianæ* habens Epiſcopatus novem. XLII. *Rhodoſtolum*, ſeu *Diſtra Hemimonti* habens Epiſcopatus quinque. XLIII. *Dyrrachium* habens Epiſcopatus quatuor. XLIV. *Smirna Aſiæ* habens Epiſcopatus quinque. XLV. *Syracusa Siciliæ* habens Epiſcopatus viginti & unum. XLVI. *Catania*, quæ, cùm Syracuſani eſſet Epiſcopatus, propter S. *Leonem*, in Archiepiſcopatus dignitatem provecta eſt. XLVII. *Ammorum Phrygiæ* habens Epiſcopatus quinque. XLVIII. *Camuchus Armeniæ* habens Epiſcopatus octo. XLIX. *Cotyajum Phrygiæ* habens Epiſcopatus tredecim. L. *Sancta Severina Calabriæ* habens Epiſcopatus quinque. LI. *Mitylene Lesbi Inſulæ* habens Epiſcopatus ſex. LII. *Nova Patra Græciæ* habens Epiſcopatus quatuor. LIII. *Theba Græciæ* habens Epiſcopatus tres. LIV. *Serra Theſſaliæ* habens Epiſcopatus quinquaginta ſeptem. LV. *Æonis*. LVI. *Corcyra*. LVII. *Meſembria*. LVIII. *Amaſtris Ponti*. LIX. *Chonæ Phrygiæ*. LX. *Pompejopolis*. LXI. *Atalia à Syleo avulſa*. LXII. *Paranoxia à Rhodo avulſa*. LXIII. *Lacedemonia à Patris Peloponeſi avulſa*. LXIV. *Madyta ab Heraclea avulſa*. LXV. *Abydus à Gyzico avulſus*. Hæc omnia, quæ hactenùs de terminis quatuor Orientis Patriarchalium Sedium, Antiochenæ, Ale-

Alexandrinæ, Hierosolymitanæ, & Constantinopolitanæ scripsi, ex libro, quem *Nilus Doxopatrius* edidit *de quinque Thronis Patriarchalibus*, excerpsi, ubi prædictus Author, ultrà sexaginta quinque Metropoles, Patriarchatui Constantinopolitano subditas, recenset triginta quatuor Archiepiscopatus, Throno Constantinopolitano subjectos, nullius Metropolitani jurisdictioni obnoxios, & qui sub se nullos Episcopatus habent. Hi autem sunt: I. *Byzira*. II. *Leontopolis*. III. *Parium*. IV. *Proconesus*. V. *Cius*. VI. *Aspros*. VII. *Cypsela*. VIII. *Asice*. IX. *Neapolis*. X. *Selga*. XI. *Cherso*. XII. *Mesanæ*. XIII. *Garela*. XIV. *Brysis*. XV. *Dorcus*. XVI. *Carabzya*. XVII. *Lemnus*. XVIII. *Leucas*. XIX. *Misthia*. XX. *Pendachthoe*. XXI. *Perme*. XXII. *Bosphorus*. XXIII. *Cotradia*. XXIV. *Codræ*. XXV. *Carpathus*, XXVI. *Cotro*. XXVII. *Rhisæum*. XXVIII. *Gothia*. XXIX. *Sygdia*. XXX. *Philli*. XXXI. *Ægina*. XXXII. *Pharsala*. XXXIII. *Anchialus*. XXXIV. *Heraclei*. Hæc est quatuor Orientis Patriarchalium Sedium, Antiochenæ, Alexandrinæ, Hierosolymitanæ & Constantinopolitanæ, necnon antiquarum Metropoleon Notitia, quæ ex *Nili Doxopatrii*, Scriptoris Græci XI. Sæculi, libro *de quinque Thronis Patriarchalibus* hauriri potest, quamvis in eo, sicut observant Viri eruditi, non contineantur omnes Metropoles & Diœceses Orientis, sicut præcisè extitêre initio Ecclesiæ & institutionis Sedium Patriarchalium. Quapropter, ad pleniorem tùm Institutionis Patriarchalium Sedium Orientis, tùm successionis Patriarcharum illarum Sedium, tùm denique Metropoleon, & aliarum Ecclesiarum, quæ initio Ecclesiæ illis Sedibus fuerunt subjectæ, notitiam consequendam, author tibi sum, ut numerato pretio tibi pares sæpè laudatum doctissimi nostri *Michaelis Le Quien* Opus, cui titu-

titulus est : *Christianus Oriens*, quodque nunc Parisiis sub prelo sudat, sicut nuperrimè ad me scripsit clarissimus, mihique amicissimus Auctor.

Postremò, observare debes, ex eâ Episcoporum præcipuarum Ecclesiæ Sedium Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ & Constantinopolitanæ successione, quam in his quinque Tabulis Chronologicis descripsimus, invicta peti argumenta ad probandum adversùs Hæreticos nostri temporis Ecclesiam Romanam esse veram Sponsam Christi, Sectas verò Lutheranorum, Calvinistarum, Socinianorum &c. esse Synagogas Satanæ. Et primò quidem constat ex prima Tabula Chronologica, in qua texuimus seriem Episc. Sedis Romanæ; constat, inquam, perpetuam & nunquàm interruptam fuisse in ea Sede successionem Episcoporum à S. *Petro* usq; ad *Innocentium* XIII. nunc sedentem. Hæc autem continua successio, per quam ad nos usque propagata est doctrina Apostolica, certa ac indubitata est veræ Ecclesiæ Nota ac tessera, quam nullæ Hæreticorum Sectæ sibi arrogare possunt: *Edant* (Hæretici) ait appositè *Tertullianus* in lib. de præscript cap. 32. *origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis Viris habuerit authorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smirnæorum Ecclesia habens Polycarpum à Joanne Conlocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit. Proindè utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos Apostolici seminis traduces habent.* Idem argumentum ductum ex continuâ Sedis Romanæ Episcoporum successione urgeant Sancti Patres contra Hæreticos sui temporis, sed præsertim S. *Augustinus* lib. *contra Epistolam Funda-*

damenti cap. 4. ubi hæc habet: *Tenet me in Ecclesia à Sede* Petri, *cui pascendas oves suas Christus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum*: & in Psalmo contra Donatistas, sic illos Hæreticos affatur idem Aquilinus Doctor: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Sede* Petri, *& ordine illo* Patrum, *quis cui successit*: *Videte, ipsa est* Petra, *quam non vincunt superbæ inferorum* Portæ. Prima itaque Tabula Chronologica, in qua integram exhibuimus seriem & nunquàm interruptam successionem Episcoporum Sedis Romanæ à S. *Petro*, Apostolorum Principe, & primo in terris Christi Domini Vicario, usque ad *Innocentium XIII.* nunc sedentem, invictum tibi suppeditabit argumentum ad probandum contra nostri temporis Hæreticos, solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, quippè quæ per continuam illam ab Apostolis ductam Episcoporum successionem jugiter doctrinam Apostolicam ad nostra usque tempora conservavit; Sectas verò Hæreticorum esse Synagogas Satanæ, ut potè quæ continuâ ab Apostolis profectâ Episcoporum, vel Pastorum successione, Ordinatione ac missione destitutæ, novellas, falsas, peregrinas, totique retrò antiquitati ignotas doctrinas sequuntur, seu potiùs omni vento doctrinæ circumferuntur. Præter hoc peremptorium argumentum, quod ad probandum, solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, tibi subministrabit prima Tabula Chronologica, quæ exhibet continuam Sedis Romanæ Episcoporum à S. *Petro* usque ad *Innocentium XIII.* successionem, alia duo argumenta, quæ eidem adversùs Hæreticos comprobandæ veritati perquàm idonea sunt, facili negotio colligere poteris ex quatuor sequentibus Tabulis Chronologicis, in quibus texuimus seriem, seu successionem Episcoporum Sedium Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosoly-

lymitanæ & Constantinopolitanæ. In his siquidem quatuor Tabulis Chronologicis Sole clariùs perspicere licet, sæpè sæpiùs in illas Patriarchales Sedes irrepsisse, aut vi intrusos fuisse Episcopos Arianos, Eutychianos, Monothelitas, qui Catholicorum Episcoporum successionis lineam abruperunt, gravissimis turbis totum Orientem Christianum exagitarunt, ac tandem in causa fuerunt, cur nobilissimę illę Orientis Ecclesię à Saracenis fuerint miserum in modum, vastatę, & nunc sub immani Turcarum jugo oppressę, atque ab Ecclesia Romanâ diro Schismate divulsæ, ignobiles ac tantùmnon destructę jaceant, & durę servituti mancipentur. Contrà verò Ecclesia Romana, seu *Petri* Sedes, perpetuam Pontificum seriem, & cum eâ veræ & Apostolicæ doctrinæ successionem nunquam interruptam, obtinuit. Ipsa sola *Petri* Sedes Hæreticos, aut de Hæresi suspectos exclusit, & implacabile Hæresibus bellum indixit. Nam Arianos & Nestorianos, Eutychianos & Severianos, Theopaschitas, & Iconomacos, Monothelitas, & Agnoitas, Monophysitas & Waldenses, Albigenses, Lutheranos, Calvinistas, Socinianos, & alias quamplurimas Hęreses cùm antiquas, tum posteriores jugulavit, & ad internecionem usque prosecuta est, atque etiamnùm prosequitur, hanc Fidem sartam tectam conservans, quæ prioribus Sæculis tot Apostolos genuit, tot Martyres peperit, tot Patres Orthodoxos protulit, tot Sanctos Pontifices Ecclesiæ dedit, totumque Christianum Orbem reddidit. Porrò, quis non videat, tam singulare privilegium ideò soli Romanæ Sedi fuisse à Deo concessum, ut unicuique perspicuum ac exploratum esset, solam Romanam Ecclesiam verè Apostolicam esse, & omnium Ecclesiarum Matrem, atque ad illam potissimùm omnes Dei promissiones, Ecclesiæ factas, spectare. Non me fugit,

Hæ-

Hæreticos noſtri temporis, ut ſuis Sectariis ſuadere poſſint, interruptam fuiſſe in Sede Romana Catholicorum Epiſcoporum ſucceſſionem, eò audaciæ ac temeritatis prorumpere, ut quibuſdam Romanis Pontificibus, quos odio pluſquàm Vatiniano proſequuntur, erroris, aut Hæreſeos notam inurant. Sed haſce putidas Hæreticorum calumnias paſſim in noſtris Colloquiis in Hiſtoriam Eccleſiaſticam datâ operâ confutavimus, ac palàm commonſtravimus, illos Romanos Pontifices penitùs fuiſſe alienos ab his erroribus, quos Hæretici, cæco furore abrepti, ipſis perperàm impingunt. Sed norunt omnes, ſolemne eſſe Hæreticis falſa crimina Viris Eccleſiaſticis, ac præſertim Epiſcopis, & Romanis Pontificibus, à quorum obedientia receſſerunt, imponere, ſicut S. *Auguſtinus* in Epiſtola cxxxv. veteris editionis præclarè teſtatur his verbis: *Hæretici non habendo quid in cauſa ſuæ diviſionis defendant, non niſi hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſſima jactant; ut cùm ipſam divinæ Scripturæ veritatem, qua ubique diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur, criminari & obſcurare non poſſunt, homines per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venerit, poſſint.* Ultimum argumentum, quod ex illis Tabulis Chronologicis deſumi poteſt, ad probandum contra Hæreticos noſtri temporis, ſolam Eccleſiam Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, in eo prę ſertim ſitum eſt, quód Patriarchales Orientis Eccleſię, videlicèt Alexandrina, Antiochena, Hieroſolymitana & Conſtantinopolitana, licèt ſæpiùs gubernatæ fuerint ab Hęreticis, jamque diuturno ſchiſmate ab Eccleſia Romana ſint ſeparatę, nihiloſeciùs ultrò cum Eccleſia Romana conſentiunt in his Fidei Dogmatibus, quę Hęretici noſtri temporis Lutherani, Calviniani, Sociniani, aliique ejuſdem fur-

furis

ſuris Sectarii rejiciunt; concors, inquam, eſt utraq; Eccleſia, Orientalis & Occidentalis, in aſſerendis & propugnandis Dogmatibus de Tranſubſtantiatione & pręſentia reali corporis & ſanguinis Chriſti in auguſtiſſimo Euchariſtię Sacramento; de Confeſſione Auriculari; de Invocatione Sanctorum; de numero ſeptem novę Legis Sacramentorum; de Cultu Reliquiarum, & Sacrarum Imaginum; de Purgatorio, de Precibus pro mortuis; de Miſſę Sacrificio; de Jejunio Quadrageſimali; de Pręeminentia Epiſcoporum ſupra ſimplicibus Presbyteris; de Sacris & Apoſtolicis Traditionibus &c. Circà hæc, & alia id genus Fidei Dogmata, quę nunc noſtri temporis Hęretici totis viribus oppugnare moliuntur, eadem ſemper fuit, & etiamnùm in utraque Eccleſia, Orientali & Occidentali, viget conſtans ac perpetua doctrina, ſicut in Colloquio IV. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sęculi decimi ſeptimi, poſt doctiſſimos Viros *Petrum Arcudium*, *Leonem Allatium*, & *Euſebium Renaudotium*, oſtendimus ex Conciliis pręſertim, quę Græci Schiſmatici in Oriente Sęculo decimo ſeptimo celebrarunt, ut proſcriberent errores Hęreticorum Lutheranorum & Calviniſtarum, & totius Orientalis Eccleſię genuinam doctrinam vindicarent à calumniis illorum Hęreticorum, qui, ut faciliùs in Occidente ſuos errores ſpargere ac diſſeminare poſſent, falsò gloriabantur, & ubique inflatis tibiis clamitabant, totam Eccleſiam Orientalem, ſeu Patriarchas Conſtantinopolitanum, Antiochenum, Alexandrinum, Hieroſolymitanum, omnes Metropolitanos, Epiſcopos, Presbyteros, & Laïcos Gręcos Schiſmaticos in eorum doctrinam manibus pedibuſque deſcendere. Verùm, hanc fraudem Hęreticorum confeſtim detexerunt Gręci, qui, licèt ab Eccleſię Romanę communione diuturno jam Schiſmate ſint divulſi, pluribus tamen

in

in Ecclesia Orientali habitis Synodis palàm declararunt, doctrinam Fidei Ecclesiæ Orientalis longè latèque discrepare ab erroribus Lutheranorum & Calvinistarum, eaque mox memorata Ecclesię Romanę Dogmata, quę illi Hęretici repudiant, semper ab universa Ecclesia Orientali fuisse recepta, & summâ omnium consensione probata. Hac solemni & publicâ totius Ecclesiæ Orientalis Declaratione detracta est tandèm Hęreticis Lutheranis & Calvinistis larva, repressa thrasonica illorum jactantia, ipsique summo pudore suffusi eamdem nacti sunt sortem, quam olim expertus est Asinus Cumanus, qui, pertæsus servitutem, abrupto loro in sylvam aufugerat. Illìc fortè repertum Leonis exuvium corpori applicuit suo, atq; pro Leone se gerebat, homines pariter ac feras voce caudâque territans. Ad hunc igitur modum regnavit aliquandiù personatus hic Asinus, pro Leone immani habitus ac formidatus, donec quidam ex aurium prominentium indicio deprehendit esse Asinum, ac probè fustibus contusum ad stabulum, undè exierat, reduxit, dominoque agnoscenti reddidit. Interim autem risum non mediocrem concitavit his omnibus Asinus ille jam agnitus, quos dudùm creditus Leo, metu propemodùm exanimaverat. His itaque argumentis, petitis ex quinque illis Tabulis Chronologicis, in quibus texuimus seriem, seu successionem Episcoporum pręcipuarum Ecclesię Sedium, Romanę, Alexandrinę, Antiochenę, Hierosolymitanę & Constantinopolitanę, uti debes adversùs nostri temporis Hęreticos, qui in suis Sectis hanc continuam Episcoporum, vel Pastorum ab Apostolis manantem successionem ostendere haud possunt, ac subindè se à vera Christi Ecclesia omninò extorres apertè produnt, juxta constantem SS. Patrum cùm Gręcorum, tùm Latinorum doctrinam, pręsertim S. *Irenæi* qui lib 4.
con-

contra Hæreses capite olim quadragesimo tertio, sed juxtà recentem illius S. Patris Operum Editionem Parisiis anno MDCCX. à P. *Renato Massuet*, doctissimo Benedictino Congregationis S. *Mauri* adornatam, capite vigesimo septimo, ubi hęc habet Sanctus ille Doctor: *Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris acceperunt: reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocumque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi Hæreticos, & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, aut rursùs ut hypocritas, quæstus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes*. In qua autem Ecclesia reperiatur principalis illa successio doctrinę & Cathedræ suam ab Apostolis originem habens, luculentèr indicat idem S. Doctor lib. 3. *contra Hæreses* cap. 3. his verbis: *Sed quoniam valdè longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successionem, maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes; confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præter quàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam*, seu Romanam, *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea, quæ est ab Apostolis, Traditio*. Sed hęc pauca circa istas quinque Tabulas Chronologicas, in quibus descripsimus successiones Episcoporum pręcipuarum Ecclesiæ Sedium, Romanę videlicèt, Alexandrinę, Antioche-

chenæ, Hierosolymitanæ, & Constantinopolitanę, observasse sufficiat, & ne hęc secunda pars Tomi octavi Historię nostrę Ecclesiasticę longiùs excurrat, finem ei imponamus, commodiùs in proximo Tomo expansuri alias novem, quas promisimus, Tabulas Chronologicas, quę repręsentabunt seriem Imperatorum cúm Orientis, tùm Occidentis; Galliæ, Hispanię, & Anglię Regum; Hęresum, Schismatum, & Controversiarum, quę in Ecclesia eruperunt; Conciliorum, quę variis in locis habita sunt; postremò, omnium insignium Virorum, qui sivè doctrinâ & pietate, sive novis institutis Religiosis Ordinibus, Ecclesiam Catholicam mirum in modum illustrarunt.

MENDA,

Quæ in quinque Tabulas Chronologicas, ad calcem Secundæ Partis Tomi Octavi Historiæ Ecclesiasticæ adiectas, irrepserunt.

Pag.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
10.	31.	quarti	quinti.
81.	26.	trecentesimo	quadringentesimo.
112.	10.	Ecthesiis	Ecthesis.